

(unknown project)

Antidotum in Facium

Table of contents

- 1. LIBER PRIMUS
- 2. LIBER SECUNDUS
- 3. LIBER TERTIUS
- 4. LIBER QUARTUS

[Page 3]

1. LIBER PRIMUS

1.1.

I. Vane ligus frustraque animis elate superbis,
neququam patrias temptasti lubricus artes,
nec fraus te incolumem fallaci preferet Auno.
Virgilianis te versibus ideo compellare volui quod te ligurem,
me romanum professus nomine isto ligustico mihi insultasti
et, quasi te iuvet cum romano pugnare, nulla prorsus a
me laccessitus iniuria, bellum intulisti, vir litigiosus semper et
durus ac certaminis ubique quam pacis amantior; utque
antehac in alios, ita nunc in me invictus es, cassas quasdam et
inanis irarum causas fingens quo fulgorem meum opteras, quo
viam tibi ad lucra munias, quo denique aliquid gloriole compares,
more veterum adolescentium in causis forensibus auspicandis,
qui, ut se disertos, ut probos, ut rei publice studiosos ostenderent,
claros viros in iudicium vocabant, criminibus responsuros.
Quo deterior mihi certaminis huius conditio proponitur
quod collectandum habeo cum adolescente, non annis
adolescente, sed sensu, sed temeritate et qui 'cum victus erit –
quemadmodum est apud Ovidium – tecum certasse feretur',
ut maior gloria secutura sit eum victimum quam me victorem.
Turpe quidem contendere erit, sed cedere visum / turpius,
ut idem inquit. Utcunque tamen, et si pacem semper bello
preoptavi, cuius rei fides est quod scriptis meorum temporum

[Page 4]

lesi neminem, facile patior me ad pugnam esse provocatum.
Nam ne ab eiusdem gentis mentione discedam, ut 'ligur
hostis natus erat ad continendam Romanis militarem disciplinam
– sicut a Livio scriptum est – nec alia provincia militem
romanum magis ad virtutem acuebat', ita ligur iste mihi materia
et continende oratorie discipline et acuende virtutis erit.
Quanquam Ligures hunc non agnoscent, et si ex viculo, non ex
urbe est, sed ad Scythes ortum ipsius referunt, ut illud Ciceronis
in eum aptissime cadat 'quorum hominum esset nesciremus,
nisi se ligurem esse diceret': nam pater scythes esse fertur,
necnon, ut greco verbo utar, scyteus, idest sutor, piscatoribus,
e quorum corpore ipse est, calceos faciens; a quo pre inopia

[Page 5]

vix puer hic veluti mancipium, ut parens mancipium fuerat,
Spinole familie traditus est. Quod absit ut exprobrande fortune
causa dicam: dico causa notande insolentie, qui non intellegit
quanto deformius sit huiusmodi hominem superbū
esse atque petulantem. 'Secundas fortunas – ut ait Plautus–
decent superbie'. Nam illud minus deformē ipsius generi est
quod furto, quod proditione, quod scelere aggressus, bellum
non indixit mihi, sed intulit nullaque humanitatis et amicicie
ratione habita provinciam meam consuetis sibi latrociniis infestat
Ex quo victo captoque et si triumphum non merebor,
tamen importunum magis quam insignem latronem atque piratam
coercuisse cum iocundum tum utile erit; qui nisi me
post alios invasisset, profecto non tantum mihi sumo ut ceterorum quoque
vicem ulturus fuerim: nunc illorum pariter ac meas
ulciscar iniurias, ultimo quidem, sed gravissime omnium laccessitus,
ut omnis belli huius invidia penes eum sit qui provocavit -
si provocasse dici potest qui non suo magis consilio ad hoc descenderit
quam alterius iussu atque persuasu (neque enim
debeo sic Iesus irasci ut graviorem videri velim quam leviorem
plagam ac vulnus quod accepi). Sua ille quidem sponte ad
me ledendum inductus est et fatuo consilio (quid ni, cum nonnunquam
pro Facio Fatuus vocetur?), sed ab inimico meo Antonio
Panormita (qui se ex Bononia appellat, licet quidam ex
Bona, idest ex Hippone Africe oppido oriundum dicant) impulsus,
precipitatus, incensus et ex fatuo plane insanus furiosusque

factus, qualis ipse magister est. Cuius, ut ceteros mores
impressiarum omittam, de quibus postea dicam, ea natura
est ut Rome Alfinus quidam, imprimis solers medicus, ei nescio
quid consulenti dixerit: «Si faber ferrarius fuisses, furiosus eras

[Page 6]

futurus.» Multi, hoc de ipso referente, audierunt, non solum
ego. Neque a medicorum iudicio vulgaris dissentit opinio
ac sermo nego que usquam gentium esse quempiam qui hominem
norit, nisi vel consuetudine vel morum similitudine isti
coniunctum, qui non idem et sentiat et loquatur. Nam,
quod ad vitam attinet, plerique mirantur cur non hunc aut deus
olim ad inferos detruserit, aut homines velut omnis memorie
teterimum monstrum vel in ultimas terras deportaverint, vel
nova aliqua morte multcaverint. Peream si cuiquam illud plautinum
de milite glorioso magis convenit
eum odere tam viri quam mulieres.

Nefandissime Panormita, multum te, multum decepit
opinio, qui Fatuo histrione sperasti in me agere tragediam, qui,
te lanista, me ac Fatuum in arena ut par gladiatorum dimicaturos
tibi promisisti cum voluptate summa, cum aliorum quorundam,
tum precipue tua. Dedisti fuscinam tuo mirmilloni,
dedisti arenaria Fatuo arma, instruxisti furiosum telis ut me in
theatro quiescentem inermemque invaderet. Non abnuo
pugnam, ne fugere videar. Certabo equidem, quando ita vis,
sed te vicissim de spectaculis detrahram et in medio consistere
compellam, non prius dimissurus quam utrumque petendam ad
veniam male mulctatos adegero ac circum ora consessus mihi
plaudentis, vos deridentis atque exsibilantis, victos vinctosque
traduxero. Ac ne diutius legentes expectatione suspendam ac
differam quam atrox ista iniuria sit aperire, ad rem veniam.
Sed quo liquidius iis qui inter nos iudicaturi sunt ius et
iniuria patescat, repetam altius, illud affirmare ausus, cum me
Bartholomeus et prior et atrocissime lesisset, non modo nihil
in eum a me irato vel factum vel dictum esse, cuius ultiōem
ille expetere deberet, sed etiam, si id esset quod ab eo pretenditur,
neque a me potuisse levius offendī amicum, cum iam hic
esset inimicus, neque a se gravius ledī inimicum, cum adhuc

[Page 7]

essem ei amicus, quantum in ipso fuit, quam me lesit, si tamen
fatuus ledere et furiosus iniuriam facere potest. Qui nisi
illam ipsam quam sui ulciscendi causam allegat falsam dissimulare
nescit palamque ostendit invidiam mei et Panormite persuasionem
fuisse, non recuso quominus animum ledendi non
habuisse videatur, quod solum fatuus ac furiosus potest. Itaque
non tam alieno quam suo ipsius testimonio iugulandus est.
Hic igitur gravis atque moderatus vir, ante paucos admodum
menses quam historias regis, ab illo iam aliquotiens epistolis
iussus, inciperem, exegit a me ut historias suas quas Genue
incohaverat de bellis Genuensium cum Venetis (nam que scripserat
de bellis Genuensium cum Catalani suppressit) perlegerem
annotaremque siquid displiceret: ostendisse enim se illas
nonnullis, quorum nemo ultra primas sane paginas evolvisset,
pigritia, ut ipse dicebat, lectitandi. Ego, ut qui nunquam

[Page 8]

in huiusmodi genere fui fastidiosus, acceptos ab isto libros perlegi
idque eodem biduo, cum plus quinque milium versuum
esset, neque hos modo, sed etiam inventivam adversus nescio
quem genuensem, contumeliis ac conviciis plenam, quod diceret
sibi ab illo obiectum in quadam epistula quod esset ingratissimus
et totus ex invidia factus et dignus suo genere suisque
maioribus; cuius inventiva quid alia vitia dicam, cum versum
quendam triviale, cuius nunc non memini, et partem
alterius que verba sunt astrologi Ptolemei ‘sapiens dominabitur
astris’ vellet esse Virgilii? ut mihi, qui ex ineptis familiarium

molestiam contrahere soleo, risus excusserit. Huius rei cum ceteri qui legerunt testes sunt, tum ipsa oratio: nam eam, ut audio, emisit, ubi versus isti aut falso auctore, aut nullo nominato reperientur. Sed redeo ad historiam, in qua quid attinet enumerare quot ego mendas emendarim? amice tamen et molliter, cum, meo consilio, illam et correxerit et nondum emittere sit ausus: recte utrunque (nec enim eum sua laude fraudabo). Correxit quidem, duabus orationibus que totidem principibus in eandem pene sententiam tribuebantur in unam coarctatis. Non est autem ausus emittere quod, cum in describendis preliis neque tempus, neque locum, neque modum compertum habens ac ne bellorum quidem causas atque origines omnia ex se plus quam poetica licentia excogitasset, etiam atque etiam a me admonitus est ne committeret ut scriptores rerum venetarum non modo se refellerent, verum etiam deriderent (quanquam sunt qui affirment non antea emissurum quam historiam bellorum que Genuenses cum Catalanis gesserunt emittere liberum erit: en qui historias regis Cataloniae scribendas suscipere audeat!). Illud vero ut se retractaturum promitteret impetrare non potui, licet ab eo vehementer contendarem (nam citius isti vitam quam maledicentiam dempseris), ne in Venetos tanta verborum petulantia invehementur, licet auctoritatem Raphaelis Adorni, tunc genuensis ducis, cuius filii preceptor hic erat, attulerim, plane gravis iurisconsulti atque oratoris, quarum doctrinarum alterius professor atque antistes est, alterius admodum studiosus. Is cum privatus Mediolani ageret, quodam die apud me negavit ullam se magis inconsultam orationem vidisse quam Antonii Panormite exhortatoriam ad Genuenses de

bello Venetis inferendo; nam, preterquam quod nota est Venetorum dignitas, dicebat: «Siquando nobis fuerunt in preliis superiores, eo deformius civitati nostre videri debet a talibus nos hostibus fuisse superatos, sin victi a nobis, quod tandem decus nostrum imbellem et qualem ille esse ait viciisse gentem?» Hac in re maluit Fatuus noster Panormite factum quam aut ducis sui aut meam sequi auctoritatem.

1.2.

II. Hec sunt que ego feci, fideliter, graviter, amice. Referam nunc que iste vicissim egerit. Non ita multos post dies misi ad hunc libellum quendam quem nullidum recitaveram ostenderam ve, utpote nondum satis detextum atque purgatum, ut quid de veritate disputationis illius sentiret diceret et, si dissentiret, rationes que se ad dissentendum inducerent aperiret, si me ad suam revocare sententiam vellet, ut moris est inter doctos atque amicos fieri: soleo quibusvis operum meorum iudicibus hunc honorem deferre verborum. In eo libello erat verbum 'parciturus' certo desuper signo notatum, ut soleo, quotiens in opere nondum exacto de verbo aliquo dubitatio incidit, facere. Hunc librum, ut postea comperi, amicus egregius ad inimicum meum Antonium Panormitam detulit communique consilio transcribendum curavit, ne mihi quod peccassem emendare in integrum foret; denique rumorem dissipant me, qui de grammatica ipsumquoque Priscianum reprehendere non verear, in verbo notissimo proinde turpissime esse prolapsum. Rem toti civitati cognitam dico, suntque qui ex illo furtivo exemplari alia transcripserunt. Tandem cum remisso codice hominem forte habuissem obvium, «Quid – inquam – de mea sentis opinione?»

[Page 11]

«Nihildum – inquit – pro compertum habeo, ideoque ad Guarinum preceptorem meum istam questionem rettuli.» Commotus ea re nonnihil sum, haud ignarus perverso eum animo fecisse. «Et cur ita? – inquam – Nam ad tantum virum opus nondum expolitum mittere immaturum fuit; certe non expolitum esse significatum oportuit, et si mearum laudum illum scio cupidissimum. Ceterum audio Panormitam reprehendere quod 'parciturus' scripsirim, quod aliunde quam ex te scisse non potuit.» Hic iste, ut solent irasci qui se iure defendere non possunt (preterea instigatione Panormite qui, dolens me parare omnia ad regis historias componendam, Fatuum suum ad eam spem solicitabat), «Non scripsisses – inquit – si reprehendi nolebas.» «Atqui – inquam – non verborum te, sed rerum iudicem feceram, nec publice reprehendere oportet que publicata non sunt. Tamen hec nihil volo momenti habeant, nisi sepe alias 'parsum' scripsi et istud si vitium est ipse vobis prior animadverti, quippe quod nota suprascripta signavi, que nota vos ad istam considerationem evocavit.» «Non signasses – inquit ille – sed emendasses.» «Quid, si dubitabam?» «Non dubitasses in eo quod apertum est.» «An apud memetipsum mihi dubitare non licet?» «Tenuisses apud temetipsum, non alteri exhibuisses ut iudicaret.» «Utrum exhibui, ut apud me solum, an ut ad populum indicares ac buccinares?» «Admonuisses me istius rei, hoc est errorem tuum plane confessus esses.» «Quid ais? Malim ne videri errasse idque ipse confiteri quam domi locum emendare ne errasse videar?» «Quid tu malis facere nescio, certe in hoc verbo apud me aliquaque peccasti.» «Ita ne peccavi, quasi nescirem a 'parco' fieri 'parsum', cum hoc ipsum apex ille testetur?» «At istuc – inquit – peccasti, quod dubitaris 'parciturus' non reperiri, quod nec inter homines, nec inter inferos unquam fando est cognitum. Unum enim supinum 'parsum' ex duabus preteritis 'parsi' et 'peperciri', aut ex solo 'parsi' formatur.» «O te improbum – inquam – et a moribus alienum meis! Ista ne ego adversus te in emendanda invectiva

[Page 12]

atque historia ratione sum usus? Ita decet inter litteratos, inter amicos, inter bonos agi? Verum si vis modeste audire et equior esse iudex quam adhuc fuisti, fateberis nonnulla me ratione dubitasse, ut non modo intra parietes, sed in luce quoque debeat tolerabile videri factum meum, tum arte, tum analogia, tum auctoritate. Etenim Servius grammaticus ita scriptum reliquit: 'Sed et multa alia usus contra antiquitatem vindicavit. Illi enim 'parsi' dicebant, nos dicimus 'peperciri'. Hoc Servius pro arte tradidit: quod si igitur 'parsi' in usu non est, nimirum

nec ‘parsum’ quod ab illo descendit. Quod cum ita sit, ad supinum preteriti alterius recurrentum est, quod quale sit analogia docet, quod est ‘parciturum’, sicut a ‘poposci’ ‘poscitum’ et a ‘didici’ ‘discitum’, ut est apud Apuleium. Quem ipsum Apuleium si Priscianus auctorem habet in ‘discitum’, cur ego, quod ad auctoritatem attinet, Hieronymum non habeam auctorem? qui sic ad Heliodorum scribit: ‘Qui te iurasti non patri parciturum esse, non matri’.» Vix hec dixeram, cum ille insanire cepit et Hieronymum carpere tanquam indignum quem imitemur. «An eum lectitasti?», inquam. «Ne vellem quidem afrum et barbarum lectitasse!» «Si non legisti - inquam - quo pacto damnare potes? Sed facile laberis in noticiaclarorum scriptorum: in invectiva volebas Virgilium esse qui non erat et nunc Hieronymum, qui non afer seu africanus – sed Augustinus –, verum nequaquam barbarus fuit; quorum neutrum, quantum intelligo, satis cognitum habes.» «Ac ne cognitum quidem habere velim, nec ecclesiasticum aliquem, quorum auctoritas nullius in grammatica momenti est.» «Quid, maioris ne — inquam — est Apuleius? Ne de eo dicam opere quod de asino aureo blateravit!» «Quid blateravit ais? — inquit — Hieronymus potius ipse blateravit eiusque similes, qui ‘parciturum’ dixit.» Sub hec ad alia magis stomachosa cum pergeret, «Non est – inquam – causa cur Hieronymo convicium facias, quasi

[Page 13]

contra te dixerit, qui neque inter homines, neque inter inferos est, quod tute ipse dixisti.» Cumque ad hec vehementius excandesceret, cum et multi iam confluxerant, cum sua sibi iracundia reliqui. Cum quo nihil aliquandiu colloquii habui, nisi apud prelustrem ex Aragonia virum Ioannem Iscerensem, cum iste conaretur multos etatis nostre scriptores preponere Senece in noticia atque usu lingue latine, neque hunc latino ore locutum vellet. Ego contra, non modo quod scirem summe venerationi Senecam esse cum ceteris Hispanis, tum precipue Ioanni, sed etiam ratione defendende veritatis, affirmarem apud neminem non eorum quos ipse nominabat aliqua me inventurum minus latine dicta, cum apud Senecam ne unus quidem locus sit non latinus. Hanc, postea, nostram disputationem nescio an regi, certe nonnullis aliis Ioannes ipse narravit, haud dubie inter nos exortam cum ex natura, tum ex invidia hominis. Siquidem cum audisset me, acceptis ultimis ab rege litteris, quotidie adire primarios viros qui gerendis rebus Ferdinandi regis non modo interfuerint, sed etiam prefuerint, adire eosdem ausus est: a quibus (ita mihi ipsi rettulerunt) reiectus est, quod dicerent se crita regis iussum res illius domesticas neminem edocuros, nisi me de quo scripsisset. Neque tamen post has lites inter nos salutare intermisimus nullumque signum dedimus amicicie nostre iam dissute, nedum scisse. Cuius rei vel hoc argumentum est quod pridie quam iniuriam de qua conqueritur ei fecisset, bellaria que manu sua inter proceres rex mihi porrexerat, ut solet post Livii aut alterius auctoris auditionem, cum hoc divisi qui tum forte mihi stabat a

[Page 14]

tergo. O ignaram rerum hominum cogitationem! Porrexii cibum ei qui iam me prodiderat et inimicis meis in modum lude vendiderat, ut postero die apparuit. Sed hec paulo post. Nunc institutum ordinem sequar.

1.3.

III. Ubi tres libros de vita regis Ferdinandi prima manu feci, ut quibus componendis duos omnino menses impendiisset, raptim manu librarii eoque non in membranis, sed in chartis transcriptos regi tradidi, id ipsum testatus ut audacius adderet demeretque quod vellet: ita enim se facturum constituerat quod res paternas ipse ex omnibus maxime notas haberet. Id quo facilius ageret, summas rerum in marginibus, quos de industria spatiores feceram, rubrica subnotaveram, neque hoc meo

solum consilio, sed etiam gravissimi viri Ioannis Olzine secretarii
(neque est in re notissima mendacio locus): adeo num
soluti quinterniones offerrentur, an compaginati dubitavimus.
Quid plura? cum multa loca vacantia in libris illis inspiciantur
et precipue de nominibus urbium regionumque Hispanie
que regi hispano sperabam notiora esse quam mihi sunt, quale
est Granata, que olim vocabatur. Neque vero attinet
alia rei huius testimonia conquirere, cum optimus omnium
testis, ut mox ostendam, rex ipse testimonium dixerit. Hoc
ideo dico quod, siquid illis in libris errati reperiatur, ut isti
sacrilegi mentiuntur, suam potius inscitiam probantes quam

[Page 15]

meam, nefas sit id velle reprehendere. Nec deprecor quin omnia
que mihi obiecerunt vera planaque sint, siquem nominare possunt
preter unum Olzinam cui libros illos, sicut in aliis semper
factitavi, legendos exhibuerim. Rex eos perlubenter cum
acepisset recognitumque se respondisset, porrexit bibliothecario
suo qui forte tum aderat iussitque ut ocioso sibi subinde,
noctu presertim, exhiberet; nec multis postea diebus Neapoli
discessit frequenterque illis mensibus, ut superioribus fecerat,
ab urbe abfuit. Interea libri mei in manus istorum
pervenerunt. At quomodo? Nempe eo quo res bone in manus
malorum, ut sacra in sacrilegorum, ut publica pecunia in peculatorum,
ut innocentes viatores in predonum pervenient. Delenito
enim ac persuaso bibliothecario, a quo rem erat edoctus
Panormita utpote compater, opus meum complures per dies
domi sue tenuerunt annotationesque in illud cum conquisissent,
tanquam aliunde exemplar habuissent, me apud regem secreto
malignissime vituperarunt, promittentes multo preclarius illam
materiam a Bartholomeo scribi posse; denique, ut conjectura
est, regem ad perlegendum tardiorem reddiderunt. Et hec
omnia me insciente, donec is dies quem supra promisi advenit.
Quo die, sicut superioribus frequenter consueramus, inter me
et Panormitam apud regem exorta contentio est de intellectu et
emendatione, cum scriptura mendosa est, Livii: ut nunc aliquando
contingit inter me legentem et assidentes assistentesque,
quos facile patior, immo rex facile patitur dicere quid
sentiant ac movere questiones. Fuit igitur eo die contentio
de nomine 'Leontini', cum ille vellet nihil significari nisi homines
hac voce, ego vero etiam ipsam urbem, idque non modo
ex inspectione auctoris palam esse affirmabam, sed etiam aliorum
rum testimonio confirmabam, apud quos legeram sic dici Leontinos

[Page 16]

pro oppidanis pariter et oppido, ut Delphos, eoque modo
cum Plinium Ptolemeumque cosmographum, tum vero Thucydidem
esse usum dicebam. Neque dissimulavit sapientissimus
rex mecum facere rationem. Altera questio fuit quod volebam
'statum sacrificium', non 'statutum' legendum esse. De quo
verbo cum procederet longius controversia, impatiens ire ac
doloris Antonius veritusque ne non ita palam ut clam videretur
audere reprehendere, «Hic, – inquit – qui me, qui codices, qui
Priscianum reprehendit, plus quam quingenta vitia in historiis
suis admisit: tot enim Bartholomeus Facius collegit.» Tum
ego ad tantam rei indignitatem sane commotus prope exclamavi:
«Quomodo ad thesaurum meum fures pervenistis?» Sed
mihi temperans, «Quis – inquam – fecit vobis copiam inspiciundi
aliena secreta? Verum generose, non furtive bellum gerendum
est, nec veneno, sed ferro. Ille vero pergit. Non enim
magni facio quod mihi detrahat minutorum minutissimus.»
Hic finis illo die altercationum. Postridie, ecce tibi iste
iubatus draco, tum suum, tum Panormite virus ore illo vasto
hanelans, cum aliquot advocatis, cum petulanter in me esset
invictus, Panormitam vera commemorasse confirmat seque plus
quam quingenta vitia in lingua latina ex meis historiis collegisse
tantumque annotasse: non ausus tamen litterate loqui, qui me
minus belle locutum videri volebat, et, quod deformius erat,
me id ipsum exprobante! Attulerat iste preterea secum
Priscianum quo probaret a 'sto' fieri 'statum', non a 'sisto': de
quo verbo cum ad obiecta respondebo satisfaciem. Ubi de eo

disputatum est, ita discessimus ut nunquam ab eo die collocuti fuerimus, nec de Bartholomeo apud regem mentionem fecerim. Illi interea notationes in libros referre, neque hoc contenti

[Page 17]

omnia maledictorum genera in me congerere, ut ipsum indicat opus. Ego vero expectabam quotidie ut libros ederent, quibus responderem. Sed quid expectarem, cum ipsi me propediem ire Romam cum summo pontifice locuturum constituisse scirent et, ut est aviditas credula, non reversurum sperarent? Itaque me vix profecto, libri Invictivarum circumferuntur, passim ostentantur, publice recitantur. Sic necessarii mei ad mea scribebant, hortantes ut primo quoque tempore remearem et, si nihil aliud, hac certe ratione remearem. Veni altero a profectione mea mense. Cognito illi preter spem adventu meo, libros supprimunt. Comperio multos vidiisse, neminem habere. Quid agerem? Curandum mihi erat ulcus ad quod nulla via pervenire possem. Tandem, quod solum supererat, mitto quandam communem amicum qui meis verbis a Bartholomeo, adhibitis honestis hominibus, postularet ut librorum suorum mihi faceret copiam, ut equo campo certaremus, nec e muris vellet, si sibi fideret, cum hoste pugnare. Ne sic quidem aliquid profeci: respondit enim se facturum copiam cum vellet, non cum postularetur. Post hec, cum acciperem ab iis qui notationes legerant quedam reprehendi que non agnoscebam, ob hanc et alias quasdam causas, in frequenti hominum cetu, poposci ab rege ut, si cognoscendos ei libros de vita patris emendandosque tradidisse, iuberet Antonium (aderat autem homo) mihi reddere quos per bibliothecarium quoque culpam intervertisset, quo diligentius elimos, si maiestas eius annueret, publicarem. Et ille: «Recte tu» inquit moxque Antonio imperat codicem restituat, quod hic postridie se facturum respondit, prout et fecit: sed quonam modo opere pretium est audire. Veniunt postero die duumviri litterarum utroque cum codice suo et meo, plane furtum suum confitentes, exiguntque ab rege ut liceat sibi coram omni frequentia recitare notas in historiam meam et, rege admirante, Bartholomeus incipit locum illum,

[Page 18]

quem premere se maxime posse sperabat, legere, quasi perquam fedum dictu esset atque abominandum, quod rex Martinus propter obesitatem corporis perque valitudinem cum uxore virgine coire, nisi aliorum adminiculo, nequisset. Quam ego furentis hominis animadvertis vesaniam et similem illi antoniane, qui furtum impudentissimum manu teneret, «Quam decorum est – inquam – eos qui suarum notationum inspiciendarum potestatem non fecerunt, sepius rogati, nunc postulare ut in hoc tumultuario iudicio respondeam? si modo ut respondeam postulant et non rixari volunt. Vide, rex, ut mihi reclamat! Ad conviciandum huc omnes isti venerunt, quod indignum est tua maiestate. Scriptis adversus me egerunt, scriptis et ipse agere debeo.» Et rex: «Tu vero – inquit – probe. Neque hic locus, neque hoc tempus, neque hi iudices satis idonei sunt ad discutiendum hanc item; neque civile est quos auctor ipse non prompsit in publicum libros in publico eos carpi. Tanquam retractandas tibi iterum, Laurenti, historias mihi ut cognoscerem tradidisti, ut tibi iusseram: quas legi, nec per occupationes potui perlegere, ut tibi iam bis respondi, mihique illas placere admodum; easdem nunc si retractare vis, tibi retradere debeo.» Simul hec dicens, sumptum ex Antonii manifestarii furis ac sacrilegi manibus codicem, dolentis una cum suo Fatuo ac lugentis, mihi porrexit. Alia multa ultro citroque iactata sunt que referre non attinet, cum ad extremum, rege iudice, victoria penes me fuerit, penes eos duo inter se contraria rubor et pallor. Quis non putaret, post hec, istos ab editione suorum librorum temperatueros fuisse? At hi quartum addiderunt descriptumque in multa exemplaria opus per Italiam dimiserunt: ita ut propinquai mei, quod Neapoli habere nequieram, ad me, Porcelii beneficio, Roma transmiserint ex eo exemplari transcriptum quod isti ad Pogium miserant.

1.4.

IV. I nunc et dic non oportere contumeliis respondere, non esse illos a forti animo asperius insectandos! Hec est rei geste expositio, ex qua constat unde conflatum sit bellum, que ve mea, que fuerit illius iniuria. Que quanquam constant, tamen

[Page 19]

respondendum est iis que de iniuria sibi Bartholomeus per me facta conqueritur. Sed huic confutationi parumper illam preverti ratio postulat, narrationi coniunctam maxime atque cognatam, ex ultime invective principio, quod interpretantur diffidentie signum esse libros me ab rege repetisse. Sic enim aiunt: «Erras, Laurenti, si putas veniam esse datam erroribus tuis quod librum tuum ab rege repetieris et quod illum non editum et nondum correctum dixeris. Ista enim repetitio plane confessio est erroris tui, non purgatio. Quam tamen, et si impudens es, ipse negare non es ausus presente rege, cum ego errata tua coram maiestate sua proferre contenderem: neque enim passus es ista a me legi et recitari que tu ipse sciebas a te nulla via, nisi solita pertinacia tua, defendi posse.» Duplex ad hoc mihi responsio offertur, una simplex, aperta, mitis, non ideo me repetisse libros quod a vobis reprehensi fuissent, sed quod ea lege tradidisse ut recognoscerentur recognitique, ut sic dicam, redhiberentur mihi ad retractandum poliendumque: neque, enim, si donassem regi fas erat ulla ratione repetere; itaque, etiam si nulla inter nos alteratio intercessisset, illos fueram ab rege repetiturus. Quid dico repetiturus? immo iam aliquotiens repetieram; repetere enim nimirum est exigere an quis libros quos recognoscendos accepit recognoverit. Altera asprior, ut concedam vestra me provocatum causa repetisse, ideo me id fecisse non dico ne libri, idest liberi mei diutius hostium potirentur utque patris ope quamprimum postliminio redirent, non dico ne quid vobis furunculis subtrahere ex illis neve quid mutare aut addere liceret utque res ipsa, siquid a me scriptum aut non scriptum esset, presenti fide probaretur, sed ut vos, sicut estis, invidos, furaces, malignos et ante omnia stultissimos esse convincerem, et hoc cum aliis proceribus, tum ipso rege teste et iudice. Sed fac diffidentia me fecisse. Non

[Page 20]

te pudebit verecundiam meam insectari, urgere pudorem, confessionem errati non donare venia? Dixi illos me non satis repurgasse, tanquam prius ab rege reformatos, ideoque nullisdum recitasse, nemini copiam inspiciundi fecisse. Sub hanc vocem tuum erat, siquid humani tibi sanguinis foret, strictum gladium deponere atque in vaginam recondere: iterum, cum libros edidisse, resumpturus et siquid in corpore corrupti fuerit recisurus. Sed videlicet ira impatiens res est, dolor ingens regi nescit, cupiditas ulciscende iniurie cecum facit. Quotus enim quisque habet affectus in sua potestate? Videamus igitur quenam a me sibi facta ab hoc profertur iniuria, quam vindicandam gladio existimat, ut non modo corpus meum petat, sed etiam umbram, tanquam Turnus, inanem Enee imaginem persequens 'nec ferre videns sua gaudia ventos'. Opinor laceratam a me eius famam, aut libros reprehensionibus notatos aut saltem minatum me hec esse facturum. Ait me absenti sibi contumeliam fecisse quod se dixerim minutorum minutissimum. Nullum est aliud crimen meum, ullam aliam a me sibi factam iniuriam ne fingere quidem potest. Hoccine ultionis hec merebatur oratio? Tantum ne tibi de aliquo supplicii sumendum fuit? ut duo levia verba tribus gravissimis ulciscenda vulneribus existimares, quod de nullo unquam quamlibet truculento atque immani et plus quam Atreo auditum est, ut qui tantam indignitatem in ulciscendo legent haud dubie exuisse hominem, si unquam homo fuit, hunc et canem induisse

[Page 21]

sint iudicaturi: cuius canis rabiem ut brevi complectar,
omnia que in me potuit oblatravit donec raucesceret, credens
mordere cum latrat. Non igitur tantam merebatur ultionem
talis offensa. Quid si ego non nisi propulsande iniurie
causa hoc dixi, idest si ille ledere prior cepit et quidem gravissime,
ut probatur ex adversarii verbis optimo probationis genere?
Sic enim circa principium scribit: «Et sane nondum
tela e pharetra mihi depromenda existimasse, nisi tam impudenter
coram inclito rege nostro, in tot clarissimorum procerum
virorumque consessu, te locutum de me esse nuper accepisset.
Apud quos, cum in Antonium Panormitam, virum ingenio,
doctrina et existimatione prestantem, invehereris acerbius et
ille a te lacesitus me forte nominasset, ea de me dicere non
puduit que ne de indoctissimo quidem homine sine summo
rubore quispiam sanus diceret. Sed profecto regis causa minus
graviter eam rem tuli, quoniam pro sua summa sapientia ac
singulari iudicio satis intelligit quanti sis quantum ve absis ab
eo homine quem te facis; ceterum id fuit multo gravius ac molestius
quod illud persuadere conatus sis aliis quibusdam qui
aderant, qui propter parvam litterarum scientiam non tam bene
neque tam recte possunt de ingenii ac scientia iudicare, a quibus
nescio quomodo suscepta est, te ipso de te predicante ac
refellente nullo, falsa quedam de te opinio. Quam profecto,
siquid erit in me in dicendo facultatis, totam evertam atque
eruam. Patefaciam igitur in primis tuam litterarum ignorantiam»
et cetera. Taceo ceteras tuas verborum rerumque ineptias
quod dixisti ‘procerum virorumque consessu’, quasi proceres
viri non sint et cuncti qui aderant assederint regi, nullus astiterit;
quod ‘coram’ et ‘apud’ confudisti, de quorum differentia
postea dicam; quod ‘ve’ pro ‘que’ ponis; quod quem non
puduit non aperis; quod sanos vis ea loqui de aliis ob que ipsi
erubescant, presertim cum de doctrina loquuntur; quod regis
iudicium sapientissimi singularisque non reformidas, reformidas

[Page 22]

eorum qui de eo quod audiunt nec recte possunt iudicare,
nec bene; quod ab eis de me presumptam ut de perdocto homine
opinionem vis sperasque convellere, profecto nihil aliud laborans
nisi ut imperiti non de me, sed de te bene sentiant, fatui
nimirum capit isanique propositum; quod negas te scire
quomodo hec de me suscepta sit opinio et tamen ais quomodo
sit suscepta, quia ego de me predicem et nemo predicanter
refellat. Quis adeo rerum imperitus, quis adeo hebes ac
stolidus crimen quod velut capitale obiicit idque in iudicio non
exponat? iniuriam quam non aperit iure se videri velit ulcisci?
propter rei indignitatem quam nescit ostendere terras ac maria
misceat? Verum non fatuis modo, sed etiam prudentibus solet
excidere simulatio, erumpente per obstantia veritate. Simulat
enim iste a me sibi factam iniuriam, que nulla fuit, non
convicium, non contumelia, ideoque nihil aperte commemorat,
aperte ostendens prius se in me composuisse quam ego lacesitus
dixi ea que ipse, ut est preposterus, circa finem huius inventive,
nonnihil tamen depravate, refert: «Me vero, ut etiam
aliquid de me dicam, qui nullam tibi iniuriam feceram, quod
sciam, conviciis insectaris, minutissimum appellans inter minutissimos.»
Heccine sunt propter que erubescere debui,
si sanus eram? Sed omittamus imminuere nostram, siqua est,
offensam et tue aggravare ultionis immanitatem. Sileamus quoque
iniuriam illam quam mihi in libello meo carpendo, ut te
Panormite venditares, proditoris ritu fecisti. Pretereamus etiam
quod te hic aliena, non tua causa significas ad accusandum descendisse.
Quid est quod quamobrem ad hoc ego convicium,
si convicium est, eruperim taces? ‘Cum Antonius – inquis –
Panormita a te lacesitus me nominasset’: non est, non
est hominis lacesiti contra eum qui in ipsum invehatur acerbius
tantum nominare aliquem; necesse est ut sic de te adversus
me ille mentionem fecerit ut se ulciseretur: hoc profecto nihil
aliud est quam dixisse de vitiis te meis in historia scribere.
Nam quis credit, si de re non plane constaret, Panormitam

[Page 23]

aliter tui mentionem fecisse, et te non consulto nominasse, sed forte, ut ais? quod impudentissime ais, ut cetera, qui altercationi non interfisti, sed Panormite credis adversario, nisi ipse fingis ad tempus. Quanquam, o vere fatue ac fatuorum princeps, si te quis nominat ego protinus in te invehar? ego te carpam? quasi vero tu plectendus sis alio delinquenti. Tam et si, cur aut ille delinquat si te nominet me presente? aut tuum nomen, qui nunquam, si tibi credimus, iniuriam feceris, mihi stomachachum moveat? Quid? si quis me referat abs te laudari, predicari, diligi, continuo ne tibi maledicam atque convicium faciam? Incredibile est, sine fide est, dictu stultissimum est quod loqueris atque configis. Fatere igitur, fatere, minutorum minutissime cum tuo premonstratore Panormita, me prius accepisse abs te et per te ab illo iniuriam et ideo adversus inimicos cum contemptu tui locutum. Nec te pudet hoc dissimulare, sycophanta, quod ipso meridie, ut aiunt, est clarius, cum tot sint testes qui interfuerunt et tu in primis, dementia ipsa dementior, qui postridie tanquam ad ulciscendam iniuriam cum venisses, te infinita prope vitia ex primo libro collegisse dixisti, que quia nondum pure conscripta essent, non posse tunc exhibere, sed exhibitum propediem. Vides ut probo nullam me maledicentie tue prebuisse materiam, sed perversum ingenium tuum, sed cecum livorem, sed vesanam ambitionem, Panormita vel impulsore vel addente calcaria. Cuius de inimicicia que illi mecum est locus suus in sequentibus dabitur dicendi. Vides ut ultio mea non modo necessaria, verum etiam lenta, mollis et prope nulla fuit. Volo enim imminuere crimen meum. Nam quid aliud facerem? Mirum est non etiam me dixisse te furere solitum, te bonis doctisque detrahere glorie tibi ducere, te in regem, cum ex parte hostium stares, quam petulantissime scripsisse, scripsisse etiam victorias Genuensium contra Catalanos. Quid enim ultioris esse satis debuit? cum, supracto ex regis bibliotheca meo codice, quem nulli nisi regi cognitum volebam ac ne ipse quidem rex, Antonius, ut me repelleret apud regem proceresque, diceret te libros de erratis meis conscribere. Vides ut de secunda iniuria loquar, ut

[Page 24]

ultio tua, si ultio et non odii saturatio fuit, inhumana, crudelis, truculenta et vere canina sit. Debeo etenim, postquam probavi nullam penes me iniurie culpam, sed penes adversarios esse, omisso reo, agere accusatorem et illorum crimen exaggerare. Adeo ne non satis tibi fuit, furiose, que postero die in me oblatrasti evomuistique in ultiore contumelie accepte? Nunquid ego vitia operum tuorum aut scripsi, aut aliis patefeci, cum facere possem? Num, cum tu longe abhorrens a modestia mea vitium, ut tu ais, in opere meo deprehensum inimicis meis ac populo ostentasses, tibi talionem reddidi, nedum quadruplum, ut tu nunc facis, ac potius centuplum ac plus quam centuplum? Et ego tantum de insectatione litterarum loquor. Quid illud quod in vitam moresque meos capitali odio inventi sunt? Quid attinebat, cum certamen inter nos et, si placet, iniuria mea de litteris sit, ad insectationem morum prorumpere? at quo homines, quam probos, quam innocentes, quam castos et ferrum armare veneno, ut inquit Virgilius! Nam quid istud ad victoriam proficit ei cum quo pugnes ingerere convicia? Nisi fallor, diffidere viribus est hoc genus advocare certaminis. Cuius diffidentie, ut hec differamus ubi meos tuendo istorum mores attingam, illud quoque est signum quod pessimo exemplo ex multis meis operibus id solum invaserunt quod nondum publicatum est. Quod crimen nescio an sacrilegium, an peculatum, an expilationem, an plagium vocem, an simul omnia. Nam ex sacra regis bibliotheca surripere libros sacrilegium est, ex domo principis arcanoque peculatus, thesauros opesque cuiuslibet expilatio, alienos liberos, idest libros plagium. Que cuncta quanquam a vobis admissa sunt et, quod ad me attinet, maxima me iactura afficitis, multo tamen est ipso damno maior iniuria: perinde ac si mortuum meum in sepulcro religiose iacens ac quiescens protrahatis

[Page 25]

et deforme spectaculum populo ostentetis. Conditi
libri mei sunt ac sepulti, sive, ut magis idoneo utar exemplo,
intra uterum parentis sunt, seu adhuc implumes in nido evolare
nondum queunt, adhuc cibos quos volitando comparo meo
allatos ore illis impartio. Hos, o facinus indignum, vos, parente
in pastus discurrente, exturbabitis ex cubili, fugitantes persequemini,
assecuti pedibus conculcabitis et conteretis, atque, ut
immanitati cumulus accedat, etiam hoc egitte gloriabimini, ut
nemo non nisi vestri similis ista facta ac dicta improbet ac detestetur?
Quot sunt enim que, post interiectum tempus, scripsisse
nos penitet? que quantum placebant cum invenirentur, tantum
retractata displicant? ut ait Ovidius:

Cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno

me quoque qui feci iudice digna lini.

Habeo recitare primum paucis, mox pluribus amicis habeo
mittere, ut de multis operibus feci ad principes latine lingue.
Horum ego sicui libros meos cognoscendos missem, vos in bibliothecam
illorum adulterinis clavibus introeundum vobis putaretis?
et, quod sceleratus est, vos introisse, surripuisse, nolle
sublata reddere et omnia loci illius arcana, fortassis inepta ac
ridicula, passim hominibus monstrare gloriaremini? Nisi
vero quod in privata domo facinorosum sit id in regia minus
meretur ultiōnis: immo, nisi fallor, et regis et meo nomine
gravissime est coercendum. Nihil igitur ex meis libris, vel meo,
vel amicorum iudicio detrahā? nihil immutabo? nihil ad eos
adiiciam, ut non auctor, sed inimicus in publicando plus habeat
potestatis? Neque tibi, Bartholomee, novum hoc est, impudentissime
proditorum, libros nondum publicatos invadere,
idem auso facere in libello cuius superius memini. Sed nunc
multo deformius, quod ea que te inspicere, nedum iudicare
nolui, iudicas, licet illius criminis Panormita quoque affinis sit.

[Page 26]

Publicasti itaque opus meum invito me et per urbes alligatum
cum carnifice dimisisti, idest accusatione tua. In quo illud magnopere
demiror, et si nihil de tam perversa mente demirandum,
cum ad me scribantur libri illi accusatorii, non ad me, qui reus
agor, eos mitti, sed ad alios, quo prius reus peragerer quoque
prius condemnarer (siqui modo condemnare velint altera parte
non audita) quam audirer. Qua in re isti, ne ob improbitatem
suam nimis sibi placeat, vicem reddam.

1.5.

V. Hactenus de infandissima adversariorum mente, qua ad me confodiendum incubuerunt, dictum sit. Nunc superest videre an vere confoderint, an ut ipsi confodi possint obnoxios se oportunosque prebuerint. Itaque, ut illinc unde accusator exorsus est ordiar, ad confutationem obiecte mihi imperitie venio, dum meminerint legentes non cum uno mihi, sed cum duobus esse certamen, scytha et afro. Quis crederet tam disiunctis patria hominibus, qui pariter, ut docebo, tela conficiunt, alter propalam, alter ex abdito, sive alter a fronte, alter a tergo? Venio autem ea prefatione ut non recusem quin omnia pro veris habeantur si vel unum verum sit et nisi vicissim quadruplum in eis peccatorum probavero quam ipsi obiecerunt.

«Quos putarem forte negligentia quadam cecidisse, nisi scirem a te sepius in huiusmodi rebus erratum esse, quem, me teste et contradicente, defendere non puduerit nec a ‘pendo’, ‘pendis’ preteritum ‘pependi’, sed ‘pendi’, nec a ‘frigeo’, ‘friges’ ‘frixi’, sed ‘frigui’ fieri.» Primum videte hominis eximiam stultitiam, sive malumus ut in Fatuo dicere fatuitatem, qui ait se teste id factum esse eodemque contradicente. Idem ergo potes et testis esse et actor? Tu tibi de te et contra adversarium postulas haberi fidem? Non hoc in aliquo meorum operum dictum est, non rege, non cetu hominum, non paucis, non duobus denique audientibus, sed te uno teste, qui et tunc contradicebas et

[Page 27]

nunc accusas? Quod et si verum fuissest, tamen plus quam stultissimum est id obiicere, et quidem primo loco, quod probare non possis. Ubi quantopere mentiaris (et si amicum est tibi mentiri) vel hinc probari potest quod, ut de primo verbo respondeam, nonnunquam aliis in libris ‘pependi’ a ‘pendo’ et hic in secundo historiarum sum usus, sicut ipse testaris. Et nihilominus nemo est qui libros veterum legit quin evolverit Salustum, cuius hec verba sunt: ‘Et quas victi ab hostibus penas metuerant, ipsi volentes pependere.’ Taceo ceteros apud quos idem reperitur, a me diligentissime lectos cum de elegantia lingue latine composui, quod etiam omnium artes precipiunt. At a ‘frigeo’ ‘frigui’ fieri non precipiunt, nec eo auctores utuntur, sed ‘frixi’. In hoc nescio mendacium ne potius obiiciam, an stultitiam. Si enim legit meminitque in Elegantiis a me scriptum a ‘frigeo’ et ‘frigesco’ ‘frixi’ fieri, mendacium dixit, seu, quod turpius quidam volunt esse, mentitus est; sin nescivit, stulte vel alicui dicenti credidit, vel ex me audisse se opinatur, si modo ex animo loquitur et non dolo. Nam ex me audisse qui potuit contrarium eius quod scripsisse? Cuius operis plus quam centum exemplaria multis iam annis conscripta calumniam hominis coarguunt. At ‘frigui’ quoque fieri confessus sum. Scribendo ne? At tu de scriptis meis non sentis. An loquendo? Si apud alios, nihil habes preter auditum, quod nunc in accusando sequi calumniae est, sin apud te, mentiri convinceris, cum, a me semel ratione superatus quam mox proferam, non fueris ad certamen reversurus nisi te fatuum plane et plus quam pertinacem iuvet ostendere. Habes igitur, Fatue, quod est accusatori maxime optandum, presertim ei qui probare non potest, confitentem reum, sed ita confitentem ut stultitie sit hoc obiecisse, peritie argumentum non negare. Lege Priscianum in undecimo dicentem: «Pleraque tamen neutrorum secunde coniugationis

[Page 28]

in *ui* divisas desinentia preterito deficiunt in supinis, ut ‘horui’, ‘rubui’, ‘tepui’, ‘ferbui’, ‘senui’, ‘egui’, ‘frigui’, ‘rigui’, ‘durui’, ‘stupui’. Hunc tu locum, grammaticorum columen, non legeras, hunc ego contra te, si vera controversia inter nos fuissest, attulisset: sed mentiris fuisse. At non sunt usi auctores ‘frigui’. Immo, si queras, fere ne ‘frixi’, sed in composito ‘refrixi’, ‘perfrixi’. Neque ipse usus esse dicendus sum, qui cum de grammatica loquerer illud exempli loco attigi, dicens incohativa mutuari preteritum a primitivis, ut ‘calesco’ ‘calui’,

'tepesco' 'tepuī', 'frigesco' 'frixi' vel 'frigi': ut pessimi hominis sit me sic locutum velle reprehendere. Eo quidem magis quod 'frixi' a 'frigo' videtur proprie proficisci, cuius supinum erit 'frixum', siquidem 'frixum cicer' legimus et alia huiusmodi. An 'frigo' negas reperiri? Audi Plinium libro duodevicesimo: 'Greci perfusum aqua ordeum siccant nocte una et postero die frigunt, dein molis frangunt.' De quo cur Priscianus non precepert ipse viderit.

«Et a 'parco', 'parcis' 'parcitum' et ex eo 'parciturus' participium trahi. In qua quidem heresi te adhuc perstare deprehendi in hoc tuo preclarissimo opere.» Cur dissimulas quamobrem, quo ve modo altercatum inter nos est de isto verbo? Cur ita nude rem incredibiliterque proponis, scytice orator? Sed de eo superius in rei narratione satisfeci ut hic nihil tibi respondere debeam, nisi te ubique tui similem esse, qui, cum a me in hac ipsa disputatione fueris confutatus, tanquam tu vitor inde discesseris insultas, greco verbo utens, quod apud Paradoxa Ciceronis inventum, cum non intelligas, prave, ut alia infinita, posuisti. Ille enim de Catone loquens sic ait: Estque in ea heresi que nullum sequitur florem orationis neque dilatat argumentum.' De Stoicorum loquitur Cicero secta,

[Page 29]

que grece dicitur 'heresis', quod nomen tu pro opinione accipis, quippe meam huius vocis opinionem reprehendis, non aliquam sectam.

«Preterea 'sisto', 'sistis' 'statum' supinum facere.» En stilus limatus tersusque! Quid attinet dicere a 'pendo', 'pendis', a 'frigeo', 'friges', a 'parco', 'parcis', a 'sisto', 'sistis'? Quasi vero non intelligatur quod verbum sit ex prima persona! Pueros te adhuc docere existimas, qui nisi adjuncta secunda persona nesciant cuius sint hec verba coniugationis: quod apud iam doctos cum loquimur scribimus ve facimus in verbis ancipitibus, ut 'lego', 'legis' – 'lego', 'legas', 'appello', 'appellis' – 'appello', 'appellas', 'colligo', 'colligis'- 'colligo', 'colligas', 'educo', 'educis'- 'educo', 'educas'; at in tuis istis verbis non est prima positio nisi singulorum verborum, ideoque nec in loquendo, nec in scribendo ambigua.

«Cum, auctore Prisciano, nullum ex eo neque ex 'sterto' oriatur supinum dicaturque 'status', 'stata', 'statum', eodem Prisciano teste, a 'statum', 'statu', eius verbi supino quod est 'sto'.» Priusquam de re ipsa respondeo quam hic minime probabiliter refert, ut multa quoque alia peccat, nonnihil, ut modo feci, de loquendi ineptia dicam ipsius correctoris. In eo ubi voluit elegantius loqui infantius locutus est. Quid sibi vult 'eius verbi quod est 'sto'? Nonne sic loquens fateris 'statum', 'statu' ab alio quoque verbo fieri quam a 'sto'? Siquidem non nisi in ambiguis dictionibus ita loquimur; quale est nostrum in Elegantiis ex Aulo Gellio: 'Mei te rogandi et tui mihi respondendi: 'mei' hoc in loco Plautus non ab eo dixit quod est 'meus', sed ab eo quod est 'ego'.' Vides ut in 'mei' quod ancipitem significationem et originem habet Aulus Gellius dixit ab eo, sive eius pronominis, quod est 'ego', cum esset aliud pronomen

[Page 30]

unde etiam ille genitivus oriretur. Igitur tu necesse est doceas quo ex alio verbo quam ex 'sto' oriatur supinum 'statum', 'statu'. Atqui hoc ipsum negas. Ergo tecum tua quoque confessione dissentis. Sed non est quod timeas: te enim ego, quem tibi fingis inimicum, sublevabo doceboque ex alio etiam verbo fieri 'statum'. Ait preterea 'auctore Prisciano', cum sciamus Priscianum ceterosque grammaticos et prope omnes artifices ab aliis petere preceptorum suorum, non ipsos habere auctoritatem, hoc est non esse auctores, ideoque que tradunt ea omnia superiorum testimoniis confirmare. Quod si quando locos aliquos rationibus probant, tunc ipsam eorum rationem sequimur, non auctoritatem. Ac ne teste quidem Prisciano recte dici affirmarim, nisi siquid ait ille se apud eos legisse quos ipsi non legimus, quale est quod apud hunc invenimus 'teste Capro', 'teste Diomede', 'teste Donato'; sed quia sic Priscianus multique alii loquuntur, dicamus ei quoque licere. Nunc ad sententiam

Prisciani revertamur; cuius hec verba sunt: 'In 'sto' unum 'sisto', cuius preteritum quando activam habet significationem tam in simplici quam in composito deficit, quando absolutam et similem 'sto' verbo commune cum eo habet preteritum, ut 'resisto', vel 'resto', 'restiti'. Paulo post: 'A 'stertui' enim supinum non inveni, nec a 'sisto'. Aperi, Fatus, aperi tuum istud vastum et agreste quiddam ac rude et barbarum sonans os atque oblatra mihi reclamaque Priscianum impugnanti, sicut apud regem reclamasti. Ubi victus cum fueris, rebellas ac prostratus in terram surgere conaris de genuque pugnare, invidia vesanus et rabidus, ut appareat te non de 'status' participio, sed de 'status' conditione pugnare. Prius tamen Prisciano me purgatum volo, quod adversus eum locuturus sum. Ego vero,

[Page 31]

Prisciane, nihil admodum quod precepta tua convelleret, duntaxat in hac parte, dicere constitueram; nunc quicquid dixero istis assignato, qui initium introduxerunt non tam ut te protegant induci, quam ut me impugnent tuis, nisi fallor, vestigiis insistentem. Ut enim tu de lingua latina optime meritus es, sic ego, quod cum bona venia tua dictum sit, pro mea virili mereri studebo. Ais 'sisto' quando activam significationem habet preterito defici, supino etiam quando absolutam. Cur ita? Quia non invenisti. Sententiam igitur mutes oportet ubi inveneris, indicatis tibi per me in quibus utrumque invenias locis. Celsus iurisconsultus apud Iustinianum libro quadragesimo quarto Digestorum scribit, titulo de stipulationibus et verborum obligationibus: 'Si ita stipulatus fuero te sisti et nisi steteris hippocentaurum dari, perinde erit atque si te sisti solummodo stipulatus essem'. Et eodem loco Paulus: 'Ita stipulatus sum te sisti certo in loco, si non steteris, quinquaginta aureos dare spondes'. Hoc de preterito activo. De passivo autem, cuius fons est supinum, idem libro secundo de divisione rerum et qualitate: 'Si plurium servorum nomine iudicio sistendi causa una stipulatione promittitur, penam quidem integrum committi, licet unus status non sit, Labeo ait, quia verum sit omnes statos non esse.' Et aliis etiam locis participium passivum a 'statum' supino, de quo lis nostra est, licet reperias in iure civili, cuius iuris caput Duodecim Tabule ita scriptum habent, teste Cicerone atque Varrone, 'dies status cum hoste'; quem locum quidam legunt 'statutus', quasi 'constitutus', sic legendum negante Plauto in Curculione:
Quo te hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phedrome?

[Page 32]

Quo Venus, Cupido imperat suadetque Amor:
si media nox est sive est prima vespera,
si status, conductus cum hoste intercedit dies,
tamen est eundum quo imperat ingratia.
Que verba Festus Pompeius exponit cum inquit: 'Status dies vocatur iudicii causa constitutus.' Nec non in eadem pene verba Macrobius. Iam vero 'stator' ab eodem nascitur fonte, ut apud Livium 'Iuppiter stator', videlicet a sistenda, vel, ut apertius dicamus, a stata fuga Romanorum. Quod non minus lucide Cicero declarat inquiens: 'Tu Iuppiter, qui iisdem quibus hec urbs condita est auspiciis a Romulo es constitutus, quem statorem huius urbis atque imperii vere nominamus.' Et alibi: 'Teque Iuppiter stator, quem vere huius imperii statorem maiores nostri nominaverunt.' Certe a 'sto' non diceretur stator urbis et imperii, cum natura huius verbi repugnet. Ergo erit a 'sisto' et quidem significationis active, quasi firmator urbis, stabilitor imperii; unde 'state res' que firme sunt ac stabiles et certo suoque tempore sepius redeuntes, ut idem Cicero de responsis aruspicum, que verba Valerius Maximus in principium operis sui transtulit: 'Maiores nostri statas solemnesque ceremonias pontificum, scientia rerum bene gerendarum' et reliqua, 'statas' atque 'solemnies' pro eodem pene accipiens. Nam solemnes frequentissime legimus pro fixas et, ut sic dicam, anniversarias etiam febres morbosque ut statos ita solemnes, quod certo ac rato tempore hominem repeatant. Unde Pompeius Festus

exponens inquit: 'Solemnia sacra dicuntur que certis temporibus fiunt.' Age vero, quid aliud exemplum melius quam Ciceronis pro Milone, ubi eadem verba sunt de quibus nostra extitit controversia, que nusquam prave scripta reperiuntur? 'Lanubii stata sacrificia nosset'. Quod congruit cum illo apud

[Page 33]

Ovidium de Fastis: 'Et stata sacra facit', Pompeio quoque Festo exponente: 'Stata dicebantur sacrificia que certis diebus fiebant. Cato: Sacra stata, solemnia sancta servasti.' Ideoque legendum apud Tusculanas questiones libro primo: 'Solemne et statum sacrificium', non 'statutum'. Ita apud Livium illud, de quo rege disceptante contendimus. Quod cum ita sit, profecto optinui palmam liquetque vos et tunc iniuste contendisse et nunc me improbe accusasse. Adde ex abundanti, ut materie satisfaciam plenius, quod Priscianus ipse Lucani verba ponit: 'Stata tempora flatus', quasi constituta et non aberrantia unquam a suo ordine, quale est apud Livium: 'Et fretum ipsum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocatur, sed temere in modum venti nunc huc, nunc illuc verso mari' et apud Plinium patrem titulus 'De statis tempestatibus' et alibi milies, et apud Plinium filium epistola ad Licinum; ait enim de fonte quodam sic: 'Ter in die statis auctibus ac diminutionibus crescit decrescitque' statimque: 'Ille certis dimensisque momentis vel suptrahitur, vel assurgit' et iterum paulo post: 'Per quasdam obluctantis anime moras crebris quasi singultibus sistunt quod effundunt.' Vides ut aperte hic auctor ostendit a 'sistendo' fieri 'statum'. At enim Priscianus vult hoc non a 'sisto' fieri, sed a 'sto'. Vult ille quidem, sed nec a 'sto' venire docet, nec a 'sisto' non venire, cum ratio hoc velit, tum quam dixi, tum vero hec quod 'statum' a 'sto', siquid probat analogia sui derivativi 'staturus', habet primam longam, hic brevem, ut a 'sisto' venire dubium non sit. Verum quid rationes consectetur cum tot tantorumque scriptorum assit auctoritas? Ideo ad reliqua pergamus.
« Illud vero est omnium vitiosissimum quod dicis 'horresco' 'horru' preteritum mittere et incohativa preteritum habere, cum solum 'descisco', auctore Prisciano, preteritum 'descivi'

[Page 34]

faciat, quod tamen, et id est verisimilius cum cetera eius forme verba preteritis careant, a 'descio' magis fieri putat.» Ubi tecum aut quando de isto verbo contendit? Non respicis, Fatue, nequaquam te loqui apposite ad faciendam fidem? Nam si tecum hac de re contendissem, profecto non alia quam que scripseram protulisset eaque defendissem: que te nunc potius quam verba mea, que negari impune possunt, redarguere decebat. Itaque si meum de elegantia opus legisti, quid ita de incohatis a me ait dictum, quasi non scripserim? cur rationes meas non refellis? cur non evertis omnium scriptorum auctoritates? Nec de preterito tantum, sed, quod maius multo est, de significatione: ubi probavi nullum quod dicitur incohativum significare incohationem, quod ne Priscianus quidem ipse, si excitetur ab inferis, vel refellere possit, vel negare audeat. Sin non legisti, quid tibi faciam, nisi ut iubeam ire ad ipsum opus ut sciam velis ne posthac desistere an litigare? Et tamen breviter sic habeto. 'Horru' si ab 'horreo' veniret significaret idem quod 'horridus fui', quod falsum est, cum significet idem quod 'horridus factus sum' talisque aliquandiu permaneo. Ergo ab 'horresco' descendit, quod significat 'horridus fio', ut 'acesco' 'acidus fio', cuius preteritum est 'acui', idest 'acidus factus sum', non autem incepi talis esse, quod ad significationem incohativi, aut 'acidus fui', quod ad primitivi confutandam attinet; cuius ipsum primitivum 'aceo' me legisse non memini, sicut nec 'saneo', cuius derivativum 'sanescit' posuit Cornelius Celsus sepe, ut ibi: 'Arteria incisa neque coit neque sanescit', idest sana fit, vel sanatur, non autem incipit esse sana; et apud Columellam et Plinium 'herbescit', 'arborescit', 'grandescit' et alia complura quorum nec primitiva usquam leguntur, nec significatio est incohativa. At enim tu ait Priscianum

velle unum ‘descisco’ habere preteritum ex incohativis. Desino pluribus in illum argumentari, qui si foret in rebus humanis non contra me hoc in loco sentiret, sed contra te. Quid est quod tu aut facias incohativum ‘descisco’, cum non facias suum simplex, aut si hoc quoque facis, preterito prives, quod est ‘scivi’ et inde ‘scitum’, ex quo ‘plebiscitum’? Negas? Audi verba Legis duodecim tabularum: ‘Creatio magistratum, iudicia populi, iussa, vetita, cum suffragio eo sciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunt.’ Et mille in locis legimus ‘plebs sciscat’, ‘plebs scivit’. At hoc preteritum a ‘scio’ mutuatum est. Esto: et si alius significationis est ‘scivi’ a ‘scisco’, alius a ‘scio’. Cur non etiam ‘descivi’ a ‘descio’? An quia ‘descio’ non reperitur? At istud contra superiorem tuam rationem facit. Sed, ut ita sit, fateare necesse est ‘conscisco’, ‘ascisco’, ‘rescisco’, que eiusdem nature sunt, habere sua preterita ‘conscivi’, ‘ascivi’, ‘rescivi’. Quod si adhuc in sententia ac pertinacia permanes, ito, ut dixi, ad Elegantie opus, ubi latius ista disserui; sin vero ne sic quidem acquiesces, perge et moribus tuis utere, dum scias te non posse mihi refragari, nisi doctis omnibus a quibus illi probati sunt libri refrageris, precipueque Guarino, quem preceptorem tuum facis, atque Aurispe, qui primi de laudibus ad me operis illius scripserunt; quorum alter inter cetera inquit ut Pallas olee fuit inventrix, ita me inventorem esse elegantie lingue latine (quale quiddam in alio opere fecerat, ad me scribens his verbis: ‘Laurenti laurea et Valla vallari corona ornandus es’), alter cum multa alia, tum vero illud se permultum argenti ex opere meo si voluisset potuisse lucrari. Sileo Leonardum

Arretinum ceterosque, ne cui forte preter necessitatem cause videar velle gloriari.

1.6.

VI. «Sed his omissis, ad operis tui disquisitionem veniamus.» Bene tibi habent principia, strenue tibi prelusio acta est. «Quod maiori cura et studio excogitasse et confecisse te verisimile est quam ea que disputationis causa aliquando in medium protulisti.» Disquirere opus meum vis, quasi non possim tua verba vicissim ego disquirere atque rimari! Ego vero et in superioribus rimatus sum et in sequentibus sic rimabor ut nulla prorsus rima me fallat: itaque ut superius te volentem percutere percussi prior, ne dicam tot vulneribus sauciavi, ipse adhuc, ut spero, absque vulnere, sic nunc toto irruentem impetu preveniam et ut confido vulnerabo. Quero enim nunquid accurate an incuriose ista verba protuleris ‘que disputationis causa in medium protulisti’? Quorum verborum, idest ‘proferre in medium’, hoc significatum est aliquid non dissimulare, sed ex animi conscientia quadam in commune proferre, qualemque sit aliis cognoscendum ac iudicandum. Neque enim preceptor apud discipulos, aut disputator apud eos quibuscum disputat, docendi aut vincendi causa, quid profert, sicuti tu aīs, dicitur ‘proferre in medium’. Adde quod vis ea que in disputando dixi excogitasse et confecisse. An non ita sunt tua verba intelligenda ‘quod maiore cura et studio excogitasse et confecisse te verisimile est quam ea excogitasti et confecisti que disputationis causa aliquando in medium protulisti’? Quid est istud ‘confecisti disputandi causa’? Agnoscis non esse verba erudit et qui alias ut ineruditos possit incessere. «Ut quo ingenio qua ve doctrina sis et eloquentia a doctis hominibus iudicari possit.» Superius de indoctis loquebaris, quos a me decipi aiebas, nulla habita mentione doctorum, cum

illa adderes: «Ut posthac fallere indoctos homines ista futili vaniloquentia et loquacitate desinas»; nunc oblitus quid dixeris,

de doctis solum facis mentionem, quos, o cerebrum fatuum, docere vis, quasi vero sine te preceptore nequeant docti de ingenio meo doctrinaque iudicare.

«Quod opus dicere non potes a te non esse editum, cum illud iam regi optuleris et in eius bibliotheca iampridem reponendum dederis.» Cur non inquisti ‘quod opus dicere non prodest tibi a te non esse editum, non emendatum’ (id quod in quarta facis invectiva), sed tantum inquis ‘dicere non potes a te non editum’, quasi inquias ‘si forte responderebis a te non esse editum’? Ergo nondum sic responderam: quo patet te prius contra me scripsisse hec quam ulla a me contumelia affectus essem. Sed ut, omissa iniurie materia, presenti obiectio respondeam, quam verum est proverbium illud ‘conscientia mille testes’! Quia scis non esse editum, ideo ad sic loquendum inductus es. Edideram. Cur non ab aliis commodato accepisti?

In bibliothecam reponendum dederam. Cur non ab rege legendum petisti? Sed quid argumentis colligo quod regis pronuntiatione finitum est?

«Primo autem loco quod ad elegantiam, secundo quod ad dignitatem historie et ad artem pertinet errata tua demonstrabo.» Non de dignitate orationis, qua de et elegantia Cicero adhuc iuvenis precipit, sed de dignitate historie loqueris. Esto, lapsus sis: de dignitate que pars elocutionis est dicere volebas, aut supervacuum est illud ‘historie’. Atque ut hic superat, ita illic verbum deest. Ais enim ‘artem’, quasi sine apposito intelligatur oratoria. Est ne hic purus et integer sermo? quod tu

[Page 38]

in me requiris, inquiens: «In operis tui titulo, qui esse debet omni vitio purus et integer, sic scribis.» Agnosce hicquoque quam pure dixisti et integre. Non scribo titulum, sed in titulo. Quid in ipso scribo? Nempe titulum. Quid hoc sermone minus purum? Quanquam que pars operis esse debet non omni vitio pura nec integra vel minus quam titulus? Quid? Illud integre dicitur quod verba ista que mox reprehendis ait tituli esse, cum longe absint non modo a tituli natura, quod sunt plus quam sexaginta numero, ut ipse scis, verum alia in pagina scripta sunt quam qua historia incipit una cum titulo, qui hic est: Gesta Ferdinandi regis; est autem pagina hec nuda preter quam subscripto circulo quodam velut orbis terrarum tumultuarie facto.

«Tres libri historiarum Ferdinandi que gessit. Ut omittam hoc loco quod ad explanationem attinet, in latinitate abs te vehementer peccatum est: antecedenti enim, quod est feminini generis, relativum, quod est neutri generis, reddidisti, quod etiam turpe esset puer prima elementa discenti.» Stultitia vestra singularis facit ut non maligne vos facere existimem, malignitas ut non stulte: sed quia omnis malus stultus, stultitiae vos pariter ac malignitatis accuso. Stultitiae quidem quia vitio datis quod non vitiose dictum queat defendi, accipiendo non feminini generis relativum, quasi ad historias referatur, sed neutri, subintellecto antecedente, quod est ‘eorum’, ut sit ‘earum rerum quas gessit’. Malignitas autem quod non modo mentimini de nomine ac loco tituli, ut dixi, verum etiam disiungitis que iuncta sunt et que disiuncta copulatis. Nonne, spurcissimi delatores, punctum intercedit inter quatuor priora verba et sequentia? Nonne ipsum ‘Que’ maiuscula littera scriptum est, tanquam principium sequentis orationis, que hec est:

*‘Que gessit
et antequam rex esset et factus rex’*

et reliqua, ut ipse est indicio codex? quasi superior exponeretur oratio: ‘tres historiarum libri

[Page 39]

Ferdinandi’, id est ‘gesta Ferdinandi’, sive ‘ea que gessit ille et antequam rex esset et factus rex’. Nam historie etiam gesta dicuntur quia in eis gesta continentur, ut si quis legens

Livium nihil interdit an gesta Romanorum se legere dicat, an historias Romanorum. Verum ineptum sit pluribus ad ineptias respondere.

«*Europam tertiam orbis terrarum esse partem fere traditum est, eamque Africa haud multo maiorem quam Asia minorem.*

Magistrum

te grammaticae profiteris et ignoras hoc latine dici non posse; ut enim dicimus 'Cesar quam Pompeius felicior fuit', sic dici necesse est, si infinito uti volumus quod ante se quartum casum postulat, 'Dico Cesarem feliciorem fuisse quam Pompeium'.» Aut ego tardus sum, aut mei Aristarchi dormitant. Quid enim attinet de infinitivo et accusativo loqui? Ad hec quid simile vestro exemplo cum verbis meis? Preterea nihil aperte reprehensionis affertis. Id tamen significare videmini uno mihi comparativo fuisse utendum, ut uno vos usi estis in emendando. At Priscianus non vetat duo committi comparativa in suo precepto, utens hoc exemplo: 'Tam iustior quam felicior Eneas Hectore fuit'; qui si dixisset 'Tam iustior Paride quam felicior Hectore fuit Eneas', nihil admodum a superiore forma recessisset, quale fuit illud nostrum, quod paulo post sequitur:

'Petrus multo maior ceteris fuit, tanto minor Maria quanto maior Helianore sororibus.'

Quem locum si probavistis
non reprehendendo, et hunc probatum vobis iri necesse
est. Qui nequaquam insolentior modus loquendi est quam ille
quem idem Priscianus eodem in loco affert pro exemplo Ciceronis
in Philippicis: 'Quis interpretari potest, impudentior ne,
qui in senatu, an improbior, qui in Dolabellam, an impurior,
qui patre audiente, an crudelior, qui in illam miseram tam
spurce, tam impie dixeris?', aut ille Livii: 'Eo magis ruere in

[Page 40]

suos belue tantoque maiorem stragem edere quam inter hostes
ediderant, quanto acrius pavor consternatos agit quam insidentis
magistri imperio reguntur', aut ille Cornelii Taciti: Callistus
priorisquoque regie peritus et potentiam cautius quam
acribus consiliis tutius haberi perstitit.' Sed quid plura in vos
magis dormitantes quam loquentes?

«*Horum lingua similior est mediterraneis Castellanis quam Catalanis aut Valentinis.*

Magis latine si dixisses 'quam catalane
aut valentine', quoniam subaudis hngue, non hominibus aut
linguis.» O Fatue, cum dicitur catalane aut valentine
quomodo subaudiri potest hominibus, idest numerus pluralis?
At dicere volebas 'quoniam hic quidem subaudis lingue, ibi
vero hominibus', et ideo es fatuus, quanquam necdum scio
quid dicas. Subauditur ne an non in meo sermone 'hominibus'?
Ais? Quid ergo inquis 'quoniam subaudis lingue, non
subaudis hominibus'? Negas? At istud omnem superat stultitiam,
cum adeo subaudiatur, ut iam pro supervacuo propemodum
habeatur apponi nihilque differat an dicatur Romani an romani
homines. Atqui significare volebas linguam lingue, non
hominibus similem a me fuisse dicendum. I nunc et alios parum
pure, parum integre, parum latine locutos accusa, qui tam inquit
loqueris. 'Magis latine, inquis, dixissem'. Non igitur
preter latinitatem dixi, sed poteram latinius. Ita ne? Non hoc
satis est tibi, presertim in opere nondum castigato et expolito?
Quis unquam ita totus ex odio et invidia factus hoc cuiquam
crimini dedit? Ex quo quidem quantopere caninam eloquentiam

exerceas in me datur intelligi; ex eo autem quod subiungam,
quam vere arguas. Cesar ita inquit: 'Quoniam ad hunc
locum perventum est, non alienum esse videtur de Gallie Germanieque
moribus et quomodo differant he nationes inter se proponere.
Cur non dixit 'Gallorum Germanorumque'? Nunquid
Gallia et Germania que loca sunt mores habent? Cur nationes,

[Page 41]

quod nomen 'homines' significat, cum locorum nominibus confudit?
Quod ego non facio, qui linguam hominum cum ipsis
hominibus misceo. Ceterum, ut hanc pecudem doceam,
exempla repeatam ex Elegantiis, ubi de hac re trado precepta:
'Tu maiorem laudem assecutus es patre tuo tuisque maioribus,
quasi laus tua sit maior quam tuus pater et non potius quam
patris laus. Virgilius:

Non secus ignipotens, nec tempore segnior illo.

Cicero: 'Maiores opinionem omnium cepi dolorem', quasi maior
sit dolor quam opinio et non potius quam ille dolor quem omnium
opinio fert me habere: quod sermonis genus habet nescio
quid plus latinitatis et elegantie. Et tu, perversissime, vis
me qui sic locutus sum minus latine locutum.

«*Quibus ob spem potiundi oppidi hactenus par citum erat.*

Nunquam ulla ratione abduci a pertinacia tua poteris quin perstare
in eo velis ut 'parco', 'parcis', contra Prisciani auctoritatem
et omnium veterum ac iuniorum usum, 'parcitum' supinum
faciat, cum a 'parsi', 'parsum', a 'peperci' vero nullum oriatur
supinum.» Immo vero tu nunquam poteris abduci neque
a pertinacia quin auctoritatem Hieronymi arte et analogia fulctam
nullam putas (nam Prisciani, ut ostendi, nulla est), neque
a temeritate, qui mihi libertate doctos consulendi de hoc vocabulo
interdicis, supra quod solitam notam aspexisti que te ab
ista temeritate retinere debuerat. Nunc postquam tibi respondi,
te invicem interrogo. Quid opus fuit addere 'tua'? quasi
possim abduci ab aliena pertinacia. Quid etiam addere 'quin
perstare in eo velis'? quasi non satis esset 'abduci a pertinacia
poteris, qui perstare in eo velis'. Cur etiam Priscianum sequi
malueris dicentem: 'Quanto iuniores tanto perspicaciores' quam

[Page 42]

ceteros qui 'iuniores' accipiunt in etate iuvenili positos, ut 'seniores'
in senili? Igitur novos recentesque debueras aut alio
(multi enim sunt) modo dicere. Et sperabas me, quod Priscianum
non utique sequar expavescere fateri, qui te, quod illum
sequaris coarguere non reformido! Nec video cur hanc
reprehensionem tot aliis ordine prioribus revertendam putaveris,
circiter e medio libro traductam. Quominus dubitabo
unam et ipse nec longius quatuor gradibus prevertere, non
ferens incredibilem etiam in homine cerebroso vesaniam ut
carpere audeat que a me scripta non sunt.

«*Ut dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum est, velut
fiduciarum pignus cedat.*

Fidei, non fiduciarum a te dicendum
fuit: fiduciam enim non pro fide, sed animi fortitudine a sanis
hominibus usitatum invenies, grammaticorum princeps.»
Quenam sententia eliceretur, malefice scytha, ex his verbis velut
'fiduciarum pignus', si sic scripsisset? Legisti ne in illo
tu codice 'pignus'? quod scriptum non erat. Legisti 'fiduciarum',
quod scriptum erat 'fiduciarium'. An non aperte scriptum
erat et quidem mea manu suprascriptum, cum librarius omisisset?
Neque est quod te errasse in legendo causeris, quod aperte
lucideque scriptum est. Nam vere possum in hoc gloriari
(si in minimis gloriari fas est), cum plurimi in figuris elementorum
ducendis me antecellant, vix tamen aliquem planius, apertius,
distinctius scribere. An fortassis ipse lapsus sum in scribendo?
Nec verisimile est in uno verbo, cum presertim genitivos
plurales prime ac secunde declinationis * figura semper
scribam, ut tertie nunquam, et testis est ipse codex eritque

perpetuo, quem non modo quam plurimis ostendi, sed iis etiam
quos certum haberem utrius falsario renuntiatus, quanquam,
ut aiunt, glorie sibi dicit calumniari, utens ea sententia que est in Virgiliano versu:

[Page 43]

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Neque enim solum que scripta sunt non legit, sed etiam que
sunt scripta non legit, ut eodem tempore adiiciat et demat. Nam
sic scriptum erat:

*'Ut dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum
est, velut fiduciarium ditioni ac procurationi Ferdinandi cedat'*

Imitatus enim sum Titum Livium qui ait: 'Nabidilleam Lacedemoniorum
tyranno velut fiduciariam dare ut victori suo restitueret'
et rerum Cesaris commentarium: 'Paratam omnem multitudinem
esse, confectam tedio puelle fiduciario regno, dominatione
crudelissima Ganymedis 'et iterum: 'Obstrictum fide,
eoque esset officium legati, qui fiduciariam operam optineret';
et in iure civili: 'Fiduciaria tutela' et in Caii Institutionibus: 'Fiduciarius
pater' et in Sententiis Pauli: 'Res fiduciaria'. Sed
quia de iure civili fecimus mentionem, quis C. Aquilius aut
Sulpicius aut Scevola alias ve qui his successerunt iurisconsultorum
torum tam scite ac perfecte diffinire te docuit: 'fiduciam pro
animi fortitudine usurpari a sanis', idest a tui dissimilibus? An
cum imperator in militibus, negotiator in pecuniis, mulier in
forma fiduciam habet (sicut tu in mendaciis qui sunt milites tui,
in furtis que sunt pecunie tue, in dolis que est formositas tua)
animi fortitudinem habere dicetur? Minime. Quia maior etiam
sine his, quam cum his fuerit animi fortitudo. Nec tu fortis
fuisti, qui tantam fiduciam habuisti in tua malitia nunquam codicem
meum in manus meas reversurum. Ideo etiam quod sequitur,
quitur, ut ad tuum ordinem redeam, eadem fiducia depravasti.

1.7.

VII.

*«Res primo prospere ire, neminem predatoribus cum armis
obviam se ferre, pastores et eos raros ad primum incursum diffugere.*

'Ne hoc quidem tacebit Parmeno'. Est enim maximum
vitium et puerilis error. Que enim per nominativum casum efferre

[Page 44]

debuisti ea contra per accusativum protulisti. Sic enim latine
dicendum fuit: 'Res enim primo,' » et cetera. Finxisse
saltem rem apud eos qui legerent credibilem. Taceo quod istud
ipsum ego precepi, debere nominativum dari huiusmodi infinito
quod vim habet imperfecti temporis indicativi, quod, ante Priscianum
Diomedemque ac ceteros grammaticos, Quintilianus,
quem prope ad verbum teneo, de figuris verborum tradiderat;
desinam cetera de coniectura loqui. Nonne plus decies isto
loquendi modo in ipsis historiarum libris usus sum? Mentior
nisi tu,
barbaro potito stultior,
ut ait Plautus, unum illorum locorum in alium usum repetisti,
'Nostri stupere, dolere', de quo posterius faciam mentionem.
Quod si hic somniculosa stultitia imperfectam orationem,
sicut proxime, reliquisti, cum ita a me scribatur 'diffugere vident',
id ego cordi tuo aut cerebro vitiato attribuo. Nisi, quo
tecum minus acerbe agam, incuriosius verba mea collegeras ad
reprehensionem, et in hoc et in superiore loco, que postea, recuperato
cuperato a me codice, cum illo tibi conferre non licuit. Sin,

quod verius est, malitia, optorto te collo in iudicium traho et apud Paulum iurisconsultum convenio. Itaque velut ad presentem Paulum ac iudicem loqui volo. Scribis, Paule, ad legem Aquiliam corrupisse tabulas recte dici et qui eas interleverit: possum ne contra Fatuum agere actione falsi, qui huius testamenti mei tabulas clausi atque signati non modo aperuit, sed etiam falso transcripsit, parte verborum omissa? Interlevisse quidni dicendus est qui idem vitii tabulis imposuit quod qui interlevit? Nisi fallor, falsi te Paulus, ni fatuitatem excuses, omnibus bonis approbantibus condemnaret, cum presertim idem

[Page 45]

scribat libro quarto in Sententiis: ‘Lege Cornelia testamentaria tenetur qui testamentum quodque aliud instrumentum falsum, sciens, dolose scripserit, recitaverit, subiecerit, suppresserit, admoverit, resignaverit, deleverit’; nam hoc tu meum vel instrumentum, vel testamentum saltem falso doloseque recitasti. Atque iterum ait: ‘Qui rationes, acta, libellos, album propositum, testationes, cautiones, chirographas epistolas, sciens, dolo malo in fraudem alterius deleverit, mutaverit, subiecerit, subscripserit, falsi pena coeretur’; huius tu criminis manifestus es. Ut hoc loco falsarius, ita in sequentibus ineptissimus extitisti.

«*Tubicines autem cum fremitus hostium ac tumultum misceri cepisset.*

Ego semper hic ‘tumultus’ masculino genere legi, tu vero ubi hoc ‘tumultum’ reppereris nescio: sed illud magis puto somniaveris.» Cur tute ipse, diligentie magister, in eo exemplari quod recognovisti et manu tua emendasti, quod nunc penes me est, te licet invito, non emendasti illud in quarta invectiva, sive tuum, sive librarii vitium: ‘Mihiquoque persuadeo quamvis multa correpsérím?’ cum scribendum fuerit ‘correxerím’ illudque a ‘correpo’ veniat, hoc a ‘corrigo’, nisi pro ‘corripuerím’ posuisti ‘correpserím’. Verum hic forte magis abs te ipso peccatum est quam a manu oculoque erratum. Queramus aliquid similius nostro. Inquis in secunda invectiva: ‘Miserando conspecto’. Ubi abs te invicem quero, ubi gentium ‘conspectum’ generis neutri inveneris? Aut, si masculini vis esse, ubi secunde declinationis? Quam inscitiam, et si inscitus es, cadere in te non existimo, sed librarii incuria accidisse, aut forsitan tua, duntaxat errante manu oculoque, non animo, quemadmodum interdum lingua fit. Quod non modo cuilibet frequenter usu venit, sed etiam Ciceroni legimus accidere solitum

[Page 46]

ideoque scripta sua illum Tironi liberto relegenda fere tradidisse admonitum forte aliquo huiusmodi errato quale est quod in prima contra Verrem actione, intra primos statim versus, ut Pedianus notat, admisit solecismum, inquiens: ‘Siquis iudices aut eorum qui adsunt forte mirantur me qui tot annos in causis iudiciisque publicis ita sim versatus ut defenderim multos, leserim neminem, repente mutata voluntate ad accusandum descenderim’, cum dicere deberet ‘ad accusandum descendisse’. Quod si huiusmodi error in tantos viros cadit, non ignorantia, quod absit, sed securitate quadam, ut in loco perfaci, quanto tolerabilius erit in librario celeriter scribente et in me celerius legente? presertim facilis occasione mutandi ultimam litteram dictionis precedentis in eam a qua inciperet sequens, quod est usitatissimum, ut in tuis verbis finiendi eadem vocali substantivum qua suum adiectivum sibi iunctum finiebatur. Quo fit ut si vis me tibi cuiusdam dare veniam, des invicem mihi tu mei, siquod meum est, dum intelligas multo te stultius in hoc labi, qui scias tua scripta in manus adversarii ventura et illum in tali genere insecteris, quam me qui prima deformatum opus manu ei viro privatum ostendi cuius sapientiam, non elegantiam multam sciebam. Illud, autem, librario aut incurie quod plane obsoletum et barbarum est assignare non potes, in quo non semel laberis, quod subiunctivum ponis pro indicativo:

'Sed illud puto magis somniaveris', quod dicere debebas
'somniasti' (nam nemo aliter locutus est), aut adiecta coniunctione
'puto quod somniaveris'. Sed ut suspicor cum hec dices
vere somniabas. At etiam pergis ad ineptias.

«*Per id tempus temptata*. Ubique hoc participium per **m**
et **p** litteras scribis, nescius illud non a 'temno', sed a 'teneo'
duci, quod supinum facit 'tentum' per **n** solam; sic etiam 'tento'

[Page 47]

absque **p** scribi debet, quod ipsa verbi significatio demonstrat.

Tentare enim experiri est, vel inquirere et verbo vel re quasi
manu tenere. Cicero in Paradoxis: Tentare volui an ita dici
possent ut probarentur'; idem in Officiis: Tentata res est ab
omni genere hominum'. Virgilius in II Eneidos:

vix primi prelia tentant
portarum vigiles.

Idem in IV:

Tentaturum aditus et que mollissima fandi
tempora.

Nam si a 'temno' veniret, spernere utique, non experiri aut
exquirere significaret.» Si velim huius nebulonis (cum de
hoc dico, de Panormita etiam dico) vitia in scribendo persequi,
rem faciam legentibus odiosam. Unum tantum dixerim: qui
greca ignorant, ut isti duo, eos nequaquam posse recte scribere
duntaxat ex se. Affert mihi opinionis sue hic et rationes et
exempla: ad utrumque respondebo. Ais a 'teneo' fieri 'tento'
eiusque me verbi participium semper (quasi nunquam nisi participio
utar) scribere per **p** et per consequens cum **m**, que littera
non est in 'teneo' unde formari frequentativum hoc significatio
ipsa demonstret, que est experior et inquirio. O simia, quid
magis contrarium quam experiri sive inquirere et manu tenere?
Quod inquirimus non tenemus, manu presertim, et quod tenemus
minime inquirimus. Ut amator Clinia apud Terentium,
cum peregre ad amicam redisset, inquit:
teneo te, Antiphila mea,
hoc est non inquiero te amplius; et Livius, capto a Sabinis Capitolio,
inquit: 'Tenuere arcem Sabini'. Sed quid in solem
lychnorum lumen inferimus? At exempla tecum faciunt? Immo
vero mecum. Per **p** enim et **m** scripta sunt. Negas? Et ipse
invicem nego sine **p** et **m** esse scripta, ut intelligas te aperte nihil
aliud quam simiam esse, qui auctores pro librariis in testimonium

[Page 48]

citas et voce uteris, cum sit oculus opus. Siquidem
exhibenda sunt vetera exemplaria quibus, si emendate in ceteris
scripta sunt, in hoc fidem habeamus: quorum ego multa vidi
et fere omnia cum mea opinione facere. Adeo his diebus Virdecem
exemplaria vetuste littere inspeximus, in quibus erat
cum in istis ipsis versibus, tum in ceteris scriptum **p** littera.
Et tu, mendacio patre genitus, audes mihi inculcare exempla
tanquam tecum facientia. Confutatis obiectis, ostendam
tibi, magister sapientissime, si sine **p**scribendum sit 'tento',
aliam longe meliorem reddi potuisse rationem que sese ingerit
oculis nostris, tibi uni velut ceco obscuram. 'Tendo' certe facit
'tentum', unde 'tentigo', familiare Panormite nomen, et 'tentorium'
et eius composita, 'intendo', 'intentum', unde intenti
nervi vel cithararum vel arcuum; 'extendo', 'extentum', ut Virgilius
et si quem extenta plagarum
quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui;
'contendo', 'contentum', unde apud Ciceronem: 'Contenta
voce dicendum'; 'pretendo', 'pretentum', ut Virgilius:
pretentaque litora velis;
'ostendo', 'ostentum', unde 'hoc ostentum'; 'portendo', 'portentum',
unde 'hoc portentum'; cum haud dubie 'intineo', 'extineo',
'pretineo', 'ostineo', 'portineo' non dicitur. Erit igitur
'tento' a 'tendo' et ab eius compositis sua derivativa 'intento',
'pretento', 'ostento' et si qua sunt alia, que a 'teneo' venire non
nisi simia dixerit. Astipulatur huicquoque analogie verbi
ipsius significatio. Qui enim tentat quasi manum tendit aut
aliam corporis partem in id quod experiri vult et exquirere. He
mihi rationes cum forent probe note, melior tamen ea visa est

que probat hoc verbum per **p** scribendum, quam probabo non qualibus tu exemplis. Etenim qui temptant quodammodo temnunt, audendo, experiendo, nec refugiendo, quod ipsa exempla tua et cetera omnia confitentur: temptare enim prelia et aditus

[Page 49]

et similia prope est contemnere harum rerum periculum. Et si nonnihil fortassis ab origine sua obliquatur significatio, ut fit in 'tracto', quod a 'traho', in 'nuto', quod a 'nuo', in 'delecto', quod a 'deligo' venit. Sed exempla rem magis patefacient, quibus distinguentur frequentativa a 'temno' et 'tendo', vel potius a 'temno' et 'teneo', de quo nostra est controversia. Plinius, De naturali historia, libro nono: 'In eodem genere coclee aquatiles terrestresque exserentes se domicilio binaque ceu cornua protendentes contrahentesque. Oculis carent ideoque corniculis pretemptant iter.' A 'tempio' hoc verbum componitur et a 'temno' venit, non a 'tendo', quia cornicula pretenduntur, non iter. Quintilianus: 'Vestigia plura semper errantium que non valent suspensis pretemptatisque gressibus librare corpus.' Gressusquoque non pretenduntur, sed pedes ut faciant gressus. Et hec de 'temno' et 'tendo'. Audi apertius de 'temno' et 'teneo'. Horum alterius compositum 'retineo' facit frequentativum 'retento', cuius aperta significatio est, ut apud Virgilium pars corpore tarda retentat.

Qualis nequaquam est in illo Ovidiano
Officioque pedum nymphae contenta duorum
erigitur metuitque loqui, ne more iuvence
mugiat et timide verba intermissa retemptat.
Et iterum:
Concidit et digitis morientibus illa retemptat
fila lyre casuque fuit miserabile carmen.
Addis alia magis inepta.
«*Supter dextrum femur.* 'Supter' per **p** enuntias, quod per **b** apud veteres scribitur et apud eruditos etatis nostre.»
Quos tandem veteres? Eos ne quos superius ementitus es? At in eorundem libris lego 'optinet', 'optutus' et similia et in multis 'suptus'. Ergo non aliter apud veteres scribitur, licet tu,

[Page 50]

ut es hebes, dicas a me enuntiari alia littera dictionem hanc, quasi sic enuntiaverim, non scripserim. Scripsi itaque magis belle dictionem hanc sine **b** quam tu illam cum **b** in principio prime invective, 'substinui', cum **b** redundet quod necessarium est in 'substitui'. Transeo quod 'sustinui' pro 'continui' accipis; ita enim inquis: 'Meque substinui ad hunc diem ne quid omnino in te scriberem.' De hac ipsa re post duo capitula iterum me reprehendis, tanquam magnum fuerit hec duo loca coniungere, quod ego pro te faciam:

«*Quos dux ipse putavit supticendos
ego quoque supticebo.*

Tu utrunque per **p** litteram, Teutonicorum more, ego vero per **b**, antiquorum more, enuntiandum puto, quem errorem ubique servas. 'Sub' enim quando componitur cum dictione incipiente a **c**, vel **f**, vel **g**, vel **m**, vel **p**, in eas transit litteras, ut 'succino', 'sufficio', 'suggero', 'summitto', 'suppeto'; in reliquis vero manet integra, auctore Prisciano. Sic dicimus 'subblandior', 'subduco', 'subiocio' et 'subtraho', licet Quintilianus dicat **b** sequente **t** sonum habere **p**, quod non debet mirum videri, cum Caius, Cneus et Amurca, ut placet Servio, quamvis per **c** littera scribantur, tamen per **g** proferri debeant! Sperasti te mihi contumeliam facturum ex teutonice gentis similitudine, quasi deforme sit aliquid cum illis simile habere. At ego tibi apud illos invidiam conflabo. Existat igitur ex eis aliquis qui te calumniatorem ut barbarum reprehendat, tum que servari, quod vitium nullus unquam teutonicus admisit, cum error non dicatur servari, sed admitti vel non vitari. Quid ais teutomcorum accusator? Ego ne cum teutonicis barbare

scribo. Ergo Quintilianum quoque barbarum facis, qui idem et facit et precipit (non enim preciperet nisi faceret). At enim tu Quintiliani mentionem facis. Hoc stultius, hoc insanus, qui et tibi non constas et eum impugnas quem nolles impugnatum. Si Quintilianus hoc precipit, si ita esse non debet

[Page 51]

mirum videri, quid est quod me illius preceptum sequentem accusas, quem plurimi sequuntur, ut vetusta auctorum exemplaria indicant, si modo sequuntur hunc et non prius ita scriptitabatur? Et Priscianus cum ait 'scribo', 'nubo' similiaque mutare **b** in **p** in supino, euphonie gratia, velit nolit, idem debere fieri in ceteris confitetur, cum non plus loci habeat euphonia in 'scriptum', 'nuptum' quam in 'optineo' (quo exemplo Quintilianus utitur) aut in 'supticeo' (quo ego sum usus). Nam quod ais de Caius, Cneus, Amurca, fatua ratio est, quoniam de scribendi differentia agimus, non de proferendi. Nemo enim negat ista aliter proferri ac scribuntur, ut apud priscos etiam 'gemma', cum videlicet **g** littera carerent. Hic autem constat sic pronuntiandum esse ut scribitur: at quomodo sit scribendum, id est in controversia. Ego Quintilianum sequens dicentem magis audire aures illud **p** et sic scribendum quicquid ut sonat, preter illa vetusta, ut Caius et Cneus, per **p**, ut pronuntio, sic scribo, quod tu negas esse faciendum: immo pariter negas et ais adversariumque accusas et purgas in eadem re, quod nunquam fando est cognitum, calumniator et prevaricator. Quod tamen mihi causam scienti minime mirum est. Scripserat enim hic contra me cum **p** 'supter' 'supticeo' que scribentem, nulla Quintiliani mentione habita: quid ni? quem nunquam legit eoque nusquam eius alibi meminit. Is locus, cum eum Zonibus Tauromenitanus vir bonus et litterarum amator, qui Invectivas, rogatu auctorum, ad Ioannem Olzinam attulerat, me tunc Rome agente, legeret, illi notatus est ab adolescente quodam, quem ego, Romam proficiscens, per manus Ioanni tradideram, allataque Quintiliani auctoritas ex libro primo; ab illo enim, quod ab his reprehenderetur, pro arte tradi meque hoc preceptum ubique servare. Et Olzina se et precepti meminisse et usum in scribendo meum agnoscere confirmavit. Hec ubi Fatuus

[Page 52]

accepit, nec tollere reprehensionem volebat, ne perperam reprehendisse videretur, et me vulnerare duobus ictibus in 'supter' et 'supticeo' cupiebat et tamen tollere stultitie sue testimonium necesse habebat. Tandem fecit quod malivolus, quod pertinax, quod fatuis solet: iratorum infantium ritu, maluit inutile telum iacere in longe positum hostem, quam continere. Addidit itaque Quintiliani, ultimo loco, mentionem et in illo ipso codice qui legebatur, ad marginem, ut multi viderunt qui etiam sine adiectione viderant. At enim Priscianus hoc tradit. Nunquid te, quod illum imitere, reprehendo, ut tu me, quod Quintilianum, ut ostendi? Quod si de facto utriusque nostrum vis diudicari, uter maiorem in grammatica sequatur ducem, sic habeto Priscianum vix idoneum esse qui sit Quintiliani, velut Agamemnonis, aut Achillis, aut Aiacis Diomedis ve, aut Hectoris auriga, plusque hunc artis grammaticae, dum oratorem instituit, per transitum aperuisse quam ex suo ingenio illum omnibus suis libris, omni suo studio, omni sua etate.

1.8.

VIII. «*Cervicibus suis imminentem*. Male usus es ablativo casu: non enim hic locus imminet in capite meo, sed capiti meo dicimus, si grammatice loqui volumus.» Ergo et Livius male usus est parumque grammaticae, qui ait libro XXIII: ‘Non castris metuens sed ne urbis prodende occasionem nimis multis in eam imminentibus daret.’ Idem libro XXV: ‘Hanibal non Capuam neglectam neque ut in tanto discrimine desertos volebat socios, sed prospero ex temeritate unius romani ducis successu in alterius ducis exercitusque occasionem imminebat.’ Ergo non per solum dativum sic loquimur, sed etiam per accusativum. Accipe nunc etiam per ablativum. Idem libro XXXIII: ‘Nam Thaumagi a Pileis sinuque Maliaco per Lamiam eunti loco alto siti sunt in ipsis faucibus imminentes quas Coeclae vocant.’ Neque ab hoc differt illud Ciceronis in primo De natura deorum: Itaque imposuistis in cervicibus nostris sempiternum

[Page 53]

dominum, quem dies et noctes timeremus.’ Cuiusmodi multa sunt verba, quod genus ‘hereo’ (Virgilius: herent parietibus scale et tamen Curtius: ‘Herebat in tergis fugientium victor’ et Livius: ‘Et herente in ipsis visceribus utemur bello’), ‘incumbo’ (Virgilius: incubite remis; Cicero: ‘Pergite adolescentes et in hec studia in quibus estis incumbite’), ‘adsum’ (Quintilianus: ‘Adfuisse Ciceronem huic cause invenio’); M. Tullius: ‘Adfuit in his omnibus preliis Dolabella’), ‘ascribo’ (idem in Rullum: ‘Illum sibi collegam ascriventis’; at Pro Archia: ‘Cum fuerit in aliisquoque civitatibus ascriptus’). Hec autem ideo rettuli ut intelligat hic qui me grammaticae admonuit tale loquendi genus, quod ipse veluti insolens admiratur et corrigit, usitatissimum esse.

«*Excitabatur machina, duo de viginti carris imposita, proceram scalam sustinens.*

Tu qui grammaticus es et tot milia librorum evolvisti, ut dicis, profecto ignorare non debuisti ‘scalas’ singulari numero non proferri, sed plurali tantum, ut ‘minas’ et ‘kalendas’ dicimus. Salustius: ‘Postquam une atque altere scale comminute sunt, qui supersteterant afflicti sunt.’» Evolvisse multos libros, ut tu cavillaris, magis indicat, si sapis, me hoc alicubi repperisse, ut verum est tibique monstrabo, quam instruit accusationem tuam. Et tu hoc me vis ignorasse, non dico quod ipse tot libros non evolvisti; non dico quod hoc nescire non potui, qui scirem a Quintiliano sic scribi libro primo: ‘Scala tamen et scopula contraque ordea et mulsa, licet litterarum mutationem, detractionem, adiectionem habent, non

[Page 54]

alio vitiosa sunt quam quod pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur.’; non dico quod his verbis in Elegantiis scripsi: ‘Scala a quibusdam in singulari usurpatur. Salustius cum aliis quibusdam ostendit pluralem tantum habere, cum dixit in lugurthino: – Deinde ubi une atque altere comminute sunt scale, qui supersteterant afflicti sunt non dixit una atque altera’ (ex quo credibile est vos ingratissimos homines e meis istud fontibus hausisse); sed quod semper alibi ‘scalas’ pluraliter dixi, ubi de veris scalis loquebar quibus Ferdinandus oppida expugnavit. Planum igitur feci non ignoratione me usum singulariter ‘scala’, sed consilio. Quod meum consilium tum necessitas excusat, tum ratio sublevat, tum auctoritas probat. Ego enim si huiusmodi res esset narranda cuiusmodi illa salustiana, nimurum eodem modo quo Salustius, quo superius

ipse, dixisse. Nunc cum in speciem turris machinam describerem, reformidavi pluralem vocem, ne rei occaecarem intellectum, presertim memor me regi scribere qui nec ita teneret argutias lingue latine et sepenumero 'scalam' legisse; ob eamquoque rationem audacior quod Quintilianus non tam inauditum esse significat (nam audierat et legerat) quam inusitatum. An non 'ordea' legerat apud Virgilium aliasque multos? Nemoque reprehendere ausus est quia ratio constaret. Eadem lege nec ipse reprehendi debo, si facti mei ratio constet. Nec nullius secutus sum auctoritatem, tam et si nullum tu quidem tanquam parum, ut nunc loquimur, authenticum reiicere potes, qui tot milia librorum mihi lecta exprobrasti, non modo Ambrosium,

[Page 55]

Hieronymum, Cyprianum, Hilarium, Augustinum, sed ne incelestes quidem, unde in libro qui nomine Donati inscribitur legimus: 'Sentes et sarcine et scope et scale et in neutro sponsalia semper pluralia, sed nostri 'scalam' dixerunt.' Hoc adversus te magis maledicum in acie quam pugnacem satis erat; sed ceteris aliam probationem flagitantibus morem geram. Cornelius Celsus, qui prior Quintiliano fuit, simili quadam causa qua ego fortassis singulari usus est, libro vni: 'At si vastius corpus, nervi corium ve robustiores sunt, necessaria est scala lignea et que crassitudinem duorum digitorum habet, longitudinem ab ala ad digitos perveniat' et paulo post de maiore scala inquit: 'Si brachium deligatum super scale gallinarie

[Page 56]

gradum tranatur.' Romanus Aquila, De schematibus: 'Climax quod Greci vocant, ascensus nominatur a nobis: malo enim ascensus, quam scalam aut gradiculos, ut quidam, dicere.' His verbis hic antiquus sane scriptor et 'scalam' a quibusdam vetustioribus dictam testatur, nec latine dici negat, sed apte quoconque in numero respondere greco, alioquin numerum mutasset, non nomen. De veris scalis Caius apud Iustinianum, libro XLVII de furtis, sic inquit: 'Qui ferramenta sciens commodaverit ad effrigendum hostium vel armarium, vel scalam commodaverit ad ascendendum.' Et postea se ait Panormita iurisperit et doctorem, cum hunc ex iure locum nesciat, qui sibi deberet esse notissimus homini ut spurcissimo, sic furacissimo. Siquidem in omni Italie urbe ubicunque pedem posuit, vestigia furtorum suorum ac sordium, ut harpyia quedam, reliquit (de re libraria loquor), etiam ubi pedem non posuit, quod ne harpye quidem fecerunt. Testis est oratio Guarini ad regem missa in qua contra hunc ceu contra alterum Verrem invehitur. Sed non est quod miremur ista ab eo ignorari: a Sigismundo enim tabulas habet ut sit iuris doctor ac poeta, non secus ac si quod medicus et vir bonus sit tabulas haberet, quas eque facile impetrasset; verum si me audiet eas

[Page 57]

sibi pariter indulgendas curabit, quibus eum talem esse credamus.
«*Ut stante intra intimam fossam machina procumbens scala.* Rursum indocte in superius vitium incidisti. Nam 'procumbentes scale', non 'procumbens scala' dicendum fuit.» Quid igitur censes? Alibi singulariter, alibi pluraliter eandem rem dicere debui? Fatue, non vides si recte dici singulariter puto, non esse causam cur ab ea quam probo via deflectam, ne inconstans et sim et videar? Simile quiddam superiusquoque fecisti, cum de 'supticendos' et 'supticebo' dixisti: «Tu utrunque per p, ego per b enuntiandum puto», quasi hec essent pro diversis verbis habenda.
«*Horum incole circiter ad tria milia.* Non 'circiter ad tria milia', sed vel 'circiter tria milia', vel 'ad tria milia' dicendum fuit, cum 'ad' et 'circiter' in historia idem significant.» Nonne in aliis locis posui 'circiter' sine 'ad' rursusque 'ad' sine 'circiter'? Eodem igitur modo duo idem significantia, cum alterum me putarem ponere, posui, quo illa 'pene fere oppressit'

et illud 'multa multa' et illud 'res non tam sagittis ac iaculis,
quam pilis iaculisque gerebatur' et alia multa que postea, recuperato
codice, deprehendi que tu non reprehendisti, id alioquin
faciendi cupidus, vel quod incuria quadam scribentis effusa
intelligeres, vel ob hoc quoque ne illa attingendo huius etiam
loci non ignorantia videretur, sed incuria. Etenim animus
de ipsa totius corporis compositione solicitus parva ista non

[Page 58]

respicit, frequenter aliter quam scriptum est legit: ita mens cum
utram harum prepositionum poneret cogitabat, manus ipsa inter
moras deliberandi posuit utrunque, quod postea oculus in
trascrus lectionis non annotavit duoque tanquam unum legit.
Sed profecto stultius hec veluti crimina reprehenduntur quam
committuntur.

«*Gnave acta opera*. Licet grammaticae regula 'gnave' adverbium
et 'ignave' dici velit, tamen 'gnaviter' et 'ignaviter',
sicut a 'firmus' 'firmiter', a 'durus, duri' 'duriter' usus tenuit,
euphonie, ut arbitror, idest aurium suavitati consulens.»
Ego vero, vir impudentissime, sic scripseram ut potius 'navata
opera' legi posset quam 'gnave acta opera', cum utrumque reperirem.
Nam varie scripta sunt Livii exemplaria libro primo;
quedam enim, quorum est unum quod fuit Petrarche, sic scripta
sunt: 'Exercentes nunc imperatorem, nunc gnave actam ab equite
operam, redeunt in castra', quedam sic: 'navatam ab equite
operam', certe nulla sic: 'gnaviter actam operam' in quem modum
iste me corrigit. Neque vero attinet disputare de
'gnave' et 'ignave', 'naviter' et 'ignaviter', cum Nonius Marcellus
in veterum indagine de adverbii indiscretis loquens, que
in **e** et in **er** exeunt, dicat 'humaniter', 'parciter', 'insaniter',
'ignaviter' et de hoc ultimo, tanquam minus usitato, exemplum
Lucilii afferat: tantum miror hunc non Nonium, sed novum
Marcellum conari hoc probare similibus exemplis que contra
ipsum faciunt. An non a 'firmus' fit adverbium 'firme'? Cicero,
Pro Archia: 'Que firme a me iudicative consuetudine de
hominibus ingenio et communiter de ipsius studio.' Plinius ad
Uisum respondit: 'Fronto Catius graviter et firme.' Que exempla

[Page 59]

sunt plurima. Nec pauciora de 'dure'. Quintilianus in
primo: 'Dure videtur struxisse Pacuvius.' Ex quo illud consequens
est, cum falso proposuerit, rationem quoque ruere quam
subiecit. Nihil enim in his adverbis factum est euphonie causa;
et alioquin quid suavius est in hac voce 'firmiter', 'duriter',
quam in illa 'firme', 'dure'? Verum quid disputo, de quo
pronuntiatum est? Diomedes grammaticus, haud scio an ut
prior sic maior Prisciano, de hac utraque questione sententiam
fert, inquiens: 'Quedam nomina in us terminata, que ex se bina
adverbia faciunt, ut est veterum auctoritas: transit enim in
quibusdam rationem et aliter ipsa enuntiat, aliter consuetudo
usurpat; nam 'navus' 'naviter' dicunt, quod nos 'nave', item
'duriter', quod nos 'dure', 'largiter', quod nos 'large'.' Quod
si, ut Diomedes ait, mutatum est 'naviter' in 'nave' et 'duriter'
in 'dure', ergo si euphoniam sequimur, suavius quiddam est
in posteriore voce quam in priore. Dixi suavius in voce, non ut
hic suavium liguritor qui suavitatem ponit in auribus, non in
voce, cum dicere debuerit 'aurium voluptati consulens': ita
enim Cicero ait (quem imitari voluit in Oratore, si modo hunc
librum legit): 'Sed consuetudini auribus indulgenti obsequor'
et statim post: 'Impetratum est a consuetudine ut peccare suavitatis
causa liceret' et in eodem loco: 'Voluptati aurium morigerari
debet oratio.' Et quoniam de euphonia loquimur,
velim tecum recognoscas quid inter meum Quintilianum et
tuum Priscianum, si tuus est quem ignoras, intersit in hoc grammaticae
vocabulo. Ille uno verbo transtulit 'vocalitas', hic, velut
fastidiens munitam ab altero viam, transtulit duobus 'bona sonoritas':
in qua interpretatione primum vitium est quod unum
nomen in frusta divisit, et si grece eucptovia ex duobus constat,
tamen aliud est esse duo nomina invicem distincta, aliud duo
que in unum coaluerint et laus lingue latine est grecam proprietatem

gratiamque in transferendo vel equare, vel, quod optabilius est, antecellere. Deinde cum vox dicatur ????, potius quam sonus qui dicitur ?????, maluit a ‘sono’, qui non solius oris est, quam a ‘voce’ que ab Aristotele propria oris esse censetur, postremo a ‘sonorus’, quo vehementia soni significatur, deducere, quod dictu absonum est. At vocalitas suavem quandam et plenam ex ore in auribus sedentem significat vocabuli appellationem.

«*Et principio quidem cuniculi uni erant.* Et hocquoque ex illa tua laurentiana grammatica depromptum est, qui ignoras non posse dici ‘unos cuniculos’ cum ‘cuniculum’ singulari numero dicamus. Vegetius: ‘Inventum est remedium per noctem sub fundamentis muri cuniculum fodi’. Item alibi: ‘Aliud genus expugnationis supterraneum atque secretum quod cuniculum vocant a leporibus, qui cavernas sub terris fodiunt, ibique conduntur.’ Sic et Cesar, sic Curtius.» Subiicisque horum tria exempla in numero singulare, o lepus atque cunicule cavernarum amator. Nunquid non in plurali reperitur hoc nomen? Ut Cicero, tertio Officiorum: ‘Si pater cuniculos agat ad erarium, iudicabit ne filius?’ Et alibi milies. At ‘unum cuniculum’ dicere debui, non ‘unos’, cum sit huic nomini numerus singularis. Reprehendisses isto modo, talpa, non cunicule, qui talpinos oculos habes ignorantie membrana obductos, ad quod tibi respondere poteram me sic dixisse ‘unos cuniculos’ pro ‘unum’, ut ‘binos scyphos’ pro ‘duos’ et ‘utrosque’ pro ‘utrunque’ et ‘une’ pro ‘una’ M. Tullius, qui in Verrem sexta sic ait: ‘Scyphos binos habebam, iubeo promi utrosque’ et alibi: ‘Duplices similitudines esse debent, une rerum, altere verborum.’ Sed simpliciter et ut res est potius respondebo me sic dixisse unos cuniculos’ ut Titus Livius ‘binos’: neque enim

dicerentur bini, nisi dici possent uni; erant enim duo capita cuniculorum, sed introrsum ipsi cuniculi multiplices. Itaque non unus sed uni necessario mihi dicendum fuit.

«*Ideoque inter eos reges fere convenit veluti conspiratos et inter se amant.*

Si grammaticus esses non utique ‘conspiratos’, sed ‘conspirantes’ dixisses. Non enim a ‘conspiror’, quod deponens non invenio, sed a ‘conspiro’ neutro ‘conspirans’ fit, cuius simplex neutrum est, non activum.» Tria in se tua habet oratio: unum quo negas hanc vocem ‘conspiratus’ inveniri; alterum quo docere vis cur non inveniatur quia a ‘conspiror’ deponenti fieret, quod non invenitur, non a ‘conspiro’ neutro; tertium quo rationem hanc alia ratione fulcis, ideo ‘conspiro’ esse, quia suum simplex ‘spiro’ sit neutrum. In his confutandis ordinem retroagam et quasi telam retexam more Penelopes. Ais quale ‘spiro’ est talia esse sua composita ideoque cum neutrum sit, eiusmodi et illa esse. Transeo cetera quibus mutantur a simplicibus composita. Nonne a ‘venio’ neutro et quidem absoluto fit ‘invenio’ activum? a ‘vado’ ‘invado’, a ‘crepo’ ‘increpo’? et ne longius evager, a ‘flo’, quod huic quo de agimus simillimum est, fit ‘inflo’ et ‘inflor’? Non est igitur quod mireris a simplici neutro fieri compositum activum, sicut e contrario ab activo fit neutrum, ut a ‘rumpo’ ‘erumpo’, a ‘mergo’ ‘emergo’. Hic tu mihi, quod ad secundam pertinet questionem, respondebis ab his verbis formari participia passive significationis, ‘inventus’, ‘invasus’, ‘increpitus’, non, ut a me fit, active, quod proprium est deponentium, quia a voce neutrali, sive activa non fit vox participii passivi activa significatione. Ita ne? Unde igitur fit ‘exoletus’, quo genere hominum Panormita delectatur, te, ut aiunt, subserviente? unde ‘adultus’? unde ‘complacitus’? unde ‘fluxa gloria’? Nonne ab ‘exoleo’, sive, ut Prisciano placet, ab ‘adolesco’, sive ‘adoleo’? a ‘complaceo’? a ‘veterasco’? a ‘fluo’? Unde, ut proprius veniam, ‘coniurati’? Nonne a ‘coniuro’, sicut ‘iurati’ et ‘iniurati’ a ‘iuro’?

Cicero: 'Si predonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem non feceris.' Et in eodem loco: 'Actius: iuravi lingua, mentem iniuratam fero.' Livius: 'Adeo ignavissimos hostes magis timetis quam Iovem Martemque per quos iurastis? At ego iniuratus aut victor revertar aut prope te hic, Quinte Fabi, dimicans cadam.' De 'coniurare' et 'coniuratis' supervacuum est afferre exempla.
Quare si ex 'coniuro' dicuntur 'coniurati,' quid est quod mirere 'conspiratos' fieri a 'conspiro'? Nam quod aīs 'conspirantes' fuisse dicendum, tum non est ratio, nisi 'conspiratos' probes ratione dici non posse, tum stultissima ratio, quia ista voce significantur qui conspirant, ut coniurantes qui coniurant nunc, non qui coniuraverant. At ego de iis loquor qui coniuraverunt: quos quo nomine dicemus? nonne 'conspiratos'? ut eos qui coniuravere 'coniuratos'. Vides ut rationes tuas confuto doceo que me grammaticum esse, non te. At enim inquis me exemplis defici. Accipe igitur me non modo grammaticē, sed latine quoque locutum. Suetonius in Vita Cesaris sic ait: 'Assidentem conspirati specie officii circumsteterunt' et in Neronis: 'Multā et inania, verum non abhorrentia a natura sua creditur destinasse: successores percussorum summittere exercitus et provincias regentibus quasi conspiratis' et in Galbe: 'Sed extractis rumoribus falsis, quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissiparant' et in Domitiani: 'Cunctantibus conspiratis quando et quomodo, idest lavantem ne an cenantem aggrederentur.'

«*In castra versus*. Nunquam apud historicos repperi huiusmodi barbariem, sed vel 'versus castra', vel 'ad castra versus', vel in castra' sepius, et hoc vitio uteris pene omnibus in locis, ignarus quam vim habeant he prepositiones.» Si historicos non omnes legisti, quid mirum apud eos te non repperisse? Sed mentiris: repperisti; verum non cuiuslibet est venam auri repartam

intelligere. Prius tamen quam pro me respondeam, idest ubi repperi ostendam, volo correctionem tuam correctoris more rimari. Iamprimum, quem auctorem habes latine dici 'versus castra', cum semper post ponatur 'versus', ut 'tenus', quemadmodum in Elegantiis tradidi? Ad hec, quis te docuit ita magnam differentiam esse inter 'eo in castra' vel 'eo in urbem' et 'eo ad castra' vel 'eo ad urbem', ut mihi id exiguum cerebelli quod tibi erat propter odium invidiamque profligare videaris? Cum ad hec responderis, opinionem cuius sequaris indicato, qui vis 'versus' esse prepositionem, num Donati? num Servii? num Prisciani? Non potes id dicere. Ergo stultitiam tuam secutus es que facit ut dicas me non 'admittere vitium', sed 'illo uti'. Quod siquando dicitur quis uti vitio, id fit cum de industria facit, nec in voce peccat, sed rei vitio vult uti, quale est quod philosophi rhetoricae criminantur uti vitiis, utputa affectibus quos vicia censem. Audi itaque quid inquit Priscianus: 'Orientem versum et occidentem versum, utroque versum: hec enim composita esse videntur, cum sub uno accentu proferantur; melius tamen dicemus quod inclinant supra posita nomina' et iterum postea: 'Sunt quedam unam loci significationem habentia, que est ad locum, ut 'horsum', 'seorsum', 'deorsum', 'sursum', 'sinistrorum', 'dextrorum'. Similiter adverbia ostenduntur composita, nisi dicamus quod 'versus' inclinat sibi supra posita nomina.' Nunc pro me tibi cum Cicerone respondeo, quem non minoris quam historicum facies, qui in Lelio ait: 'Qui primus in forum versus instituit agere cum populo'. An dices 'versus' participium esse? Accipe de femina dictum, ut adverbium scias esse, accipe ex historico, accipe ex maximo, accipe ex tibi lecto, accipe ex huius libro primo, ut fatearis te aurum quidem invenisse, sed aliud putasse. Livius igitur inquit: 'Ex superiore parte edium in novam viam versus (habitabat enim rex ad Iovis Statoris edem) populum Tanaquil alloquitur'. Cornelius quoque Celsus, libro sexto: Super

eam homo delegatur in id latus versus cuius auris commodo laborat'. Sed nullum profecto fuerit accommodatus exemplum quam illud Plinii de corvo sutoris examinato per invidiam domini ab altero suture vicino (quandoquidem cum gente mihi sutoria res est). Ita enim ait: 'Is mature sermoni assuefactus, omnibus matutinis evolans in rostra in forum versus Tiberium, dein Germanicum et Drusum Cesares nominatim, mox transeuntem populum romanum salutabat'. Barbari ne igitur Cicero, Livius, Celsus, Plinius existimandi sunt? cumque iis Laurentius, qui illos est secutus auctores? An vos uterque barbarissimi, quos intra quatuor versus sepius quam quater peccasse convinco? Quo magis audebo hoc elegantie preceptum tradere: cum urbium aut regionum nominibus circa prepositiones utendum hoc adverbio, ut 'Megaram versus', 'Italianam versus', cum ceteris adiuncta prepositione, ut 'in viam versus', 'in forum versus'.

1.9.

IX. «Hactenus de latinitate dictum sit. Potest enim satis intellegi ac iudicari ex his qualis grammaticus sis, qui te in ea re Prisciano superiorem putas.» Dummodo non dicas me ullo in loco me ipsum superiorem aut parem Prisciano fecisse, non labore quod ais me ita de me sentire. Nam de alieno animo ut improbo quempiam iudicare, apud eos quibus non probat magis declarat suam quam alterius improbitatem.
 «Nunc explanationem, que est altera elegantie pars, spectemus.» Nescio an lectores te accusaturum vitia mea, an tua potius audituros se arbitrentur, cum nullum meum hactenus, plurima tua audierint.

«*Tres libri historiarum Ferdinandi que gessit.* Crassus prolecto et supinus error hic est, nec ferendus in eo homine qui historiam velit scribere. Neque enim 'historiam geri' dicimus, cum nusquam usitatum est, cum 'historiam scribi', 'res' autem vel 'bella geri' dicimus, ut historiographi sit historiam scribere, imperatoris vero rem gerere.» Rem ineptam inepta ratione, ineptis verbis frequentat atque onerat. Quid ineptius quam credere me sensisse historiam gestam esse a Ferdinando? Ex quo aliud etiam, quod superius obiciebat, confutatur: relativum non referri ad historias, que non geruntur, sed gesta memorant. Deinde, hoc ut probet, replicat et inculcat sepius eundem sensum, delectatus greco nomine quod idem significat quod scriptor historie, cuius hominis ait proprium esse historiam scribere, quasi hoc non ipso nomine greco declaretur.
 Ait quoque 'nusquam usitatum', pro eo quod est 'nusquam inventum': non enim an hoc usitatum sit querendum est, sed, quod satis mihi esse deberet, an usquam inventum, si id ego sentirem quod hic mihi Fatus obiicit.
 «*Et cum ceteris aliis.* Nunquam, bone vir, hoc sermone usos bonos auctores invenies. Nam 'ceteri' et 'alii' nihil differunt, cum 'ceteri omnes' et 'ceteris omnibus' apud Livium frequentissimum sit.» Per ironiam compellas me virum bonum, quasi vero si in verbi proprietate lapsus fuero viri boni nomen amittam, vir gravissime ac modestissime, ut et ipse ironice loquar, atque adeo vir sincerissime, qui pro 'certis' maluisti legere 'ceteris', propter ambiguum scripture, ob apicem illum quo 'certis' et 'ceteris' abbreviari solet. Poteram autem multo facilius ego defendere dici posse 'aliis ceteris', ut ex Actibus Apostolorum: 'Et ceteros alios in tabulis ferebant', quam tu probare aut hec duo idem esse, aut illa duo idem non esse que tu

pro diversis exemplis protulisti, 'ceteri omnes' et 'ceteris omnibus'. Sed malui te ut malum virum reprehendere, qui me bonum virum appellas.
 «*Alfonsi primigenii.* Hoc verbum novum est, quod, ut a

navi scopulus, sic a disertis hominibus fugiendum est. Id autem a Varrone, ut arbitror, sulfuratus es, sed verbi vim ac proprietatem non intellexisti: ille enim primigenia verba primarie positionis, idest a nullo derivata appellat, quod verbum in istum sensum nisi impudenter transferre non potes. Si ‘primogeniti’ dixisses, usitato, vulgari tamen et non eleganti vocabulo usus essem. Sed quis est tam verborum inops, te excepto, qui nesciat ‘primogenitum’ per circuitum honestius explicare? Cum illum vel ‘e regiis filiis natu maximum’, vel ‘maiores fratrum’, vel ‘inter regis liberos estate antecedentem’ dicere possimus. Sic et Cesar etc.» Subiicisque ex Cesare, ex Iustino, ex Licio exempla, quorum primus dixit ‘ex duobus filiis maior et ex duabus filiabus que estate antecedebat’, secundus ‘ex multis filiis maximus natu’, tertius ‘ex duobus filiis maior’. Ante omnia probatione affers preceptum Cesaris ex primo De analogia libro qui ait: ‘Tanquam scopulum fugiamus infrequens atque insolens verbum’, quod tu preceptum solita stultitia corrumpis, qui non de omni novo verbo, ut dicere volebas, sed de hoc solo fugiendo dixisti. Quid igitur? Est ne novum hoc verbum? Minime, tuo ipsius testimonio, O hominem mentecaptum, qui fateris a Varrone usurpatum. At enim non proprie sum usus, quia non in illum sum usus sensum: quasi vero non liceat significationem mutuari e proximo et quasi non aliter accipiatur hec dictio. Disce igitur quam vere sentias, quam vere reprehendas, quam

[Page 67]

apte contra me auctores afferas, postremo quam livianus sis, ut videri vis, quemadmodum Prisciani familiaris. Is, libro XXXIV, ait: ‘C. Scribonius et C. Domitius qui pretor urbanus eam dicavit. Et edem Fortune Primigenie in colle Quirinali dedicavit Q. Martius duumvir ad idipsum creatus.’ De hac ipsa Fortuna inquit Cicero De legibus: ‘Vel primigenia a gignendo’. Est ne hec significatio idem quod primitiva et primarie positionis et a nullo derivata a nulloque genita, an idem quod primogenita? Quid adeo parum studiosi estis, ut nec in priscis monumentis legeritis, nec apud libellos a quibusdam de huiusmodi vetustate confectos primigenius primigeniaque pro primo primaque liberorum? Nonne in alium sensum quam est ille Varronis Pompeius Festus, quem nonnunquam probationis loco affertis, exponit, inquiens: ‘Primigenius sulcus dicitur qui in condenda nova urbe tauro et vacca designationis causa imprimitur’? Habetis ergo contra vos precepta, exempla et eam quam pro vobis attulistis auctoritatem. At cur potius ‘primigenius’ quam ‘primogenitus’, quod usitatus erat, dicere malui? Profecto non eo fastidio quo vos putidi, qui ob id solum existimatis inelegans, quia apud solos ecclesiasticos reperitur, quos vulgares appellatis: quos si voluissem nunc imitari, forsitan carperetis quod non potius antiquitatem imitatus essem, quam semper videri vultis amplecti. Nam rationem certe ignoratis quam vos docebo. Discite a me quem vobis hostem effecistis: fas est et ab hoste doceri, quos etiam si nolitis docebo (non enim inimicus inimicis vobis, et si hostis sum, ut de malemeritis benemerear; quippe hoc dicere pro mea nunc defensione non cogor). Primum latina nomina cum componuntur non **o**, quod grecum est, sed **i** amant: ut enim illi dicunt ‘discophorus’, ‘pastophorium’, ‘theologus’, ‘sarcophagus’, ‘protomartyr’ et similia, quo de genere est ‘protonotarius’, ex priore parte grecum, ita nos ‘armiger’ ‘penniger’, ‘corniger’, ‘lucifer’, ‘auricomus’,

[Page 68]

‘sonipes’, ‘lapicida’ et que huic de quo agimus cognata sunt, ‘primipilus’, antiquum sane nomen, et ‘primicerius’, novum quidem aut ab ecclesiasticis inventum sed quo necessario utimur, et ‘unigenitus’, et ipsum recens durante adhuc vetusto ‘unicus’, dicimus, non ‘primopilus’, ‘primocerius’, ‘unogenitus’. Ergo nec ‘primogenitus’, sed ‘primigenitus’ ratio postulat, quod ad primam dictionem huius nominis ex qua compositum est pertinet. Deinde quod ad secundam, huiusmodi composita non gaudent participiis, ut ‘celicola’, ‘agricola’, ‘publicola’, non ‘celicolens’, ‘agricolens’, ‘publicolens’. Item ‘phebigena’, non ‘phebigenitus’, ‘nubigena’, non ‘nubigenitus’, ‘alienigena’, non

'alienigenitus', 'indigena', non 'indigenitus', qualia sunt apud grecos 'Hermogenes', 'Diogenes', 'progenes', 'antigenes'. Ex quo apparet dure componi 'primogenitus', nam 'primogenitus' videtur potius non componi, cuius fons grecus est ??????????; quod, ut questionem concludam, et latinius et, siquid aurum causa faciendum est, suavius iocundiusque transfertur 'primogenius' quam 'primogenitus', quale est illud e greco sumptum, 'Eugenius' 'Eugenia'que et apud Homerum 'Erigenia'. Verum sicuti scribens de rebus ecclesiasticis ac loquens fortassis ab istorum usu non recederem, ita nunc libuit rationem, auctoritatem, vetustatem, consuetudinem, suavitatem potius amplecti. Nam quid dicam de vestra circuitione, nequissimi circulatores? Nunquid inopia verborum id feci? quasi ullus sit qui ista verba ignoret. Quanquam me vere excepisti, qui mihi ignotum esse fateor de eodem homine dici posse 'e regis filiis natu maximum' et fratrum maiorem', quorum alterum desiderat plures fratres duobus, alterum respuit, prout in Elegantiis copiose disputavi. Quorum exemplorum nullum hic afferam, sed unum ex ecclesiasticis, quos me vos imitari iubetis, cum tamen imitandos esse nolitis, et potissimum ex Hieronymo, quem tu Fatuus carpere soles, tu Panormita perosus es, quendam vestri similem

[Page 69]

confutante: 'Si non est apostolus, tertius nescio quis Iacobus est putandus frater Domini, et quomodo tertius ad distinctionem maioris appellabitur minor, cum maior et minor non inter tres, sed inter duos soleat prebere distantiam?' Sed quid alia? Nonne superiora trium auctorum exempla que ipsi adversarii afferunt testantur de duobus dici maiorem, de tribus pluribus ve numero maximum?

«Ceteri multo plures sequentur». Nunquam hec duo coniuncta repperi, videlicet 'ceteri plures', nec sine vitio dici posse existimo. Melius si, prima dictione suptracta, illud tantum dixisses 'multo plures sequentur': nam hoc nomine nisi in rebus certis ac diffinitis non utimur. Nisi forte putas, si rex in senatu dicat: «unus loquatur, ceteri audiant», de absentibus etiam dici, vel de hisquoque qui nondum nati sunt. Cum igitur libri quos polliceris nondum a te scripti sint, 'ceteri plures sequentur' dicere vitiosum est.» Somniare mihi, non loqui videris, ista quam profers ratione et eo magis quod quid impugnes non liquet, fraudata meorum parte verborum que tamen extra historiam sunt in vacua illa, ut superius dixi, pagina, quorum hec ultima fuerunt:

'Ceteri de gestis ipsius Alfonsi multo plures sequentur.'

Que verba nunc iste cavillatur, quod a me nondum scripti sint libri, ideo non recte dici 'sequentur', quia nondum sequuntur. O vespertilio tenebris quam luce melius utens! Non 'sequuntur' dixi, sed 'sequentur', quanquam etiam si 'sequuntur' dixisset, quid vitii in sententia esset? quid absurditatis in verbo? quid rationis tibi ad illam propositionem quod 'ceteri' et 'plures' coniunxissem? Que tamen non male, ut tu male sentis, stultissimo stultior, ut ait Plautus, sed optime coniunxi meliusque multo quam tu dixisti pro 'definitis' 'diffinitis'. Nam quis vel perfectorum oratorum tale genus loquendi refugiat? 'Assunt tibi, rex, milites

[Page 70]

quos ad te ducendos provincia mea tradidit mihi; ceteri quos aliis ducibus commisit multo plures sequentur, vel sequuntur.' Sed que, malum, fames ista vestra est lacerandique aviditas, ut dentem in osse rodendo iuvet exercere? «Qui non tam preteritorum virorum gesta narrat. 'Preteritorum temporum', non 'preteritorum virorum' facta dicimus, sed 'maiorum nostrorum' vel 'antiquorum' vel 'veterum'.» Recte tu quidem, qui me doces quomodo dicere debui: nam

ista verba 'maiores', 'antiqui', 'veteres' aut exciderant mihi,
aut ignorabam. Sed vicissim discas etiam 'preteritos' dici posse,
verbis Suetonii in Titi vita: 'Cuncta preteritorum suorum monumenta
operibus ac templis destinavit' et Ciceronis in Bruto:

'Nam nec istos excellentes viros, nec multos alios prestantes
cives respublica perdidisset. Sileamus, inquam, Brute, de istis,
nec augeamus dolorem: nam et preteritorum recordatio est acerba
et acerbior expectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere
et tantum quid quisque dicendo potuerit, quoniam id querimus,
predicemus' et Victorini, que verba nostris similia sunt: 'Historia
gesta preteritorum continet.'

«*Hec nos in universum esse prefatos.* Apud elegantem
scriptorem, bonarum litterarum ignare, non 'in universum',
sed 'in genere' scriptum reperies.» Bone littere non habent
'in universum'? quas tu primoribus tantum labris degustasti,
superbissime indoctorum. Legisti Tacitum? Legisti Celsum?
Legisti Columellam? Dii boni, quos et quantos auctores! Legisti
iurisconsultos? Minime. Unde ergo nosti an ipse apud istos legerim?
Legisti Quintilianum? Senecam? Plinios? Dices te legisse.
At ego non legisse convincam. Quintilianus: 'Quare
singulis consilium ex propria ratione nascetur. Illud in universum
preceptum sit ut ab iis que ledunt, ad ea que prosunt refugiamus
et iterum: 'Ego in universum neque oratoris puto

[Page 71]

unquam prevaricari, neque item intelligo in qua pars utraque
idem velit.' Seneca, De naturalibus questionibus: 'Hec in universum
de ventis diximus.' Plinius, libro XVI: 'Nunc celeberrimis
arborum dictis quedam in universum de cunctis indicanda sunt'
et de eadem re libro sequenti: 'Ante omnia in universum et que
ad cuncta arborum genera pertinent in commune de celo terraque
dicemus' et in eodem: 'Et de arboribus quidem fructus
gratia serendis inserendisque in universum sunt dicta.' Vides
quot et quantos auctores tibi ignotos ostendo, alumno bonarum
litterarum, aut potius bonarum caprarum, cum tuo Panormita,
qui velim vicissim ostendatis quibus in litteris, aut
quibus in litoribus scriptum pro hac significatione legatis 'in
genere'.

«*Cum multum in prima, tum multo plus in posteriore parte.*
Quis te hoc modo loqui docuit, barbare, ut 'primum' et 'posterior'
correlativa facias? Hoc ne pueri quidem ignorant, grammaticae
rudimentis imbuti, 'primum' et 'postremum' vel 'secundum'
et item 'prius' et 'posterior' corresponsiva esse, non
autem 'primum' et 'posterior', si quis proprie loqui volet.»
Quid? si quis loqui proprie nolet, non erunt ista corresponsiva
et correlativa? Ubi tu hec tam propria, tam nitida, tam latina
vocabula comperisti, barbarie hostis, immo hospes? Ubi
etiam 'rudimentis' pro 'preceptis'? cum docti nomen hoc pro
principiis quibusdam accipiant, ut 'ponere rudimenta militie'.
Per hec probavi te barbarum esse, qui ex intima plebeii sermonis
fece vocabula hauris; nunc probabo me non talem esse.
Nam quid obest quin ita dicamus: 'Que continentur in
hoc primo libro ad posteriores etiam spectant'? Item: 'Instituo
heredes mihi nepotes ex filio: eum quidem qui primus nascetur,
quem nomine meo appellari volo, ex besse; qui autem posterior
ex triente; et si plures fuerint, ex equis portionibus.' Ac
ne aliunde que infinita sunt et obvia repetantur exempla, audi
quid de hac re precipientis in tertio de Elegantia libro dixi: 'Primi

[Page 72]

nos venimus, vos posteriores, ille ultimus; primus ego intravi
vallum, tu senior, illi tardissimi.' Ex quo nemo dubitare potest
me et recte et, quod maius quiddam est, de industria sic dixisse.

1.10.

X.

«*Filiam primigeniam, quod nomen proprium eius est cuius futura successio.*

Nunquam hoc tibi concessero, nisi probatum auctorem ostenderis, ut 'primigenia' appelletur ea ad quam regni successio pertinet. Quod si feceris, tibi homini indigno servire non recuso.» Si de vi vocabuli sentis, et si stultum erat iterum movere questionem, iam tibi satisfeci, idest meum mancipium es. Sin de re, nihil ad elegantiam. Tu tamen ostendi tibi auctorem postulas. Iterum dicam, si de usu vocabuli sentis, istud vero feci; sin de re, fatuum sit auctores citare. Cita, si libet, hispanos an apud eos qui que ve succedere speratur patri in regno et sit et vocetur 'primogenitus' 'primogenita' ve. Ego id quod a me exigis ostendi apud auctores 'primigeniam' inveniri. Quod cum ita sit, in servitutem te assero, quoniam ex prescriptis verbis mancipium meum effectus es, aut certe servitutem servire debes, quam si recusaveris tibi meo iure catenas iniiciam et frusta clamitantem in ergastulum vel adducam vel pertraham, mutato iam nunc nomine, ut servis assolet fieri, proque Bartholomeo voceris Ligurio.

«*Nihil obstante eo. Pedagogice sane ac vere laurentiane dictum! Quanto elegantius si dixisses 'ne illud obstat' vel 'nec illud impedit'.*» Elegantius, inquis, si dixissem: ergo non ineleganter dixi. Cur igitur, Fatue, reprehendis? Nec me, ut scias, solum reprehendis, sed prope omnes auctores. An non legisti apud Curtium: 'Quia quam alte penetrasset telum, lorica obstante non cognoverant.' Plura afferrem exempla siquam tua reprehensio preferret rationis speciem. Transeo in te, quod 'ne' pro 'hec' nullo exemplo dixisti.

[Page 73]

«*Rex aliquandiu cum prolem non sustulisset. Si non suscepérat ex uxore liberos, male a te dictum, cum 'tollere' 'enutrire' significet; si vero suscepérat, recte. Iuvenalis: tollere dulcem cogitat heredem.*

Terentius:

Quicquid peperisset decreverunt tollere.» Quid primum in Fatuo fatue dictum castigabo? cum in pauculis verbis tot peccata committat. Volo illud quod non tam exigue doctrine quam exigue prudentie est primum notare. Nam quis, huiusmodi criminis incertus, in iudicium quempiam vocavit? Si ais te occidisse hominem, cedis te accuso, sin negas, non oportuit te vocatum in iudicium neque tibi negocium exhibutum. O calumniator, O Fatue, cur me accusabas? An quod sperares reum, si negando posset elabi, crimen esse confessurum? Nec minoris que sequuntur imperitie, quam hoc imprudentie et impudentie. Unum, quod cum Nonius velit a 'fero' fieri preteritum 'sustuli', tu utique a 'tollo' fieri ais; alterum, idque multo gravius, quod ignoras 'tollere', sive 'sustulisse liberos' esse idem quod 'suscipere', sive 'suscepisse liberos', et, quo sit insignior imperitia tua, testimonium contra te profers et gladium quem in hostis pectore defigere vis temulenta manu in tuo defigis. Audi itaque quid de isto verbo in Elegantius tradidi: 'Sustuli filium, idest suscepi filium, item sustuli filium, idest educavi, et ab utroque fit sublatum, primum est a tollo, quod est capio, secundum a tollo pro educo.' Paulus: 'Tamen intelligendum est de iis legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaque si castratum libertum iureiurando quis adegerit, dicendum est non puniri patronum hac lege.' Et Quintilianus: 'Cupidus ego liberorum uxorem duxi, natum sustuli filium, educavi,

[Page 74]

in adulescentiam perduxo.' Aliud est igitur hic 'sustulisse' et 'educasse'. Et alibi: 'Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, sustulit nothum?' Ocio sum sit pluribus exemplis uti, que sunt infinita, cum suo ipsius testimonio confutetur: nam Iuvenalis de suscipiendo sentit herede, non de educando. Quis enim de herede qui filius sit educando deliberet, cum sit dives? Nam ita inquit:

Sed placet Ursidio lex Iulia, tollere dulcem cogitat heredem, caritrus turture magno mullorumque iubis et captatore macello.

Statimque post:

Quid fieri non posse putas, si iungitur ulla

Ursidio? si mechorum notissimus olim
stulta maritali iam porrigit ora capistro,
quem totiens texit perituri cista latini?

Quid quod et antiquis uxor de moribus illi
queritur? o medici, medium pertundite venam!

In quibus versibus Iuvenalis ait Ursidium, tanquam placeret
sibi lex Iulia de adulteriis, desistere velle de hoc crimine
et ducere uxorem procreandorum liberorum gratia. Certe Alexander
ex uxore liberos non educaverat, atqui apud Curtium
ait: Ego ipse Ortoxartis Perse filiam mecum matrimonio iunxi,
non dignatus ex captiva liberos tollere.' Sicut de Neronis patre
Suetonius: Decessitque Pyrgis morbo aque intercutis, sublato
filio Nerone ex Agrippina Germanico genita.' Pater Neronis
filium vix vidit, Alexander ne vidit quidem, utpote nondum
natum. Papinianus, libro XXXI, de legatis et fideicommissis secundo.
'Mando mee filie pro salute sollicitus ipsius, ut, quoad
liberos tollat, testamentum non faciat: ita enim poterit sine periculo
vivere.' Sed quid iterum ad exempla revolvimur, quasi
necessaria?

[Page 75]

««Quos prius iuraverant populi in se regnatos. Exquisita
profecto et Laurentio digna oratio! Elegantius si ita dixisses:
'Quibus populi iureiurando fidem dederant sese illis potestatem
regnandi facturos', aut sic: 'sese illis regnum permisuros'.»
Prius deridet velut improprie barbareque locutum me,
dehinc ait potuisse dicere elegantius. Quo quid ineptius ac
magis ridiculum? Sed cur, queso, elegantius? An unquam legimus
'fidem iureiurando datam'? cum presertim desit prepositio
huic ablativo. Adde dignam vinoso sententiam: 'populos
facere regi suo regnandi potestatem': facere potestatem nos
alicui earum rerum intelligimur quarum ius arbitriumque habemus.
Ego si exquisitus voluissem et non aliquid in operis
retractionem reservassem, ita dixisset: 'Quos populi iureiurando
adacti erant passuros esse regnare.' Non desideratur
hic prepositio ut superius in 'iureiurando': quemadmodum in
Elegantii, cum de 'tollo' dixi non necesse habui de 'fero' facere
mentionem, ut tu in reprehendendo.

««Ioannes est rex; dicate omnes: 'rex Ioannes' Facete sane
dictum: 'Dicte io pean et io bis dicte pean.' O barbare, o
inepte homo! ecquid te pudet huiuscemodi sermonibus plebeiis
uti in historia regis amplissimi?» Nunquid ego facete locutum
induxi? Quid hic attinet facete dicendi habere mentionem?
Quid etiam me deridere, levissime Panormita? Agnosco
sales tuos iocosque insulsos. Nec intelligis, o eximiam ingenii
tarditatem, istum versum mecum facere meque sublevare, cum
ita ego sim locutus ut Ovidius secundum librum illius operis
exorsus est: quo minus ut plebeie locutus argui possum.
Utor sermone plebeio. Quid mirum, cum a privato viro ad
plebem habeatur oratio, et ab eo qui non admodum facundus est
habitus? Et tamen, quid sordis in his verbis inest? Vestra potius
oratio et inepta est et barbara, qui 'ecquid te pudet dixisti pro
'ecquid te non pudet'.

[Page 76]

«Ita ne es eloquentie expers ut ista elegantius proferre
nescias? Qui vix primas litteras attigisset, is profecto non in cultius
hanc particulam expressisset. Si quod in te robur eloquentie

foret, prefecto sic dixisses: 'Ferdinandus cum intelligeret prefectum sententiam eius expectare, antequam regem aliquem pronuntiaret, elato in humeros puer, 'Hunc, inquit, hunc regem statuo, hunc omnes regem, quod ei felix faustumque sit, leta voce ac plausu consalutent!' Hoc modo, bone vir, rem sine subio dignorem et concinnorem aliquanto reddidisses.' Aude nunc negare te aut stultissimo stultiorem, aut omnium perversissimum, qui verba mea non subiicis que cum tuis comparas queque postulas condemnari; que ut iudicari queat, an ita pre tuis contemni debeant, ipse subiiciam:

«'Ei defuncto,
ubi Ferdinandus cum omni cetu procerum regio more iusta
persolvit, reliquum erat ut is qui rex futurus esset prefecti militie voce
nuncuparetur. Quem autem is nuncupaverit, instituto patrie pro
rege habetur et eius vocem ceteri leto cum clamore excipiunt.' Paulus
post: 'Hec atque huiusmodi verba prefectus exaudiens, ut
tenebat manu vexillum, stabat ante Ferdinandum atque omnem
cetum, uti se omni invidia exolveret, «Quem – inquit – me iubes,
regis et frater et fili, Ferdinandus, nuncupare regem?» Et paulus
post: 'Sed protinus, «Ecquem – inquit – alium nuncupabis quam
Ioannem? Quod si non audes, me imitare ipsum.» Assumptoque in
humerum infantulo, sicut erat statura sublimi, ex loco superiore
exclamavit: «Ioannes est rex; dicite omnes: rex Ioannes.»

Vides,
Fatue, illum, cuius non erat munus officiumque declarandi
regis in contione, non debuisse fingi habuisse orationem et
longe a decoro abesse vel illud factum ut quis infantem humero
sustinens exordiatur orationem, vel illa verba ut privatus homo
proceribus ac populis dicat: 'hunc, hunc vobis regem statuo.'
Quanto decentius quod omnem rem una et alacri voce expedivit,
iubens secum cunctos illum sibi regem agnoscere! Et ita

[Page 77]

se veritas habet: quam tu spectandam in historiis, ut ex tuis
apparet, ubi minima pars veri est, non putas, consectetur quedam
veterum verba tanquam ubique apta, 'faustum felixque',
quia apud Livium legis de Romanis loquentem, non ideo tamen
ad omnes gentes transferenda, que ne a Romanis quidem usurpata
sunt semper. Lege Helium Spartanum, Lampridium,
Trebelium Pollionem aliasque temporum scriptores et intelliges
in declarandis romanis principibus magis nostris verbis
actum, quam tuis; quibus et hoc addere debebas: 'Quod felix
faustumque sit huic pariter ac proceribus populisque regni
huius' et illud omittere: 'plausu consalutent'. Nam ubi
repperisti apud Livium in hisce rebus intervenire plausum?
Ubi plausum dici salutationem? Ubi pronuntiari regem? Ubi
expectari de creando rege sententiam, tanquam res in iudicio
agatur? Ubi a me significatur id? Agnoscis iam, nebulo, si
eloquentius dici ista poterant, et si non oportebat ob id nunc
me insimulari, tamen abs te non posse dici eloquentius.
«*Omni humana ope destituti iuvent hispanam circuncisionem.*
Honestior elocutio si dixisses 'Afros Hispanie incolas', aut
'in Hispania degentes'.» Quis te docuit Afros esse qui partem
illam Hispanie incolunt et non potius indigenas? qui etiam
si, quod minime credibile est, ex Africa forent oriundi, tamen
cum tot seculis incolant Hispaniam, non putare Hispanos esse
absurdissimum est idque a te dici non ferendum qui, quod in
Liguria natus es, te ligarem facis, genitus ex scytha. Ego
certe audivi illos appellantes sese Hispanos et nonnullos etiam
Scipiones: itaque a cetera Hispania non nisi circuncisione differunt,
quod nomen prefecto multum ad brevitatem dicendi

[Page 78]

facit, que elocutio abest a verbis tuis ut toga pro togatis. Id si tu
putas parum honestum, non nominis boni, sed hominis mali
atque corrupti culpa est, ut siquid tibi bene oleat, quod ceteris
male olet.

««Ceteras naves in salum deducit. Erras, bone vir, quod 'in salum' addidisti, cum 'deducere' simpliciter sit de terra in mare navim emittere.» Poteram respondere non ex terra deductas naves sed ex portu. Salum enim vocatur quod maris extra portum est, ventis obnoxium, ??? ??? ??????????. Sed ego volui significare naves non modo emissas ex terra, sed etiam ex portu et in liberum mare, quod declaratur ex superioribus verbis:

«'Et eo diligentius naves instruit ornatque, quod hispanas iam in salo esse audiebat, quas fallere totiens in traiectu non poterat.'

Ceterum, quandoquidem Virgilium mihi protulisti, cur is dixit:

et litore celsas

deducunt toto naves?

Certe ut significantius loqueretur. Quid igitur quam ob causam liceat addere locum unde emittuntur, non ob eandem licet addere locum in quem emittuntur? Iam vero eadem natura significandi est in 'subduco' que in 'deduco' satisque est dicere 'subducte sunt naves', ut idem:

Quassatam ventis liceat subducere classem.

Atqui Livius inquit: 'Naves Antiatium partim in navalia Rome subducte, partim incense.' Eadem ratione ego dixi 'in salum deducere' qua hic 'in navalia subducte'; et sicut ipse non dixit subducte in terram', ita nec ego 'deducte in mare'. Quid quod etiam 'in mare deduci' reperitur? ut apud eundem, libro XXVIII: 'Die quadragesimo quinto quam ex silvis detracta materia erat naves instructe et in mare deducte' et apud Septimum, de bello troiano scriptorem elegantem: 'Dein Greci veriti ne per moram interventu hyemis, que iam ingruebat, a navigando

[Page 79]

excluderentur, deductas in mare naves remigibus ceterisque nauticis instrumentis compleant.' Sunt igitur 'deduco' et 'subduco' eius generis cuius 'obeo' et 'defungor', que licet sine apposito plerunque usurpentur, sed subintellecto, tamen cum eo nonnunquam reperias, 'obiit mortem', 'defunctus est vita'.

1.11.

XI.

««*Sub ipsum solis ortum, conspicantur hostium classem non longius a se quam duodecim milibus passuum, nec a terra quam bis tantum.*

Preclarus profecto sermo et disertissimo homine dignus.
Nemo est certe tam rudis artis grammaticae pedagogus qui non rectius et cultius loqueretur. Unde didicisti 'bis tantum' dicere?
a quo preceptore? Profer nomen! Nescis, indocte, nescis 'duplum'
vel 'duplex' a grammatico id dici quod tu 'bis tantum'?
Si grammaticae loqui volebas, hoc modo dici a te oportebat:
'Nec a terra plus quam duplo vel dupli spatio'; si vero eleganter,
sic dicendum fuit: 'Conspicantur hostium classem non
longius a se duodecim milibus passuum, nec a terra plus quatuor
et viginti'.» Si consulto et dedita opera facerent accusatores
mei ut prevaricarentur, vix ita multa peccarent. Instant,
urgent, exigitant et, quasi nullum auctorem habeam, pro
se ipsi sententiam ferunt; cuius stultiloquii mox eos gravissime
penitebit, a me edoctos. Id antequam faciam, querendum
habeo ab hoc eruditissimo pedagogo an grammaticae locutus sit:
'Nescis duplum vel duplex a grammatico id dici, quod tu bis
tantum', quasi subaudiiri queat verbum 'dicis', quod ideo nequit,
quia oratio incipit a verbo passivo; et iccirco dicendum
fuit 'quod a te bis tantum', ut subaudiatur passivum 'dicitur'.
Nunc ut questioni satisfaciam, scire velim utrum magis eis
videtur absonum, 'bis tantum' an 'altero tanto'. Opinor hoc
secundum. Atqui Cicero non semel in Oratore et alibi sic dicit;

[Page 80]

et in Plinio aliisque nonnullis et in iure civili notus est hic sermo.
Accedam propius. 'Ter tantum', 'quater tantum', 'quinquies
tantum', 'sexies tantum', 'vicies tantum' in quo differt a
'bis tantum'? Profecto nihil. Ergo, probatis illis, hocquoque
tanquam simile probatum erit. In primo testis est Plautus in
Persa:
Ter tanto peior ipsa est quam illam tu esse vis.
In secundo Irtius seu Oppius, commentario gestorum Cesaris,
XIII : 'Peditum ac levis armature quater tanto.' In tertio et
quarto Cicero in Verrem: 'Reperietis quinquies tanto iudices
istum quam quantum ei in cellam sumere licitum sit, civitatibus
imperasse' et in eadem: 'Sexies tantum quam quantum satis sit
ablatum esse ab aratoribus.' In ultimo Plinius, libro XIV: 'Maroneum
vicies tanto addito aque miscendum Homerus prodidit.'
Ut iam 'bis tanto' dici posse sit improbissimum negare. At
exemplum huiusquoque exigitis. Quid, si proferam, quo tandem
convicio digni estis? Nonne bis tanto ac ter, quater, quinquies,
sexies, vicies tanto quam quanto me lacesistis? Legistis ne Virgilium?
Nomen ne illius vobis auditum est? Non reor: abditus
auctor est, apud raros versatur in manibus. Quid eius commentatorem
Servium? Hunc vero multo minus: quis enim famulum
notum habeat, cui sit eius dominus ignotus? Ex me ergo
utriusque verba audietis.
tum Tartarus ipse

bis patet in preceps tantum tenditque sub auras
quantus ad ethereum celi suspectus Olympum.
Quos versus ita Servius exponit: 'Hoc autem dicit: Tartarus
ipse bis tantum in preceps patet et tendit sub auras quantus est
suspectus, id est altitudo, ad Olympum.' Vultis apertius exemplum,
si quod esse apertius potest. Plautus in Amphitrite:
Bis tanto amici sunt inter se quam prius.

[Page 81]

Idem in Menechmis:

Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam quam voles,
et in Mercatore:
Immo bis tanto valeo quam valui prius.

«At Maurus cum ad primum conspectum totius classis aliquantulum
vela demisisset, nonnihil vel in deliberando vel in preparando
se ad bellum cursum repressisset.

Crassus nimium est
error tuus, si 'bellum' a 'prelio' differre non putas, cum 'bellum'
totum discordie tempus sit, 'prelium' vero cum manus conseruntur.
Ita fit ut in uno bello plura prelia committantur.» Si
nunc a me erratum est, in Elegantiisquoque erratum est, ubi
hanc differentiam tradidi. Nunquam ne 'bellum' pro 'prelio'
accipitur? Quid ergo significationis habet 'commissum est
bellum'? apud Frontinum: 'Unde etiam preclara victoria commisso
statim bello peracta est' et apud Livium: 'Bellum haud
memorabile in Algido cum Equis gestum, fusis hostibus prius
pene quam manus consererent.' Aut 'initum est bellum'?
apud Quintilianum de apibus loquentem, in quas propria illa
belli significatio vix cadit: 'Illas maiorum pectorum totis pro
rege castris procurrere et inire bella mortemque honestam pro
duce oppetere' et Curtium: 'Ad cuius conspectum et hostium
animi labare et Macedones acrius bellum inire ceperunt.'
Aut 'patrari bellum'? apud Salustum: 'Ipsumque regem haud
procul ab oppido Circha armis exuit. Que postquam gloriose
facta sunt, neque belli patrandi copiam cognovit.' Aut
ipsum 'bellari'? apud Virgilium:

[Page 82]

pictis bellantur Amazones armis
et apud Iustinum: 'Auxilia a Lacedemoniis petivere, quibus
citatiss iterum preliantur. In eo bello Erythias et Hippolochus
omnium tyrannorum sevissimi cadunt. Cum exercitus eorum,
ex quibus maior pars Atheniensium erat, fugeret, magna voce
Trasymachus clamat cur se victorem fugerent' et Septimum:
'Pars ubi bellandi tempus videbatur' et iterum: 'Uti progressus
in medias acies eundem Menelaum conquiescentibus sociis solitario
certamine lacesseret. Igitur reducto ad bellandum Alexandro
progressoque in aciem' et iterum: 'Sed postquam miles per
multum diem bello intentus magis magisque fatigaretur et diei
vesper erat, utrisque cupientibus pugna decessum est' et iterum:
'Signum ubi bellandi datum est, manum conserunt.'

Inter hec exempla non modo cum suis verbis implicitum cernimus
hoc nomen, sed etiam illis liberum, quale est, ut unum
adiiciamus, apud Curtium: 'Cum castra Darii et Alexandri pervicina
essent, Alexander legatis Darii sic respondet: proinde
aut deditio nemus, aut in crastinum bellum paret, nec aliam
quam expertus est sibi polliceatur fortunam. Legati respondent,
cum bellum in animo sit, facere eum simpliciter quod spe pacis
non frustretur; ipsos petere ut quam primum dimittantur ad regem
cumque bellum parare debere. Dimissi nuntiant adesse certamen.
Feci ne vobis planum etiam pro 'certamine', pro
pugna , pro prelio accipi bellum'? Cuius significationis est
duellum': nam 'duellum' olim tantummodo dicebatur. Iuvenalis
satira prima:
tecum prius ergo voluta
hec animante tuba, galeatum sero duelli
penitet.
Nempe de prelio, non de alia significatione sentit auctor. Et
Lucretius in secundo:
Lanigere pecudes et equorum duellica proles.

[Page 83]

Quod item fit apud eos qui bellum dicunt ??????? et prelium
?????, tamen aliquando dicitur pro ??????? et pro ???????
???????.
«Hostem, adipiscuntur. Improprie sane dictum. Nam 'adipisci
hostem' non dicimus, sed 'nacti' vel 'assecuti' vel 'adepti'

sunt'. Sic enim 'nanciscor' verbum et 'nactus' participium significato differunt, cum 'nancisci' acquirere sit, 'nactus' vero qui invenit: sic aliud 'adipisci', aliud 'adeptum esse' dicimus. Elegantius igitur si dixisses: 'hostem nacti' vel 'assecuti' vel 'adepti sunt'.» Quero a vobis, eloquentie magistri, primum quomodo similia sunt 'adipiscor', 'adeptus' et 'nanciscor', 'nactus', cum in primo, si vobis credimus, plus ponderis habeat in significando preteritum quam presens, in secundo contra; deinde quomodo 'adeptus' et 'nactus', cum plus similitudinis habeat 'adeptus' cum 'nanciscor' quam cum 'nactus': 'adeptus' enim idem est quod acquisivi, sive consecutus vel assecutus sum. Tum quare quid significet 'adipiscor' relinquens in medio, ego vero vobis probabo vel sepe, vel semper idem esse 'adipiscor' et 'adeptus sum', rursus idem 'adeptus' quod 'nactus' iterumque idem 'nactus' quod 'nanciscor', quorum omnium exempla gradatim proferemus. Plautus, antiquissimus fere Latinorum, in Epidico:

Nam ut apud portum te conspexi, curriculo occepi sequi:
vix adipiscendi potestas modo fuit.

'Adipiscendi' dixit pro 'assequendi', ut ego. Queritis historici exemplum? Audite Livium, libro xxm: 'Ipsum quidem agmen adipisci equis locis non potuit, populationem adeo effuse fecit' et in eodem: 'Cum ad id spectator pugne constitisset, libero campo adeptus parte victorie fruitur territos cedendo et iterum: 'Vestigiis institit sequi. Ad Venusiam adeptus eum est et iterum: 'Tenuit tamen vestigia Boccar, adeptusque eum patentibus

[Page 84]

campis prope Clupeam urbem.' Nonne si vultis 'adipisci' idem esse quod 'invenire', 'adeptum esse' significabit 'invenisse'? Si vero 'adeptus' pro 'assecutus' accipitis, 'adipisci' pro 'assequi' ut accipiatis necesse est, cum tam aperte ab auctore demonstretur eadem res per hoc verbum, sola temporum natura differentiam faciente ac ne faciente quidem: nam frequentissime presens vim preteriti optinet et hoc modo a me positum est.

Huius rei testimonium erit 'assequor' et eo magis quod hinc significatio verbi quo de agimus aperietur. Apud eundem auctorem est, libro XXVII: 'Nocte pregressum eum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus': perinde est ac si dixisset 'assecutus est', nec ad rem est an sic an 'adeptus' 'adipiscitur' ve, ut superiora exempla docent, dicatur. Et iterum: 'Postero die prima luce profectus magnis itineribus famam et vestigia agminis sequens haud procul Venusia hostem assequitur': nempe 'adipiscitur', nam superius dicitur 'ad Venusiam adeptus est'. Et iterum: 'Cum expeditis Martium iam appropinquantem oceano assequitur'. Palam est igitur 'adipisci' quidem idem pollere quod 'assequi', nec a suo preterito differre, quemadmodum nec 'assequi' differt a suo. Meminerimus tamen hec verba non semper habere unam significandi figuram. Enimvero 'adipiscor', quotiens hominem pro apposito habet aut aliquid simile, utputa animal, id habet significationis quod dixi, quasi 'perveni, sive inveni ; sin aliud, significationem habet acquirendi, sicut assequor , ut apud eundem: 'Nec in curia adeptus erat quas petierat opes urbanas , nempe eo modo quo quis dicitur assecutus opes, honores, magistratus. Cicero, quarto Tusculanarum questionum: 'An ratio parum precipit nec bonum illud esse, quod aut cupias ardenter, aut adeptus te efferas insolenter' et in quinto. Etenim stultitia, et si adeptus est quod concupivit, se tamen nihil consecutam putat' et, ne multis in exemplis sim,

[Page 85]

idem De senectute: 'Quo in genere est in primis senectus, quam ut adipiscantur omnes optant, eam accusant adepti.' En liquet preteriti a presentis significatum non discrepare: huic simile est 'nactus', cuius in utraque significatione testimonia promamus. In prima apud Livium: 'Crispinus et morte college et suo vulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est montes, in iis loco alto ac tuto undique castra posuit', idest 'cum invenisset montes', nisi malum exponere 'consecutus est montes'. Apertius de homine, ut Cicero: 'Eum terreto, siquem eris nactus, istis mortis et exilii

minis.' Sed de hac significatione convenit. De altera Terentius in Hecyra:

mi Pamphile, inquam, amabo
quid examinatus obsecro es? aut unde anulum istum nactus?
hoc est 'unde acquisisti', nam pro 'invenisti' non 'unde', sed
'ubi' diceretur. Livius etiam clarus: 'Nobilis idem et popularis
homo certe malis artibus nactus opes' et iterum: 'Ceterum
Flavium dixerat edilem forensis factio, Appii Claudii
censura vires nacta.' Et aliis plurimis in locis apud hunc.
Sed aliunde quoque repetamus exempla. Cesar, commentario
septimo: 'Tandem Germani a nostro dextro latere summum
iugum nacti hostes loco depellunt': certe nemo qui, vi repugnantibus
superne hostibus, in cacumen evadit, locum ipsum
dicitur invenisse, sicuti nec predam. Siquidem ita vi commentario
idem ait: 'Oblata spe Germani, quam nacti erant predam
in occulto relinquunt.' Ulpianus: 'Cum autem servus libertatem
nactus est, utique etiam tutelam habebit eius cui bona
addicta sunt.' Iustinianus, Codicis libro quarto, de actionibus
empti et venditi: 'Curabit preses provincie compellere emptorem,
qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretii
quam penes se habet cum usuris restituere' et Institutionum libro

[Page 86]

secundo, de rerum divisione: 'Utique si bona fide earum
chartarum membranarum ve possessionem nactus es' et in tertio,
de emptione et venditione: 'Cui necesse est, licet rem non fuerit
nactus, pretium solvere' et in quarto, de iudicio interdictis:
'Si modo nec vi, nec clam, nec precario nactus fuerat ab adversario
possessionem.' Et licet Iustinianus non fuerit sane
elegans, ut ex collationibus suis datur intelligi, tamen in Codice
superiorum imperatorum decreta plerunque repetit et Institutiones
cum ex aliorum iurisconsultorum, tum precipue ex Caii
Institutionibus commentariisque se composuisse testatur.
Verum ad elegantiores revertamur; quorum unus adhuc abunde
erit Cicero pro Milone: 'Quo nam modo ea aut depellere potuissetis
aut ferre, imperium si ille nactus esset?' et De natura deorum:
'Eamque potestatem quam ipse per scelus erat nactus,
quasi iustum et legitimam hereditatis loco filio tradidit' et in
Bruto: 'Qui autem aliqua occasione et invitis suis civibus nactus
est ipse imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum,
non honorem puto.' Ecce pro eodem 'nactus' et 'adeptus':
preter id quod apparent hinc quoque 'adeptus' ab 'adipisci'
non differre, cum hoc significet acquirere, illud vero acquisisse.
Quod cum ita sit, id etiam manifestum erit quod
tertio loco proposui, nec suum presens a 'nactus' discrepare,
cum ego probarim 'nactum esse' idem quod 'acquisisse' et adversarii
asseverent 'nancisci' idem esse quod 'acquirere'. At enim
dicetis aliqua ratione differre presens, quod nunquam pro 'invenio
reperiatur, a preterito. Ne istud quidem, et si ad
presentem non attinet questionem, vobis concedam, cum legamus
apud commentarios Cesarii sepenumero 'occisionem nactus',
quod vos haud dubie pro 'occisionem invenit' accipitis;
et quodam loco nanciscitur occasionem, quod vos aliter quam
pro invenit occasionem' accipere non debetis. Verba autem
hec sunt: 'Ut movendis castris pluribusque adeundis locis

[Page 87]

commodiore frumentaria re uteretur, simulque in itinere ut
aliquam occasionem dimicandi nancisceretur.' Quale est Ciceronis
De republica vi: 'Vel concidat omne celum omnisque natura,
consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur qua a primo
impulso moveatur.'

1.12.

XII. «*Utrinque in alteros emissio*. Hoc quidem barbare abs te prolatum est, ut reliqua. Quid enim opus fuit ‘in alteros’ addere, cum ‘utrinque’ satis esset? At si illud quoque exprimere volebas, non ‘in alteros’, sed aut ‘invicem’, aut ‘mutuo’, aut ‘inter se’ emissio’ dicendum fuit.» Et corripis me et corrigis ut in ceteris, utrumque semper stulte. Corripis quod redundanter et parum proprie locutus sim. Nam primum, ‘in alteros’, ut ais, additum non oportuit, quasi non queant tela utrinque emitti, sed non in hostem, velut in celum, sicut ‘utrinque procursum est’ utputa in subsidium, in predam, in spectaculum: non igitur supervacaneum est ‘in alteros’. Deinde, ut nunquam tibi constas, confiteris non fuisse tale, cum ipsum tanquam improprium corrigis mutasque in alia, quorum primum est ‘invicem’, hoc loco perabsurdum: quippe, ut recte dicas ‘se invicem verberant’, ita minus recte ‘invicem tela mittebant’, nisi accipimus ‘invicem’ pro ‘simul’. Secundum, ‘mutuo’, quod vel magis improprium est: nam eodem modo dicentur ‘tela mutuo emitti’ quo ‘mutuo mitti’, atqui ‘dona muneraque mutuo mitti’ usitatum est, non ‘tela’, cum mutuum sit fieri de meo tuum, ut consultis placet, huius vocis etymologiam sequentibus, sive meum de tuo, quod rite dicitur de rebus que dono, non de telis que inter hostesmittuntur. Tertium, ‘imbre telorum utrinque inter se emissio’: in quo et ‘utrinque’ supervacaneum est et ‘imbrem telorum inter se emittere’ improprium et absonum dictu; ‘pugnant inter se, colloquuntur, amant inter se’ frequenter

[Page 88]

audimus et legimus, ‘iaculantur, vero, inter se, tela proliquent, aut sagittant inter se’ nec legimus, nec audimus. Ex quo palam est in correptoris et correctoris oratione et redundanter esse verba et improprie posita, non in correpti atque correcti, quem abesse ab utroque vitio probat in lugurthino Salustius, inquiens: ‘Deinde utrique alteris freti finitimos armis aut metu sub imperium suum cogere.’ Ut hic omisit, sive consulto non posuit, ‘imbre telorum’, ita in sequentibus rettulit verba mea non fideliter.

«*Nonnihil prius de expugnatione oppidi Ferdinandus agendum statuit.*»

Que verba ita se apud meas historias habent:

‘*Ferdinandus ut letus ex naval i victoria, boneque spei ac fiducie plenus, cum iam machine ad finem pervenissent, ita solicitus ob penuriam rei frumentarie, non prius de expugnatione oppidi, ubi nonnihil dura proponebatur dimicatio, agendum constituit, quam milites animo et corpore refecisset preda ingenti boum atque ovium.*’

«Improprie hoc verbo sepenumero uteris, quod tibi turpissimum est, historiam scribere volenti. Qui enim fieri potest ut nescias illud interesse inter ‘pugnare’ et ‘expugnare’ quod inter ‘orare’ et ‘exorare’, cum ‘pugnare’ sit manus conserere, ‘expugnare’ vero pugnando vincere, quemadmodum ‘exorare’ orando impetrare dicimus?» Et hic quoque in dubio sum unde potissimum redarguere te incipiam, imperitissime calumniator. Quomodo istud ignoro, quod in Elegantiis trado? Quomodo ignoro, quod sepenumero recte in hoc opere usum animadvertis? Quomodo ignoro, quem probas ad morem veterum loqui? Quomodo ignoro, qui te male hoc diffinientem vocabulum demonstrabo? Quomodo ignoro, qui eisdem quibus C. Cesar, quem tu maxime probas, utitur verbis utor? Etenim in

Elegantius trado differentiam inter 'oro' et 'exoro' (vel melius quam nunc tu), inter 'audio' et 'exaudio', inter 'suadeo' et 'persuadeo' aliaque huiusmodi plurima, item inter 'oppugno' et 'expugno', non sicut tu demens inter 'pugno' et 'expugno', inter que nisi a Fatuo nequeat errari. Quis dicat 'pugnavi urbem' pro 'expugnavi' aut 'oppugnavi'? Atque repeterem illinc verba preceptorum meorum, nisi res ipsa pro se testimonium diceret; nam ut istud a me scriptum nescieris, tamen hec verba in ipsis historiis legeras:

*'Alio bello ad expugnandum Setenillium
venimus, infecto negocio recessimus. Nunc ad expugnandam
Anticheram venimus, quam si, quod horret animus et lingua
vix audet fari, non expugnaverimus, quid ni infecto negocio victi
non victores discedemus?'*

et iterum:

*'Oppida duo, Prineam et Pegum,
paucis diebus expugnat (erant enim parva), tum oppidum Zaram
aggressus, positis ante portas castris oppugnat'*

et alibi centies.

Et tamen quomodo 'expugnatio' potuit a me accipi
pro 'pugna', sive 'pugnatione', cum dicam

*'dura proponebatur
dimicatio',*

que idem est quod 'pugna', sive 'pugnatio'? Quo nomine si fieri possit ut improprie sim usus, tamen tuum non erat, si mente constares, reprehendere verba mea, similia Vegetianis que tu superius attulisti: 'Aliud genus expugnationis est supterraneum atque secretum, quod cuniculum vocant.' Nunquid magis apud Vegetum quam apud me victoria pugne declaratur? Minime: non enim semper qui cuniculis rem gerunt pugnando vincunt. Male expono cum te sequor huius nominis vim. Ideoque iam reddam, quod penultimum promisi, me demonstraturum te improprie diffinientem 'expugno'. Nunquid si tecum conseram manus ac vincam te dicar expugnasse? Nihil minus, quia de oppidis, de castris, de navibus ceterisque huiusmodi expugnatio est et figurate expugnare mentem,

expugnare pudicitiam, quasi arcem quandam, ut in ipso de elegantia opere latius tradidi. Accipe ad extremum verba Cesaris commentario septimo dicentis: 'De expugnatione non prius agendum constituit quam rem frumentariam expedisset.' Improprie ne locutus est Cesar? Minime, sed latinissime. Igitur et ego. Quid iam blateras, infelix? Quid calumniaris, nunc repugnante conscientia, nunc vacillante scientia, nunc amissa memoria, nunc depravato hominis sensu? Qui si fuisses apud grecos priscorum poetarum seculis genitus, illi te in bubonem, aut in ranam, aut in honagrum conversum esse fecissent.

«*Cum cibis iam armisque defecti essent. Hoc quidem minus a te eleganter dictum est. Non enim 'cibis', sed vel 'commeatibus' vel 're frumentaria' dicendum fuit, vel etiam 'omni humana ope destituti': huiuscemodi enim verbis frequenter utuntur historici. Elegantius igitur si dixisses: 'Cum iam non solum commeatus, sed etiam arma deessent', aut sic: 'Cum iam omni humana ope destituti essent'.» Venefice, quid ais historicos his verbis frequenter uti? quasi non et ipse frequenter in historia*

utar. Minus a me inquis dictum eleganter perque incostantiam subdis elegantius aliter me fuisse dicturum. Tuum, ut te doceam, munus est docere me eleganter, non elegantius loqui; verum, quanquam ita sit, accipe cur nec ego ineleganter dixerim, nec tu elegantius. Quod ad reprehensionem mei pertinet, duo reprehendis: unum clanculum, quod 'defecti' non reperiatur, de quo in Elegantii precepi, adiectis plurimorum exemplis, quorum unum mox subiiciam; alterum aperte, quod cibo utar. O te hominem qui cibo utaris indignum, et si cibario semper alitum pane, cum 'cibaria' etiam historici usurpent.

[Page 91]

Quorum exempla, ne multus sim, omittam, uno contra duo obiecta contentus, ex Quintiliano: 'Ut si obsessi et impares et aqua ciboque defecti de facienda ad hostem deditione deliberent.'

At emendas elegantius: tu ergo Quintiliano elegantius?

Ligurum Scytharumque opprobrium, qui pro 'cibo armisque defecti' inquis 'omni humana ope destituti', quibus verbis sum usus ipse paulo ante prudentius et nunc vel ob hoc quam tu elegantius dixi, quod in eadem sepius reverti nolui, ut ipsius lingue copia, varietate, gratia condirem orationem.

«*Proceram scalam*. Impropte sane abs te prolatum est (ut omittam latinitatis vitium, quod 'scalam' singulari numero effers, cum tantum plurale veterum usu sit, ut dixi): non enim 'proceras scalas', aut 'proceram columnam' dicimus, sed 'longas scalas' et 'longam columnam'. Proceras autem ulmos, vel abies, vel alias huiuscmodi arbores natura, non arte longas appellamus, vel etiam hominis staturam. Virgilius:

Atque solo proceras erigit alnos.

Cicero in Catone maiore: 'Cumque miraretur et proceritatem arborum et directos in quincuncem ordines.' Catullus:

Plangebant alie proceris tympana palmis.

Quod etiam patet ex diffinitione Festi Pompeii; ait enim: 'Proceria prolixa esse in longum producta, quasi ex cera ob eius facultatem', idest vi propria.» 'Procerum' non arte esse, sed natura probare vis a dissimili, ab auctoritate, a diffinitione preceptoris. Pro dissimilibus quidem affers ulmos, abies et que sunt id genus arbores, item hominis staturam. Quid ais? Malus navis procerus est an non? Si negas, omnibus conarbor

[Page 92]

et habetur et nominatur; si concedis, cur non de scala concedes, que ex proceris et ipsa arboribus effecta est? De columna tibi respondere nihil mea interest. Hoc cum ita sit, rei nimirum satisfeci, nihil adversus me agentibus similitudinibus, exemplis, argumentis tuis. Sed quoniam non tantum de scala, sed generaliter de omni re proceris locutus es, respondebo, non pro me sed pro re ipsa ac veritate, non esse procerum natura solum et incremento et quasi statura longum. Sed, ut prius tibi paulisper concedam, quid est cur columnam neges talem esse? que si constet ex ligno (ut apud Livium, libro primo: 'Anguis ex columna lignea elapsus'), nonne eiusmodi erit cuiusmodi malus et scala? Sed fac marmoream lapideam ve: nunquid longitudinem illam ars fabricata est, an potius natura? Certe natura: longitudine enim ipsi iam marmori ac lapidi inerat. Si repugnas, ad philosophos te relego, qui aiunt columnam atque adeo figuram omnem inesse marmori, lapidi, ligno, que, ferro circuncidente quibus includebatur ipsa, existat atque appareat; nec potes iis adversari philosophis quibus Cicero assentitur. Nunc in universum de omni proceritate respondeo, nihil interesse qua quicque ratione longum sit, idque exemplis probo, non que tuis contraria sint, sed que tibi: qui vis ex una aut altera specie constituere genus, rursus, una aut altera infirmata, refellere genus, idest reliquias species, quasi quia non est simile quid arbori stature ve non sit procerum. Plinius, secundo Epistolarum libro: 'Deinde vel cubiculum

[Page 93]

tradices, non modo quod longus, sublimis, teres est, sed quod

grande, vel modica cenatio, que plurimo sole, plurimo mari lucet; post hanc cubiculum cum proceriore altitudine estivum, munimento hibernum: est enim subductum omnibus ventis. Huic cubiculo aliud communi et proceriore pariete iungitur.' Certe arte, non natura longus est paries cubiculumque. Item Plinius pater de Italia: 'Est ergo folio maxime querno assimilata, multo proceritate amplior quam latitudine.' Nihil profecto similitudinis habet longitudine terre ad longitudinem vel stature, vel arboris, vel etiam ad cere naturam. Cur ergo dixit Festus (ut ad eius diffinitionem veniam) procerum esse productum in longum vi propria, quasi vero cera non producatur aliena vi, nec producatur modo, verum etiam contrahatur? Et tamen in homine secus est et in arbore. Hoc et si ille inquit, simulque 'ob eius facilitatem', quod tu scribis 'facultatem', non tamen preceptum suum coarctavit ut ea demum que cere similia sunt proceria dicantur; atque, ut taceam qualis Festus sit in argutiis etymologie (qui vult, inter initia operis, ut aqua dicta sit quasi a qua vivimus!), quis huic rei assentiat, si procerum a cera dicitur, prelongam ex cera statuam hastam ve proceram non esse, quia non natura, sed arte sit longa? Sed quid tibi cum Festo, qui de natura et arte non loquitur? Sentis igitur nec regulam tuam, nec rationem, nec exempla, nec mentem eius, cuius velut preiudicium affers, contra me facere.

«*Alio genere expugnationis*. Vitium proprietatis inexcusabile: non 'expugnationis', sed 'oppugnationis' dicendum fuit.» Quo sepius me ferire niteris, eo te sepius saicias, si nescis, et eo quidem magis, quod hec verba sunt similiora Vegetianis que ipse oblivious in testimonium superius attulisti. Sed, o proprietatis in alio sagax indagator, bis tu hoc loco istud vitii admisisti: primum quod improprietas dicitur vitium, non proprietatis, sicut paulo ante vitium latinitatis, deinde quod

[Page 94]

vitia morum, non sermonis apud doctissimos excusari solent.
«*Hoc tum genus expugnationis instituebat*. Idem et frequens vitium tuum.» Non fuit satis modo tibi dixisse me sepius incurrere hoc vitium? Non pudet te, miser, ita pre te ferre rabidam quandam mordendi aviditatem, ut nihil pensi habeas et verborum Vegetii, immo tuorum (tua enim nunc sunt) nunquam reminiscaris?
«*Quod diceret ab re esse*. Ineleganter profecto, immo ruditer abs te dictum. 'Ab re' enim 'temere' et 'sine causa', non id quod tu putas significat. Illud potius dicere debuisti: 'Quod non e dignitate regia esse duceret regem in expeditionem, nisi adversus regem, proficisci'.» Quid ego queso significare volui? Quin hoc aperis, bubale? Cur verba mea suppressim, vulpecula? Nam quis isto modo unquam reprehendit alium? At enim debueram dicere 'e dignitate regia': an non istuc paulo ante feci? Siquidem hec mea verba sunt:

'*Sic enim fore ut non modo quod e fide regis erga suos, sed etiam quod e dignitate faceret.*'

Quid ergo me docere vis, improbissime, quod, ut verisimile est, paulo ante ipse te docui? At ruditer postea hanc sententiam dixi. Inspiciamus an ita sit. Nam hec sunt ipsa verba:

'*Addidit etiam facto superbiam barbarus: noluit ipse huic expeditioni preesse, quod diceret ab re esse regem nisi adversus regem prodire in bellum.*'

Que nam horum verborum est significatio 'ab re esse'? Nempe preter rem et quasi indecens esse, non autem 'temere', ut tu temerarius loqueris, et 'sine causa', ut tu sine causa vis esse iudicium, qui crimen quo alterum accersis premis lingua, non promis. Livius, libro octavo: 'Nam et

si omnis divini humanique moris memoria abolevit, nova peregrinaque
omnia priscis ac patriis preferendo, haud ab re duxi

[Page 95]

verbisquoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre.' Idem,
libro XXXV: 'Et quanquam prope abscissa res erat, tamen non ab
re esse Quintio visum est sociorum aliquos legatos interesse ei
concilio.' Suetonius in Augusti vita: 'Et quando ad hoc
ventum est, non ab re fuerit suptexere, que ei prius quam nasceretur
et ipso natali die et deinceps evenerint.' Idem in Domitian:
'Deinde atrocitate pene conterritus, ad leniendam invidiam
intercessit his verbis (neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere)
Permittite, patres conscripti, a pietate vestra impetrari. -'
Martianus, libro XXVIII, de heredibus instituendis: 'Non
ab re autem hoc loco, velut excessus hic subiungetur.' Nunquid
hic pro 'temere' accipiendum est 'ab re' et 'sine causa', an pro
'indecenter' et 'inconvenienter' et 'preter rem'?

1.13.

XIII. «*Ferdinandum enim infantem esse Castelle*. Vulgari nomine uti nihil te puduit, cum ea que propria non sunt liceat nobis, iudicio arbitrioque nostro, per circuitonem proferre elegantius. Quis autem est tam imperitus rerum scriptor, aut tam illiteratus homo qui nesciat infantes regios filios appellari?» Ais elegantius esse uti circuitione? Atqui circuitio non elegantia est, sed tropus. Quid ais, preceptor? Non appellabo sumnum pontificem ‘papam’, quoniam non sic olim vocabatur, non ‘ducem genuensem’, sed dictatorem, non, ut alia infinita preteream et ad simillimum veniam exemplum, filium primigenium regis Gallorum ‘delphinum’, sed tantum regium filium? Quanquam nescio an istum in modum me corrigas. Nam quid est quod nemo scriptorum, nemo ne illiteratorum quidem nesciat? An infantes omnes appellari regios filios? Hoc vero nemo audivit. An omnes regios filios appellari infantes? At hoc Gallici negant planeque falsum est. Cernis ut id quod vis neminem ignorare, omnes ignorant, Fatue, vecors atque falsarie,

[Page 96]

qui siles esse me isto vocabulo usum cum prefatione.
«*Et a presenti periculo nonnihil relaxati animo*. Impropie quidem, nam ‘relaxatos’ curis et corporis defatigatione dicunt historici, ‘levatos’, vero, et ‘liberatos’ pericolo.» Quid, non etiam curis levamur? Neque ipse, ut tu perperam interpretaris, ‘relaxatos pericolo’ dixi, sed ‘a periculo relaxatos’ et ‘animo’, idest curis ob presens periculum, quod iam non timere nonnihil laxamenti fuit. Enimvero minus hoc mirere si apud Livium ‘fessos vulneribus’ scriptum recoderis; sic enim ait: ‘Carthaginenses, quanquam fessos labore ac vulneribus, nox imberquoque ad necessariam quietem vocabat.’
«*Virtus tamen militis omnia impedimenta vincebat*. Impropie, ut multa, ‘impedimenta’ protulisti. Nam apud rerum scriptores ‘impedimenta’, plurali numero, appellantur que sarcinas’ vulgo dicimus: ‘difficultates’ autem dicuntur que tu ‘impedimenta’ dixisti. Licet tamen eo nomine uti singulari numero in eam sententiam in quam accipis.» Antea quam pro me respondeo, te correctorem corrigi dignum interrogo: cur sarcinas vulgo appellari dixisti, quasi ignotum disertis vocabulum? Cur, item, idem quod impedimenta significare? An non inquit Curtius: ‘Magno consilio iacturam sarcinarum impedimentorumque contempsit?’ Et iterum: ‘Sarcinas et impedimenta ibi cum presidio reliquit.’ Et Livius: ‘Quarta vigilia profecti sarcinis impedimentisque Beneventi relictis.’ Quid ergo nunc significant ‘sarcine’? Nempe res que in itinere portantur. Impedimenta vero ipsa iumenta que sarcinas, vel alia bellica instrumenta gestant vel trahunt, ut est apud Frontinum: ‘Ipsequoque ob hoc exasperatus imperfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset.’ Ad hec, interrogo cur dicas unius verbi ‘sententiam’ potius quam ‘sensum’: quod nusquam, si memoria non labor, inveni. Cur, postremo, impedimentum

[Page 97]

in ea significatione plurali carere? cum ratio non prohibeat, nec ulla ars auctoritas ve. An non Salustii verba legisti? ‘Occulte per amicos et maxime per homines nominis latini et socios italicos impedimenta parabant’ et Curtii: ‘Unam anum et duas puellas itinerum agminumque impedimenta triginta milibus talentum auri permutes’ et Ciceronis: ‘Cum primum impedimenta nature diligentia industriaque superarit.’ Cum te peccasse doceo in accusando, me satis abundeque defendo a tua accusatione; sed validius defendant sequentia: nam ista verba que tu arguis maximorum auctorum sunt, Quintilianus: ‘Et omnia que obstabunt impedimenta vincenda sunt’, Seneceque in Epistolis de Varano: ‘Animus corporis impedimenta vincebat.’ «*Ad edem dive Marie cognomine Custodientis*. O ineptum hominem, o verborum inopem! Quanto elegantius si dixisses: ‘Quoniam puerum servavit, ad edem dive Marie Servatricis’,

sicut Iuppiter Stator appellatus est, quia Romanos a Sabinis in
urbe fusos, invocatus, stare ac fugam sistere fecerit.» Cur
non addebas 'o insignem barbariem', 'o singulare in grammatica
vitium'? Quid te impudentius, qui rem prorsus incognitam tibi
divinare permittis? Vocatur enim edes illa Sancte Marie Guardalo,
que vox ad presens refertur tempus, non ad preteritum;
et ego haud diffiteor in re utique religiosa me noluisse, cum se
offerret occasio, recedere a sanctissimorum veterum instituto,
apud quos lego Agar, cum videret filium siti pereuntem, ostenso
sibi ab angelo puteo (nam et ipse de matre, de filio, de puteo
loquor), appellasse locum videntis et salvantis me et prophetas
vocatos videntes. Ceterum tu qui me ineptum et verborum
inopem vocas, quod fui elegans, non elegantissimus, responde
an elegantissimus sermo sit 'fecerit stare Romanos' et 'fecerit
sistere fugam'; preterea an sobrius an ebrius sit 'fusos sistere'

[Page 98]

fugam', quasi vero qui percussi iacent sint e numero fugientium
stantiumque; ad hec, an convenias aut cum Livio, qui standi
non fecit mentionem, aut tecum, qui 'statorem' confiteris appellatum
a 'sistendo', quod superius pernegasti.

«*Ascendente iam die ac calescente*. Hoc te profecto historiographus
nullus docuit, sed quispiam, ut puto, sutor aut faber
tignarius. Historicus enim sic diceret: 'Sub horam diei quartam'
vel 'quintam' vel 'sub meridiem'.» Ergo nisi utar 'sub',
aliter recte loqui non potero? Imperitissime, qui specie falleris
elegantioris sermonis. 'Sub' significat ipsam primam temporis
partem, ut

Sub lucem exportans calathis,
idest adveniente luce, non quacunque parte lucis; sed ex prosa
potius petamus exemplum. Quintilianus: 'Sub tempus
ipsum quo pugnaturus erat divitis filius', hoc est iam iam presente
tempore; aliquando statim post: 'ut sub hec verba'. At
vero 'sub horam diei quartam' pro 'quarta diei hora' non mihi
unquam videor audisse. Atque 'calescente die' sic dixi quomodo
Livius et Paulus iurisconsultus, vel mollius quam illi. Nam
Livius quidem sic ait: 'Cum calescente sole dispulsa nebula
aperiuerisset diem.' Paulus vero sic: 'Hora diei sexta eadem die
calescente celo.' Etenim diem calidum frigidumque dicere minus
durum est quam solem celum ve. Et 'ascendente iam
die' sic dixi quomodo Livius: 'Precipiit iam ad vesperum die,
nox intervenisset' et alibi: 'Procedente iam die'; et Cicero: 'Inclinato
iam in pomeridianum die' et Plinius ad Apollinarem:
'Inclinato iam die' et Suetonius in Othonis vita: 'Dein vergente
iam die : quem modum loquendi, si meum non probas, improbes
necesse est et hos quos nominavi auctores fatearis sutores ac

[Page 99]

fabros. Sed quomodo te non puduit sutorum facere mentionem,
natum patre suture et quidem veterario? Nisi quia
ignoras sutorum esse qui coria suit et pelles, quem vulgo 'cerdonem'
vocant et quidam, Plautino nomine, 'calceolarium'.

'Faber' quoque, cur dixeris 'tignarius', excluso fabro carpentario
et breviter omni alio fabro lignario, erario, ferrario, non intelligo:
nisi quia tuorum propinquorum quispiam talis est forsitan
et gaudes loqui sutoria atque fabrilia.

tractant fabrilia fabri
inquit Horatius.

«*Aliis assidue super alios applicantibus*. Plebeia sane oratio!
Quanto elegantius si dixisses: 'Cum nova quotidie auxilia
supervenirent', aut 'alii super alios adventarent'.» Duobus
modis emendor. Uno, 'cum quotidie nova auxilia supervenirent':
at ego non de quotidianis auxiliis sentio. An non hec
mea verba sunt:

*'Nam simul ac Petrum Pontium viderunt, sive
continuato quem instituerant cursu, sive ob eum ipsum velut exploratorem
moti, laxatis habenis, virum persequuntur aliquie subinde
atque alii, ut quisque maxime effuso cursu persequi poterat, ut ipsi
pro nuntiis essent; usque adeo vix satis spatii Petro fuit ad se coniiciendum
in claustra porte castrorum, que petebat. Ibi pugna non
iusta acie incipitur, discursantibus atque obequitanibus munitiones
barbaris, siqua transitum facere possent, assidue aliis super alios
applicantibus.'*

Quid ergo, teterimi homines, scripturas in iudiciis
et instrumenta corruptitis? ut ii qui opus non legerint
de quotidianis existiment auxiliis dici, quanquam ne sic quidem
pro ineleganti reprehendi posset. Altero, 'alii super alios
adventarent': ergo meum 'aliis super alios' non est inelegans;
nec addidistis 'quotidie', coacti veritate. Hic vel modum loquendi
carpit, quasi minus sit 'venientibus auxiliis' elegans

[Page 100]

quam 'cum venirent auxilia', quod equidem haud video; vel verbum,
quod cur plebeium censeatis, vos vere plebeii, scire cupio.
At non ait Quintilianus: 'Non potes ultra procedere, citra
applica'? Neque abnuerim proprie esse 'applicare' 'ex navi appellere'
(et si Cicero, tertio Tusculanarum questionum, inquit:
'Arce et urbe orba sum: quo accedam? quo applicem?'), ut si
fuissem ego improprie usus hoc verbo, non debueritis vos eius
sordem notare, sed improprietatem, et hominem, non etiam
vocabulum reprehendere. Ipsi ergo mundius? qui cum
meum velut plebeium contemnit, pro patritio substituistis servile
vel potius illegitimum: siquidem 'adventare' pro 'advenire'
illegitimum est ponere. O absurdum elegantie magistrum, quis
te istud docuit? Certe veram ex me discere significationem
poteras in illis verbis que proxime antecesserant:

*'Unus speculatorum
subditis calcaribus, hanelanti equo et ipse hanelans, castra
intrat et ut cuique fit obvius nuntiat hostes adventare, non quidem
a se visos, sed quos ex pulvere venire intelligat.'*

'Adventare' igitur
est non advenire, aut venire tantum, sed proximum esse
veniendo.
«*Maomettani se habere victoriam in manibus testabantur.*
Non Maomettanos, sed Mauritanos vel Afros Hispanie incolas
appellare debuisti et id esset elegantius.» Etiam ne Mauritanos
elegantius est quam Mauros aut usitatus, maure Panormita?
Ego ad istam imperitie vestre particulam, non esse Hispanos
appellantos Mauros vel Africanos, iam respondi. Et alioquin
non Hispanos tantum significatos volui, sed etiam ex aliis
regionibus presidiarios qui eiusdem superstitionis essent, ideoque
Maomettanos appellavi, ut nostros, qui et ipsi ex multis
regionibus unius tamen religionis essent, christianos.

*«Quandoquidem non statim paruerunt, dixit non relinquere
eis nisi vestes.*

O elegantissimum historiographum! Puer adhuc

[Page 101]

ad grammaticum proficiscens ista profecto non incultius diceret.
An tibi ita verba deficiunt ut aliter dicere nescias? Quanto elegantius
si dixisses: 'Quod vero non statim primo imperatoris
edicto in deditonem venerant, cum singulis tantum vestimentis
abeundi singulis potestatem fecit'.» Pretereo quod in 'vestes'

'vestimenta' mutasti: esto, 'vestes' dixerim, quid absonum
hoc inusitatumque vocabulum est? O te et veste indignum et
cibo, qui hec duo de rerum natura vis tollere! Atque vide quam
pueriliter locutus existimari debeam: nisi quemvis historicorum
veterum mea verba deceant, non abnuo puerilia esse.

*'Oppidani,
quibus denuntiatum erat, nisi se dederent, extrema passuros,
si dederent, cum omnibus que quisque ferre posset abiuros, primum
se imperata facturos negaverunt, deinde, ubi tantam manum circunfundi
viderunt, se optemperaturos dixerunt. Quibus responderi
iubet. imperator, quandoquidem non statim paruerunt, se non relinquere
eis nisi vestimenta, sin punctum temporis in pertinacia
persestiterint, ne libertatem quidem relicturum, nec de nece etiam
fore securos. Hoc terrore permoti, sese dediderunt, oppidum vero
militibus ad direptionem concessum.'*

Tu hec elegantius dicere
temptasti, quod equidem te prestitisse confitebor, nisi in
singulis que mutasti verbis erraveris. 'Quod vero' pro 'quandoquidem'
posuisse, cum per se patet quam ineptum sit, tum vero
ex ipsa serie que hec est: 'Quibus responderi iubet imperator,
quod vero non statim' et cetera; mutasti ergo non modo bonum
quod non oportebat, sed etiam in malum. 'Primo edicto':
duo verba, totidem vitia; nam 'edictum' appellare pactionis
verba cum hoste dementis est, cum sciamus edictum esse principis
aut consulis pretoris ve ac presidis adversus subditos et
proprie scriptum, et 'primum' nominare cum alterum non sequatur
superfluum est: nam 'fecisse potestatem abeundi' non
habet edicti formam aut denuntiationis. 'In ditionem
venerant': et hic duo vitia; unum improprietas sive imprudentie:
quis enim ad illos qui in eo sunt ut statim veniant in
hostium potestatem dicat «volo veniatis in ditionem» et non

[Page 102]

potius «volo vos dedatis»? Alterum grammaticae, 'venerant' pro
'venerint', quod nullus grammaticae paulo studiosior puer dixisset:
cernis ut puerilitatem a me in te transfero. 'Cum singulis
tantum vestimentis abeundi singulis potestatem fecit':
quique verba sex ve mutata, totidem vel plura vitia. Nam cur
'cum singulis vestimentis'? quod sinceritas historie non habet;
cur 'cum singulis'? quasi non potuerint abire cum binis, quemadmodum
superius narratur, 'ut cum binis vestimentis demigrent',
qualia multa sunt apud historicos exempla. Preterea
'tantum' ociose positum est, item ociose 'singulis', cum presertim
non singulis, sed universis minatus sit imperator. 'Abeundi'
cur dixeris non intelligo, cum a me non memorentur electi oppidani,
sed tantum direptum oppidum. 'Potestatem quoque facere'
plus quam stultissimum est dicere, cum hoc nihil aliud
sit quam indulgere muneris loco alterius arbitrio: nunc non
indulgebatur, ut tu vis, abitio et fuga, ut migrarent si vellent,
sed imperabatur atque extorquebatur invitis. Et ais 'fecit potestatem':
ille vero non fecit, sed promittebat se facturum potestatem.
Animadvertis cum in me nihil reprehensione dignum
sit, in te reprehensore meo plura esse peccata quam verba.

1.14.

XIV. «Quibus de tertia vigilia receptis consensisque. Et hoc quoque improprie. Neque enim dici potest equos ab illis receptos fuisse qui non venissent in hostium potestatem, cum recipere recuperare sit, vel periculo liberare. Cicero in Catone maiore: ‘Nam nisi amisisses ego nunquam receperem’; Virgilius:

frugesque receptas
et torrere parant flamis.»

Quid precipue in hac pecude coargum? stultitiam ne? an calumniam? an imperitiam? an recordiam? Stultitiam quidem, quod cum exponat recipere’ esse vel recuperare, vel periculo liberare, negat equos receptos quia non venerint in hostium

[Page 103]

potestatem, hoc est quia non sint recuperati. Quid si periculo liberati, ut certe fuerunt? Sed esto non fuerint. Cur tue partitionis tam subito te cepit oblivio? Cur, tanquam consequens sit ac necessarium, collegisti, si recuperati non sint, receptos dici non posse, non addens illud, nec in periculo fuissent? Sed videlicet id addere manifeste calumniae erat, licet id significatum velis, ut non recuperatos, ita nec liberatos periculo fuisse, cum ego sic scripserim:

*‘Verum cum equos inedia ac labore
confectos et presertim nocturno ignotoque itinere adigere vix possent,
delituerunt in colle quodam, equis in prato ut quiescerent pascerentque
alligatis; quibus de tertia vigilia receptis consensisque.’*

Nunquid minore in periculo fuerunt fruges quas nunquam domini reliquerant, quam equi quos domini victi fugientesque dereliquerant? Vides, stultissime calumniator, ut ex tuis te verbis convinco? Vides ut tibi ipse non constas? Vides ut significatum verbi quod docere vis ignoras? An non legimus ‘recipere ferrum pectore’, ‘recipere pecunias’, ‘recipere alimenta’, ‘recipere doctrinam’, ‘recipere quod suum est’, ‘recipere se domum’, unde ‘receptatores’ dicti sunt et ‘receptui canere’? Livius, libro XXV: ‘Recepti deinde ab iis ut necessarios hospitesque alloquerentur’ et in XXVI: ‘Et quam nihil in Hanibale auxilio ad receptos in fidem tuendos esse’ et in XXVII: ‘Ea primum captus est murus adiuvantibus recipientibusque Brutis et transensem in urbem est’. Lucius Florus de Sexto Tarquinio ad hostes se conferente ait: ‘Cui a Gabiis ut voluerat recepto’. Cesar, commentario septimo: ‘Copias omnes quas pro oppido collocaverat in oppidum recepit’. Sed quid exemplis in re apertissima opus est? Tuo potius, ad indicandam tuam recordiam, utar: nonne tu posterius his verbis scribis: ‘Si rex me rursus recipiat in eius gratiam’? Cur igitur, o bipedium nequissime, non dicantur eadem ratione hi receperisse suos equos? Audi nunc quid vir facundissimus Asconius Pedianus scribat super

[Page 104]

locum illum Ciceronis in Verrem ‘Ego in hoc iudicio mihi Siculorum causam receptam, populi romani susceptam esse arbitror’: ‘Suscipitur autem, recipitur pars, suscipitur hanc pendet, suscipitur solum aliquid propter se, recipitur.’ Addam quam differentiam Plinius inter ‘recipit’ et ‘accipit’ notat, inquiens in quarto: ‘Hac labitur Peneus, viridis calculo, amenus circa ripas gramine, canorus avium concentu. Accipit amnem Orcon nec recipit, sed olei modo supernatantem, ut dictum est ab Homero, brevi spatio portatum abdicat peneales aquas dirisque genitas argenteis misceri recusans’. «Reliquas virilibus partibus inter se dividendas censuit. ‘Virilibus partibus’ nunquam legi, quod meminerim, nec latine

puto in hanc sententiam proferri posse, sed 'viritim' et 'equis portionibus' crebro repperi; 'pro virili, enim, parte' idem est quod 'pro viribus meis'. » O Panormita qui te iurisperitum vocas (nam de Fatuo, qui parum legit, qui minus meminit, qui minimum quod est putat, non miror), tu nunquam duntaxat in iure civili legisti 'virilibus partibus', sive 'virilibus portionibus' (nam idem pollet 'pars' et 'portio', ut 'pro virili parte' et 'virili portione')? Ulpianus, XXXVIII Digestorum Iustiniani, libro de heredibus instituendis: 'Primus et fratriis mei filii eque heredes sunt. Nam hec adiectio declarat omnes ex virilibus partibus institutos.' Scevola, libro XXXI, de legatis et fideicommissis secundo: 'Pro partibus hereditariis, non pro partibus virilibus.' Iustinianus, Codicis libro tertio, titulo familie erciscunde: 'Inter filios ac filias bona intestatorum parentum pro virilibus portionibus equo iure dividi oportere explorati iuris est.' Idem, libro sexto, unde legitimi et unde cognati: 'Nepotibus avi materni pro virili portione etiam iure honorario successio defertur.' Quid plura exempla? cum Iustinianus ipse sermonem hunc

[Page 105]

exponat et vice versa per ipsum exponat, quorum unum est libro sexto de caducis tollendis: 'Manere hoc apud enumeratas personas sancimus omni modo pro virili portione, idest pro numero personarum' (pene idem dicens quod Paulus in Sententiis, libro III: 'Si unius patroni duo sint liberti et alterius quatuor, singuli viriles, idest equeales portiones habebunt'); alterum, Institutionum libro II, de inofficio testamento: 'Una quarta eis dari possit, ut pro rata distribuatur eis, idest pro virili portione data quarta.' Nunc ut ad te Fatue revertar, quo auctore diffinis 'pro virili parte' esse 'pro viribus' (nam 'meis' stulte addidisti)? cum idem sit quod quantum est partis unius, sive quantum spectat ad unum virum, sive quantum prestari debet ab uno viro, ut Quintilianus: 'Habes, Marcellae Victorii, quibus precepta dicendi pro virili parte adiuvari posse per nos videbantur'. Et quia dixi hoc pollere quod 'pro virili portione', idem alio loco: 'Militem, hoc est plus quam virum iam iamque in acie statrum cui pro virili portione salutem suam patria commisit, appellas.' Livius: 'Nec impensa gravis est, cum eam plus quam pro virili parte quenque capere principum vident.' Cicero in Philippicis: 'Tum me eius beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto.' Idem in Verrem: 'Est aliqua mea pars virilis.' Et Livius: 'Illi glorie pars virilis apud omnes milites sit qui simul vicerunt: sue victorie neminem omnium mortalium socium esse.' Nonne palam est partem virilem eam esse que virum contingit? Nam 'pro viribus', ut intelligas errorem tuum, est pro suis quisque viribus, quod aliter dicitur 'pro se quisque', ut Virgilius:
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.

[Page 106]

«*lubet omnes bombardarum ictus emittere*. Elegantius multo si dixisses: 'lubet tormentis muros quatí', quod verbum, a maioribus usitatum, etiam in iuniorum consuetudinem venit, cum sit generale vocabulum omnium machinarum bellicarum ingentia saxa torquentium.» Usitatum, inquis, maiorum vocabulum fuit 'tormentum', quasi de hoc nunc agatur: at non in hunc accipiebant illi sensum. Posteris, quos iuniores vocas, in consuetudinem venit: quasi negem nobis esse utendum; at nova res novum vocabulum flagitat. Generale illud est machinarum saxa torquentium: quasi non inopie remedium sit ad generale confugere, velut ad mutuum. At ego peculiare et proprium quero. Nec tamen quero, sed a pluribus in usum recepto utor, eo quidem audacius quod tormenta e lignis compacta erant (unde 'tormenta' dicta quibus homines torquebantur, quod lignea fuerunt); at hoc de quo agimus diverse multum et materie et figure et actionis, nec torquens saxa, sed expuens cum ardore et sonitu, ideoque compositum eius nomen ex 'ardeo' et 'bombus', greco quidem, sed iam pro latino apud multos auctores usurpato, quorum sunt Columella, Plinius, Apuleius, Macrobius, preter poetas, quorum sunt Lucretius et Persius: quominus debes despicere ut ineptum. Nimis longum sit si

enumerem nova a posterioribus excogitata nomina, novis rebus accommodata, vel in iure civili quod novum vocant vel in canonico, vel in theologia, vel in medicina, vel, ne ceteras scientias artesque enumerem, in ipsa re militari, quale est apud Vegetum 'matiomarbuli' et 'ebie', telorum genera veteribus inaudita quia aspectu incognita. Et certe nihil iniquius est quam ad generalia semper et improoria configugere et hanc verborum inopiam pati malle, quam suum, ut queque res nascitur, sicut in hominibus fit, attribuere nomen, et ingeniosum inventum proprie appellationis honore fraudare. Multa in hanc rem repeti

[Page 107]

possunt ex oratorie artis preceptoribus, sed Horatio contentus sum, qui ait:
Ut silve foliis pronos mutantur in annos
prima cadunt, ita verborum vetus interit etas ...
Multae renascentur que iam cecidere cadentque
que nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.
Denique libellum de novis rebus antiquitati prorsus ignotis condidi, ubi de hacquoque feci mentionem, testatus necesse scriptoribus esse uti ipsarum rerum vocabulis iam usu receptis.
Ex quo constat id quod feci, consilio, arte, necessitate, publica auctoritate fecisse.

«*Ut venator facit, qui, dispositis per diversa loca retibus, interdum plus prede nanciscitur ubi minus opinabatur.*

Et hocquoque
verbo 'nanciscitur' imprudenter usus es, sicut etiam alibi.
Neque enim 'nancisci' invenire, sed 'adipisci' dicimus. Non enim habet, ut putas, significationem participii sui 'nactus': 'nanciscitur' enim qui acquirit, 'nactus' vero est qui invenit.
Nec est mirandum, cum 'fruor' quoque, 'fretus' eius participium et 'adipiscor' atque 'adeptus' significato differant: fruitur enim litteris qui fructum ex eis capit, fretum vero alieno consilio confisum dicimus.» Satis abundantur tibi superius de hac re satisfeci. Nunc tantum dixerim 'fruor' non significare fructum capio, sed voluptatem, nec 'fretum' pro consilio tantum alieno confisum, sed interdum suo, nec tantum pro consilio confisum, sed nonnunquam viribus, doctrina, amicicia ceterisque id genus.

«*Ut qui vagi palantesque per sequentibus hostibus abierant, longius vestigia nanciscuntur.*

Iterum in eundem errorem incidisti,
indocte.» Fateor me indoctum, nisi te indoctissimum probavi.
«*Et odia conciliationem recipiunt.* 'Reconciliationem dicere debuisti, nobilis grammatice. Concilior enim regi, exempli

[Page 108]

gratia, si illi ignotus, in eius gratiam venio; riconcilior autem regi, si qua de causa mihi iratus, deposita ira, me rursus recipiat in eius gratiam.» Cur te, infelix, elleboro non purgas? An expectas dum Hippocratem ad curationem tui vocemus, sicut ad curandum Democritum Abderite fecerunt? Et illum quidem sane mentis, ut et Hippocratis et ipsius litteris constat, cives sui sanatum volebant; te vero plane insanum ac furiosum cives tui non alligant, neque ad medicum trahunt! Ais 'reconciliationem' fuisse dicendum, non 'conciliationem', quasi de iis qui ex amicis inimici facti sunt sentiam et non de omnibus qui inter se odia gerunt.

«*Invidia nullo pacto conciliari potest.* In idem vitium, imprudens, iterum incidisti. 'Reconciliari' enim, non 'conciliari' potius dicere debuisti, sed melius et magis proprie 'mitigari' et 'sedari'.» Iterum dico, cur te non purgas elleboro? Quomodo potest invidia reconciliari, cum de odiis dicatur reconciliatio? Et tamen invidia pro invidis ponitur, ut odia pro iis qui

odia gerunt. Horum animos non reconciliandos, quia nec amici forsitan nec inimici fuerunt, nec mitigari ac sedari, quasi irati fuerunt, sed conciliari nobis dicendum est.

«*Et hoc peius nocere potest*. Neque eleganter, neque recte dictum: non enim peius nocere, sed gravius, vel vehementius potest.» Quanto prestaret si apud me ageres discipulum quam magistrum! Nam hec in Elegantiis exempla protuli, cum de ‘bene’ et ‘male’ preciperem, que crebro pro ‘valde’ ponuntur, et de ‘peius’. Cicero, De oratore: ‘Habetis orationem bene longam.’

Plautus in Aulularia:

Nimis male timui.

[Page 109]

Cicero in Bruto: ‘Addebat etiam idque ad rem pertinere credebat, scriptores illos male mulctatos’, idest valde et quasi bene mulctatos, sed in malum suum, ideoque non bene dixit, sed male. Idem in Philippicis: ‘Quo neminem veterani peius oderunt.’

Terentius in Adelphis:

Illud rus nulla causa tam male odi, nisi quia prope est.

Ovidius, Heroidum:

Peius adulterio turpis adulter obest,
igitur idem est ‘peius obest’ quod ‘peius nocet’, idest magis et vehementius nocet, non modo recte, sed etiam eleganter dictum, quod tu pravus et barbarus ignorasti.

«*Ubi sub oculis hostis fuit, quam occultissime poterant, subsequuntur, ut lateant credentem se latere alios, fallantque cum fallit.*

Pedagogicus sane et perobscurus sermo, quem non emendavi quoniam talis est ut ne Edipus quidem, qui Sphingi interpres fuit, illum, si reviviscat, intelligat.» Nunquid pedagogicum est non intelligenter loqui et perobscure? Quod si ita esset, tu profecto omni tua vita pedagogus intelligere deberes, quemadmodum est in veteri proverbio: ‘balbos balbi intelligunt’. Nefande, heccine perobscura et enigmatica sunt verba?

‘*Hos
barbari equerii, cum viribus freti, tum improviso adventu sperabant*

[Page 110]

se oppressuros interceptaque re frumentaria stationem retenturos, usque dum aut rex auxilia misisset, aut sibi alias manere conducibile visum esset. Observato itaque tempore, per occultos transversosque trahentes eunt; investigatores eorum, iter numerumque odorati, mittunt breviore via ad stationarios nuntium docentque quid acturi sint. Ipsi, coacto raptim suorum globo, vestigia insequi instant et ubi sub oculis fuit hostis, quam occultissime poterant subsequuntur, ut lateant credentem se latere alios, fallantque cum fallit.

Quid hic Edipo est opus? Cum enim hostis latere vult eos qui in statione erant, ut incautos opprimeret, alia Christianorum manus a tergo insequens eum latuit volenterque fallere fecellit. Quale est apud lustinum: ‘Itaque insidie in insidiatorem verse et qui se securum aggressuros putabant, securis in itinere et pervigilio noctis fatigatis occursum est.’ Tu vero elegantius, qui Edipum Sphingi dicis interpretem fuisse, quia unum sibi propositum a Sphinge soluit enigma; verum quandoquidem nescis Edipus esse, consideres an Sphinx potius sis, qui mihi velut iter facienti occurris et verborum nectis ambages, et ego tuus Edipus non modo sapientior te, sed etiam fortior, qui

te grassantem in viatores mea manu compescam.
«*Inflato torrenti*. Melius ‘aucto imbris’.» Quid
de Livio sentis, qui ait: ‘Vulturnus amnis inflatus aquis et preces
Nolanorum atque Acerranorum tenebat.’? Hoc in XXIII; idem in
XL: ‘Sed quia profectos a domo inexplicabiles continuis imbris
vie et inflati amnes tenebant.’
«*Et, ut illi loquuntur, duabus leugis*. Hoc modo vulgus
loquitur, non illi qui se eruditissimos profitentur.» Immo
hoc modo Fatui reprehendunt. Nonne, ut Cicero Quintilianusque
precipiunt, quia durius videbatur hoc nomen temperavi
ea premunitio ‘ut illi loquuntur’, quod satis erat ad inauditum

[Page 111]

ac barbarum verbum molliendum? Nunc nec barbarum,
nec inauditum est. Ut ceteros omittam, audi Hieronymum in
Iobel dicentem: ‘Nec mirum si unaqueque gens certa viarum
spatia suis appellant nominibus, cum et Latini mille passus vocent
et Galli leugas et Perse parasangas et rastas universa Germania,
atque in singulis nominibus diversa mensura sit.’
Vulgus ne, minutissime minutorum, an doctissimorum usum
auctorem habeo? Nonne Xenophon grece scribens itinera dierum
parasangis metitur? Cur ita? Quia de rege Persarum et suo
illinc reditu scribit. Sileamus greca, que tibi ne degusatata quidem
sunt; nonne Curtius, quod ille parasangis, ipse stadiis
facit? Quia Alexandri Macedonis gesta referens, greco nomine,
quod et Macedonum est, significandum putavit. Ita ego hispano,
de hispano principe loquens; est autem nomen hoc Gallie quidem
nativum, sed cum Hispanis illi commune.

1.15.

XV. «Taceo illud ‘portentosa mendacia’, quod ‘portenti similia’,
aut certe ‘portentuosa’, sicut ‘monstruosa’, dicere debuisti.»
Duo reprehendis, insolentia nominis et formationem.
De secundo prius agendum, de quo ita accipias sic dici ‘portentosum’,
ut ‘lutosum’, ‘cenosum’, ‘damnosum’, ‘lucrosum’, ‘vitiosum’
et cetera infinita. At enim dicimus ‘monstruosum’: nunquid
plus unum in analogia pollet exemplum quam infinita?
Sed, o unicum Prisciani exemplar, nunquid ex eo didicisti
in ‘monstrosum’ inesse **u?** que in solis declinationis quarte nominibus
interponitur, quod ego in Elegantiis tradidi, ut ‘luctuosus’,
‘questuosus’, ‘sumptuosus’, in secunde vero minime, ut
‘ramosus’, ‘dolosus’, ‘lacertosus’, quod certius fit in neutris
exeuntibus in **um**, que nunquam sunt quarte et semper secunde.
Ergo ‘monstrosum’ trisyllabum est. Exigis, preter preceptum

[Page 112]

analogie, auctoritatem. Certe nulla esse nisi ex poetis potest, ne
forte librarii culpam causeris. Lucanus:
Monstrosique hominum partus;
hoc tu, Panormita, poetarum decus, non animadverteras, animadversurus
siquo in lascivo poeta fuisse. Sed hoc levius
quippe, quod ad orthographiam pertinet; illud gravius quod
prius reprehendistis, emendantes hoc nomen tanquam insolens,
quod, o cecum livorem, non meum, sed Plinianum est quoque
pro illius, non pro meo sum usus, inquiens:

‘*Que ne longius reprehendam,*
sat erit Plinium audire, qui de Naturali Historia ait:
– *Universa autem que de Hercule ac Pirene vel Saturno traduntur*
fabulosa in primis arbitror que iterum appellat – portentosa
Grecie mendacia –».

An desideratis aliunde exempla? Cicero,
Pro domo sua: ‘Hunc tu portentosa pestis exulem dicere ausus
es’ et in secundo De divinatione: ‘An vero illa nos terrent, siquando
aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur?’
Sed quid ago, quasi Plinio patrocinium prestare debeam,

qui hoc vocabulo usus est, non ego? Itaque desino repetere exempla, illud vobis dictum volens, paucissimarum litterarum lectione contentis: quia apud Ciceronem Pro Ligario est: 'Portentum simile est quod dicam', existimastis nusquam apud eundem, immo apud aliquem reperiri 'portentosum', quod sic est quadrisyllabum ut 'monstrosum' trisyllabum.
«Et illud 'ob factiosam potentiam', quod 'ob factionem et potentiam'.» An vis 'factiosum' non inveniri, sicut 'portentosum'? an idem esse 'ex factione potentiam' quod 'factionem et potentiam'?
«Et illud 'due hippagines', quod 'due actuarie' vel 'vectorie naves'.» Quid te imperitius? qui et 'hippagines' reprehendis, quas Pompeius Festus ait esse naves 'quibus equi vehuntur,

[Page 113]

quas Greci ????????? vocant', et pro illo 'actuarias' 'vectoriasque' substituis, quorum secundum aut non invenitur, aut inusitatum est, cum apud commentarios Cesaris semel pro 'actuariis' scribatur 'vectoriis', que falsa te scriptura decepit, ubi minus errasses si legisses 'gerariis', ut Plautus in Mercatore: Edificat navim gerariam et merces emit, (licet et apud Suetonium legatur in Vita Cesaris, si modo recte legitur, 'vectoria navicula' que certe ab oneraria differt); et primum multum differt ab iis navigiis quibus equi transportantur, quod intelligas licet ex verbis Marcelli, libro Digestorum Iustiniani undequinquagesimo, de captivis et postliminio redeuntibus ab hostibus: 'Navibus longis atque onerariis propter belli usum postliminium est, non piscatoriis aut siquas actuarias voluptatis causa paraverunt.' Nonius quoque Marcellus exponit inquiens: 'Actuarie navicule celeres dicte quod cito agi possint. Salustius, tertio Historiarum: – Ad hec pauca piratica actuaria navigia Sisenna: – Quibus occisis actuarias ad XX milia, idem complures onerarias incidunt –.'

«Et illud poeticum: 'Acre prelum surgit', quod 'oritur' dicendum fuit eleganter scribendo.» O caper, ne dicam capram, qui fieri potest ut quia poetice quid dictum sit inelegans? quasi poete ceteris scriptoribus loquantur incultius et non potius excutius. Est ne poeticum? Profer, agedum, aliquem poetam sic locutum. Est ne poeticum? Num magis quam 'prelum exarsit', quam 'accensum est'? Non opinor: atqui sepe legimus 'bellum exarsit' et 'pugna atrox accensa est' etiam in prosa, licet ut ait Quintilianus 'historia quasi carmen solutum est.' Est ne poeticum et supra prosam orationem? At ego dabo tibi ex quotidiano usu exemplum: 'Si exurgat adversus me prelum, in hoc ego sperabo'.

[Page 114]

«Pretero et illud:

*'Hac carne se exercitus ea nocte quam
pervigilem commessando et perpetando duxit, in preteritum pavit,*

quod est preter historie dignitatem.» Quid ita preter historie dignitatem, duntaxat in verbis de quibus agimus? Quid in sensu ab historie natura ac consuetudine alienum, infelix calumniator?
«Et illud:

*'Nostri stupere, doler e, pudere, inter se lamentari
ac queri prodigionem et mussitare',*

quod perabsurde et incomposite prolatum est.» Iterum dico calumniator infelix! Hec mea verba sunt:

*'Inter se lamentari detrimenti tantum quod accipiebatur
dedecusque, ac queri proditionem et quis nam proditionis
auctor fuisset mussitare.'*

Non erubescis, sceleste, totiens vitiare
tabulas quas in iudicio proferas? Nam quod dixi: nostri stupere,
dolere, pudere' feci eo quo Livius modo, qui ait: 'Vigiles
velut ad vocem eorum excitati tumultuari, trepidare, moliri.'
«Et illud:

*'Magis impie magisque inexpabiliter grassatur
proditio',*

quod iejune et aride a te dictum est.» Eo ne
inquisitionis progrederis ut de iejunitate et ariditate agas? Modo
saturare orationem et saginare seu locupletare me doceas: hoc
non facis; quanquam quid iejunitas aridasque ad elegantiam?
quomodo e singulis verbis elucet ubertas dicendi vel siccitas?
quomodo, ut ad litteram verba subiiciam, iejune arideque disserui?

*'Qui ex tanto et tam presenti discrimine erepti, animos
tollebant ferocioresque, quasi vicissent, se ostentabant, Deum pro
ipsorum causa pugnare iactabant; nam numen affuisse, non casum
aut fraudem intercessisse, existimabant. Omnino nusquam magi
impie atque inexpabiliter proditio grassatur quam in bello contra
religionis hostes: ubi que sibi successerunt prospera, scelere nostrorum,
ea divinitus evenisse interpretantur, tegente proditionem in*

[Page 115]

*posterumquoque tempus eo qui ad prodendum nostros solicitavit
atque induxit.'*

Heccine tibi videntur esse dicta iejune et
aride, vir digne patibulo? qui alia verba suptrahis, alia commutas,
qui dimidiatum sensum profers ne vere iudicare possint
ii quos de hac ipsa re vis iudicare.
«Et illud: 'Propter desuetudinem rusticorum ab agris',
quod 'propter intermissam agrorum culturam' dicendum fuit.
Quasi vero nisi uno tantum modo quid eleganter dici nequeat!
Cum superius isto modo locutus sim, quem modum tu,
impudentissime, vis esse mihi ignotum, varianda fuit figura
dicendi. Et nihilominus aliud est intermissam esse culturam
(nam potest intermitti illa non migrantibus rusticis, ut frequenter
evenit metu latronum), aliud rusticos diu abesse, quod
ego significavi, inquiens:

*'Cumque in agrum hostilem perventum
est, magna vis ferarum excitata est e consuetis locis propter
diutinam, ut fit in bello, desuetudinem rusticorum ab agris.'*

«Et illud: 'Fugate atque exterrite', quod prepostere protulisti.
Hoc neque ad elegantiam, neque ad dignitatem
pertinere, ut superiora quoque et sequentia pleraque, taceo,
tantum dico an vere reprehendas ex ipsa verborum inspectione
constare, que sunt:

*'Que fere ab agmine armatorum, in quod
inciderant, fugientes, cum in aliud et subinde aliud incurserent,
fugate atque exterrite hominum vociferationibus, tandem conficiebantur,
aut vive presertim defesse fugitando in potestatem multorum
manusque veniebant.'*

Nonne prius fugate sunt quam exterrite,
et hoc ipso exterrite quod fugabantur? Non enim dicitur
timentes', quasi sua sponte, sed ab aliis territe atque exterrite
fugantibus ac vociferantibus. Nisi vis, ut hebes es et insitus,
postquam fugere ceperant non potuisse exterreri.

[Page 116]

«Et illud: *'Ab agmine armatorum fugientes'*, quod 'agmen
fugientes' dicere honestius fuit.» An 'fugere ab hostibus',
'fugere a dominis', 'fugere a loco' inusitatus est sermo? Cicero
De senectute: 'Libenter enim istinc sicut ab agresti ac furioso
domino profugi.' An quia fugere utputa a domino significat
apud dominum fuisse? ut ita sit, nonne apud armatos fere videri
possunt fuisse, cum dicantur in illos identidem incurrisse?
«Et illud: *'Ad capiendam venationem'*, quod 'ad capiendam
predam'. Sileo quam elegans sit aves appellare exercitus
predam. Infinita exempla sunt ubi venatio pro re quam
venando capimus usurpatur. Livius: Apud quem solstitiali
tempore comiter accepti cum miraremur unde illi eo tempore
anni tam varia et multa venatio.' Cornelius Celsus, De medicina,
libro primo: 'Venatio durique pisces et ex domesticis animalibus
assa caro maxime iuvat.' Et aliis compluribus in locis.
Quintilianus: 'Quod omnibus nascitur industrie premium
est sicut venatio et aucupatio.' Frontinus: 'Venationequoque
et pecoribus quidam miserunt litteras membranis mandatas.'
Paulus, de actione empti et venditi: 'Veluti cum futurum
iactum retis a piscatore emimus, aut indaginem plagiis positis
a venatore, vel pateram ab aucupe.' Idem, de hereditate vel
actione vendita: 'Nec enim alea emitur, ut in venatione.' Vides
ut iactum, ut indaginem, ut aleam vendi dicitur, ita etiam
venationem haberi, comediri, premium esse, mitti, emi: quid ni
etiam capi? quod adeo planum est ut etiam legamus in Genesi
Isaac filio suo sic iubentem: 'Affer mihi de venatione quam
cepisti.'
«Et illud: *'Menia concludens'*, quod 'urbem circumsidens'
dicendum fuit.» Hec mea verba sunt:

*'Eumque fossa primum et
vallo, in sequentibus diebus per ocium muro ac maceria ad staturam*

[Page 117]

*hominis circumdedit. Idem fecit in inferioribus Ferdinandus,
munitionibus, quantum dabatur, menia concludens, crebra nunc
huc, nunc illuc oppidanorum eruptione opus distinente. A tergo
partim iuncti carri cladebant, partim fossa et vallum.'*

Est ne
igitur hoc circumsidere menia, an concludere atque circundare,
impudentissime Thersites?
«Et illud: *'Alii totidem latebant'*, quod absque ea particula
'alii' proferri debuit.» Quid non possunt aliis esse et
non totidem? Sed ne multis utar, audi Horatium:
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro
tertia succedent.
«Et illud: *'Alibi effusa fuga, alibi confusa fuga'*, quod confuse
protulisti.» Bis ne ego 'fuga' dixi, scelerate, an semel, sic:

'Iam omnis ex inferioribus castris exercitus se proiecerat et, alibi effusa, alibi confusa fuga, petentem tuta hostem invenit'?

Tu, tu,
falsiorum impudentissime, confusum sermonem reddididisti,
si tamen confusa potius huiusmodi quam parum terfa habenda
sit oratio. Tu itaque eam inquinasti, idque malitia, non errore:
nam Deum testor, qui et tui facti et mei testis est atque iudex,
mirari me quomodo errare potueris ut bis 'fuga' legeres quod
semel est scriptum.

«Omitto et illud: 'Ad certius explorandum', quod 'ad
explorandum' tantummodo dici debuit.» Quid, si exploraverunt
quidem qui missi erant, sed imperator exigit explorari
diligentius, non dicemus 'certius explorari'? Nisi stoicari volumus,
ut nihil vero sit verius, nihil bono melius, nihil perfecto
perfectius, nihil certo certius. Dii te perdant, ut Regulus
dixit, 'simia Stoicorum'! Quod si ad communem loquendi consuetudinem

[Page 118]

fari volumus, quis hunc sermonem reformidet,
immo quis reformidavit unquam? Livius, libro tertio:
'Speculatores mittendos censere, qui certius explorata referant'
et in X: 'Ea quanquam similia veris erant, certius tamen exploranda
ratus dimittit equites.' Quot iam locis, cum mihi detrahere
vis, summis et immortalibus viris detraxisti.
«Et illud: 'poscentium misericordiam', quod 'veniam petentium'
dicere debuisti.» Ut proxime Livium, sic nunc
Ciceronem cum ceteris reprehendis, qui ait Pro Milone: 'Quid
restat igitur nisi ut orem optesterque vos iudices, ut etiam
misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat,
ego etiam repugnante hoc et imploro et exposco?' Et paulo
post: 'Eorumque nos magis miseret qui nostram misericordiam
non requirunt, quam qui illam efflagitant.' Et Pro Murena:
'Vestram fidem optestatur, misericordiam implorat.' Adde quod
indecens nomen erat, hoc loco, 'venia', cum non se peccasse,
sed miserabiles esse illi faterentur: nam peccato venia, calamitati
misericordia tribuitur.
«Et illud: 'Cibum quem poterant, deinde quietem capiunt',
quod 'deinde corpora curatum abeunt' dicendum fuit.» Cur
ais 'curatum abeunt'? cum ego non significaverim abeentes,
sed manentes, his verbis:

*'Sicque dispositis qui obsessos et qui
pecora in pascuis custodian, cibum quem poterant, deinde quietem
capiunt lucemque expectant, tunc quid consilii ineundum sit deliberaturi.'*

Cur ubique depravas aut verba aut sententias
meas? Preterea quid opus fuit ista emendatione? Certe quod
aut quietem pro somno accipi negas, quo verbo omnes libri
scatent, aut 'capere somnum' reperiri, quod cum alibi, tum
apud Ciceronem est Pro Sexto Roscio: 'Somnum statim capere
potuisset.' Non fuit igitur causa cur verba mea et latina et nitida
et usitata mutares, nisi ut ostentares te tanquam elegantem, vir
putidissime, levissime, ineptissime. Nam, ut intelligas quanto

[Page 119]

in errore versaris, qui vis curare corpora idem esse quod dormire,
ante curamus corpora quam somnum petamus, quin
immo, siquid differentie est inter hoc et cibum capere, prius
sit curare corpora: an non, cum lavamur, inungimur ceteraque
nature necessaria facimus, corpora curamus? Si negas, audi
Curtium: 'Protinus regi corpus forte curanti, quid index detulisset,
ostendit'; certe rex tunc nec cibo reficiebatur, nec dormiens
audire potuisset: ergo aut lavabatur, aut simile quid
agebat. Quod quale fuerit ex loco illo eiusdem auctoris apparent:

'Egyptii Chaldeique iussi corpus suo more curaverunt';
hoc de Alexandri cadavere cum dicatur, palam est etiam aliud
quiddam esse curare corpus quam cibo reficere, quod in vivis
antequam cibus capiatur fieri debet, prout declarat alibi idem
auctor, cum inquit: 'At ille thoracem adhuc indutus nec ante
cibo est refectus aut prius quam veniebat exercitus constituit,
nec ante ad curandum corpus recessit, quam preterierant qui
agmen ducebant.' Perinde atque si dixisset 'nec ante ad focillandum
corpus recessit, nendum cibum non sumpsit, quod post
focillationem fit'; nam de somno sentire stultum est, presertim
dicente Livio: 'Corpora curare somnoque operam dare
ut primis tenebris convenire ad signum possent.' Iterum: 'Ceteris
signum dari iubet ut mature corpora curarent quietique
darent: nocte in expeditionem eundum esse.' Quid multa?
Quam ridiculum sit sentire idem esse curare corpus quod dormire,
cum nihil admodum current qui dormiunt? Interdum
etiam ad cibos spectat, ut idem: 'Pedestris pugna par animis
magis quam viribus erat, quoniam recentes Penus paulo ante
curatis corporibus in prelium attulerat; contra ieunia fessaque
corpora Romanis et rigentia gelu torpebant.' Et alibi apertius:
Curati cibo corpora quieti dant.' Nonne prope mea verba hec
sunt? Nonne a curatione corporis somnus excluditur? Et tu
me vis dicere debuisse 'cibum quem poterant capiunt, deinde
corpora curatum abeunt', cum corpora curare sit (ut iam concludam

[Page 120]

et te magistrum meum doceam atque dedoceam) agere
curam corporis vel cibo potuque, vel aliis que necessitas nature
desiderat antequam dormias.
«Et illud: 'A sociis videri, ab hostibus non videri possimus',
quod incomposite protulisti.» Cur incomposite, vir prorsus
incomposite? qui etiam ignoras quid sit compositio, de qua
tanquam de difficillima parte oratorie artis tam multa Cicero
Quintilianusque precipiunt. Nam tu de ea sentis de qua
idem Cicero, nondum satis perfectus, loquitur in libris ad Herennium,
vix quatuor verbis: quos tu mihi libros, ab auctore
suo non probatos velut scholasticos, scholasticus ipse semper
ingeris et inculcas. Quo palam declaratur te cetera multo potiora
nescire.
«Pretermitto et illud: 'Sed tantus proprie salutis metus;
quod 'sed tanta recuperate salutis letitia'.» Quis credat (ne
plura respondeam stulto) pro 'letitia' 'metus', pro 'recuperate'
'proprie' me dixisse? Nam emendare nihil aliud est quam testari
hoc non in illo modo fuisse illi, quem emendas, dicendum
faciendum ve.
«Et illud: 'Aut ritu pecudum caprarumque mactabunt',
quod 'veluti pecudes caprasque mactabunt'.» Quid reprehendis?
An quod 'ritu pecudum' dixerim? At Livius ait:
'Cibo vinoque raptim hausto replete, ubi nox appetit, prope
rivos aquarum sine munimento, sine custodiis passim ferarum
ritu sternuntur.' An quod 'ritu' ad suppositum refertur? Atqui
idem nihil interesse demonstrat in apposito, inquiens: 'Nos hic
pecorum more per estivos saltus deviosque colles exercitum
ducimus.' Nam 'ritu pecorum' ut 'more pecorum' dici posse
modo ostendimus. Siquid aliud sentias nescio, immo ne tu
quidem scis quid aut loquaris aut sentias: ut ineptus sim si

[Page 121]

ambages tuas discutere pergam, licet uteris tua natura, cum
Sphinx sis; verum, ut video, in hydram converteris, cuius, excisis
singulis, plura capita succrescent. Itaque Sphingi Edipus
fui, hydre Hercules ero.
«Et illud poeticum: 'Convolvens flameas pilas', quod 'late
iactans incendia'.» Cur ita poeticum? Interroga eos qui
me rem gestam edocuerunt, num fuerint pile flamee quas in
celum rapiebat incendium; et sane ex ipsa narratione quid ego
significaverim evidenter ostenditur. Hec enim sunt verba:

'Nec vulgari igni, sed incendiario agebatur, cui aqua obsisti non potest. Is igitur coria ac cetera madentia adeptus, sive ipso humore aleretur, sive repelleretur, cum horrisono strepitu in celum (quo sagitte mitti nequeant) assidue ferebatur, convolvens flameas pilas humano capite maiores.' Cur tu, sycophanta, hoc reticuisti 'humano capite maiores',

quod de incendio consueto me non dixisse manifestum est, ubi nihil simile pile est? Preterea flama et incendium ignis est, ut absurdum fuerit futurum 'ignis convolvens flamam', in quem loquendi modum ipse emendator incidisti, 'ignis iactans incendia': in quo, si nihil aliud, id certe vitii, quod poeticum est, id quod in me tu nescio an malignius an imperitius reprehendisti.
«Et illud: 'Sagittabatur', quod 'sagittis precipue hostes incessebantur'. » Hec mea verba sunt:

'Et in eos undique ab oppidanis sagittabatur':

tu pro 'sagittabatur' commutas 'incessebantur', quasi 'sagittare' non reperiatur, cum legamus etiam 'artem sagittandi'. Preterea cur verba aut addideris, aut sustuleris, aut mutaveris, num calumnia magis an dementia fuerit, aliis iudicandum relinquo.
«Et illud: 'Templum mugiebat', quod 'resonabat' vel 'sonitu complebatur' dicere debuisti. » He sunt annotationes Panormite, qui se poetam vulgo nominat, qui si sciret quousque liceat oratori atque historico metaphora non ita male

[Page 122]

instructum in forum ad iudices suum Fatuum dimisisset. Nolo de natura metaphore impresentiarum disputare, cum nemo, nisi iniquissimus, rerum iudex sit (ni fallor) improbatus hanc translationem, quam Fatuus calumniator depravat, omissa parte verborum, que hec sunt:

'Multi in templum, multi in arcem configuerunt. Sed multo magis preses arcis quam Deus preses templi implorantibus opem tulit. Nam et avidius nostri rapine gratia ad templum properarunt et locum illum magis consentaneum talibus victimis existimaverunt. Natabat omne humano eruor e pavimentum et gemitu moriendum templum mugiebat'.

Quid ergo mirum si ex confuso multorum hominum gemitu templum mugire dicatur, presertim ubi fit mentio victimarum?
«Omnia enim ista ut leviora transeo». Sed ut ipse leviter transirem non effecisti, homo levissime.
«Sed de elegantie tue vitiis satis in presentia dictum sit.»
Cur paulo ante dignitatis fecisti mentionem, si tantum de elegantia agebas? Sed velim doceas que sint elegantie vitia:
an vitium illa est? Vir nullius prorsus elegantie summaque stultitia, dementia, malignitatis, in quo videre licet id, quod post homines natos in nullo contigit, contigisse, ex prope infinitis peccatis que in opere quamvis nondum edito vixquedium condito te probaturum pollicebaris, nullum hactenus probare potuisse, sed cum hoc efficere niteris, non in totidem, sed in quadruplo peccatorum numero esse convictum, qualis etiam in sequentibus convinceris: ut non modo penam talionis des, calumniator, verum que furibus pena constituta est quadruplum solvas, fur ac trifur.

[Page 123]

2. LIBER SECUNDUS

2.1.

I. Si prescriptum servare accusatoris in respondendo vellem,
non de verbis nunc, ut hactenus feci, sed de sententiis disputarem,
iterum ad primam controversiam, mox ad secundam atque
identidem reversurus: nam in sequentibus invectivis ille prorsus
quem instituerat ordinem, et si ridiculum ac puerilem, de elegantia
et dignitate, deseruit, verborumque ac sententiarum
vitia promiscue obiicit, quodammodo a se ipso deficiens et
ubique inconstantie stultitieque sue preferens signa. Hanc
ego perturbationem adeo mihi non sequendam statuo, ut etiam
si iste ab instituto quod superius sepe destituit non destitisset,
tamen omnia que de verbis opponit separatim refutanda existimarem,
quo velut corpori sua redderem membra, neque uni
tantum corpori, sed duobus, verborum alteri, alteri sententiarum.
Siquidem cum universa que de verbis ex iis que de
sententiis obiiciuntur per me extraheantur unumque in agmen
contrahentur, que reliqua sunt et ipsa unum sua sponte corpus
et agmen efficient, stabuntque seorsum atque altrinsecus due
quasi acies, una peditum, altera equitum, contra quas ego meas
copiae primum peditum, deinde equitum emitam. Sic enim
quantum in utraque acie roboris sit diiudicabitur, si milites non
cum diverso sed cum simili militum genere, si non interrupto
sed continent prelio, si non eodem tempore sed distributo configent;
sicut iam aliquandiu pedites confligunt et in medio
certaminis ardore versantur et, nisi fallor, magna pars hostilis
exercitus confecta vulneribus iacet. Quo magis festinemus
quod superest peditum immittere, ne refrigescat pugna, ne
stricti in dextris gladii torpescant, ne Victoria que in manibus
est diutius differatur, felix faustumque sequenti pugne auspicium.
Hec autem sunt ex secunda invectiva in secundum librum
meum, ut differamus ultimum in locum que ex hac ceterisque
in mores meos evomuntur. Prius tamen quam eius obiecta pono,
que in proemio secundi libri peccavit notabo.
«Tuum de illorum operibus iudicium frivolum et contemnendum

[Page 124]

esse. Quos cum legis.» 'Quos' pro 'que' positum
est: ad opera enim, non ad auctores relativum hoc respicere debet,
quia libros, non homines legimus; quod si quando tropice
pro operibus nominamus auctores, id ita demum fit si libros
nominare supersedemus. Nam quis nisi demens ita loquatur:
'Mittam ad te tragedias Eurypidis quem emi' et non 'quas'?
Secus autem, tropice sic: 'Eurypidem quem emi quotidie
emendo'.
«Omnes qui summam auctoritatem eorum scriptis consecuti
sunt.» Simile est quod superiore libro repetii ex te:
«Si rex me rursus recipiat in eius gratiam». Dicendum erat
'suis scriptis' et 'suam gratiam'. Sicut e contrario illud quod
item repetii ex quarta invectiva, «Quam tamen, et si impudens
es, ipse negare non es ausus presente rege, cum ego errata tua
coram maiestate sua proferre contenderem»: nescis reciprocum
hoc esse pronomen dicendumque fuisse 'coram maiestate
eius'? Nam sic vulgo, non bene litterati loquuntur: 'Ego
dedi sibi; vis dare sibi librum; ego ivi ad villam suam', cum hoc
pronomen ad eandem personam, sive ad eandem rem faciat
relationem, ut 'Ille placet sibi; cupit sibi reddi sua', vel intermixta
altera persona, ut 'Voluit me secum cenare; oravit ad
se ires', non autem (quod fuit alterum in hac re vitium tuum)
'oravit ut ad eum ires; voluit me cenare cum eo; cupit sibi reddi
que eius sunt'. Hoc etiam loco abs te positum est 'coram'
pro 'apud', sicut iterum superiore libro, et e contrario 'apud'
pro 'coram', inquiens: «Coram inclito rege nostro in tot clarissimorum
procerum virorumque consessu, apud quos etc.»
Quam differentiam inter has prepositiones me promisi redditurum,
quod nunc faciam, potissimum ex Livii verbis: 'Ad ea

Quintius, coram quibus magis quam apud quos verba faceret,

[Page 125]

dicere Archidamum rationem habuisse': est igitur apud aliquem verba facere, dum ad illum habetur oratio, coram vero, dum illo presente et fortassis etiam adhibito. Tu autem, cum regem alloquerer presentibus proceribus, sicut iterum postea dixisti 'coram rege coramque maiestate sua' et 'apud proceres'. «Omnia que in libro tuo reprehenderam cum libellum meum.» Quid ineruditus quam tres libros historiarum appellare librum, totidem suos libellum, item sex Elegantiarum volumina numero singulari nominare? «*Neque plane esse illegitimum ex patre celibe et matre innupta.* Celibem hominem puto dici qui vitam celestem in terris agat, procul ab uxore et femine concubitu: tu autem illum ex celibe natum esse vis, quem si continentem appellasses aliquanto magis proprie dixisses.» Hic plane confiteris id cuius superius ex Quintiliano meministi te non legisse, sed ex alio audisse, cum et illud et hoc sit ex eodem libro et quidem primo. Ait enim: 'Ingenioseque visus est Cavinus 'celibes' dicere quasi celites, quod onere gravissimo vacent, idque greco argumento iuvit: ??????? enim eadem de causa dici affirmat. Nec cedit Modestus inventione: nam quia Celo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos quia uxore careant ait.' Hoc tu nunquam, Fatue, legisti, unde discere posses huius verbi significationem. Quid non aliunde infinitis ex locis scire poteras? de quo ego, cum in Elegantis sic preciperem: 'Celebs tam est qui caruit semper uxore, quam qui nunc caret, inde celibatus', nullum subieci exemplum, tanquam de re parum dubia: que quoniam tibi est etiam ignota, nunc exempla subiiciam. Plautus in Casina:

[Page 126]

Sed utrum nunc te celibem esse mavis liberum
an maritum servum etatem degere et gnatos tuos?
Idem in Mercatore:
siquem scibimus
seu maritum, seu Hercle adeo celibem scortarier.
Ecce tibi celibes scortatores, qui vis eos esse utique continentes!
Horatius, epistola prima:
Nil ait esse prius, melius nil celibe vita:
si non est, iurat bene solis esse maritis.
Suetonius in Galbe vita: 'Verum amissa uxore Lepida duobusque ex ea liberis, mansit in celibatu, neque solicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippine quidem, viduitate morte Domitii que maritumquoque adhuc necdum celibem Galbam adeo omnibus solicitaverat modis.' Idem in Claudi: 'Confirmavitque pro contione apud pretorianos, quoniam sibi matrimonia male cederent, permansurum se in celibatu.' Et iterum: 'Quibusunque aut celibatum aut orbitatum aut egestatem obiiceret, maritos, patres opulentos se probantibus.' En celebs marito oppositus, ut orbus patri et egenus opulento, quod congruit cum illo Quintiliani: 'Clarus an obscurus, magistratus an privatus, pater an filius, civis an peregrinus, liber an servus, maritus an celebs, parens liberorum an orbus.' Iustinianus, Codicis libro quinto de donationibus ante nuptias vel propter nuptias et sponsalitiis: 'Ea que tibi ut sponsus daturum se repromisit is qui te facto celibatu, cum aliam matrem familias domi reliquisset, solicitavit ad nuptias, petere cum effectu non potes, cum tu sponsa uxore domi posita non fuisti.' Sed quid plura exempla? Profer tu pro te vel unum et viceris. Nisi Pompeium Festum sequeris sic scribentem: 'Celibem

[Page 127]

dictum existimant quod celo dignam vitam agat', in quo Pompeius suo more etymologiam attigit, non significationem expressit, tanquam planam apertamque, preter quam fatuis qui in tanta exemplorum silva venari nec unum sciunt. Celestis enim vita quibusdam putabatur gravissimo nuptiarum

carere onere: quales fere sunt adolescentes, quos Cavinius quasi a deo dici vult ???????; nam continentem esse, ut ad opinionem veterum loquamur, non est celo digna vita, Celo inquam vel patre Saturni, qui amissis genitalibus coactus est continere (licet continentia voluntatis sit, non necessitatis), vel celibibus, quorum nullus continens fuit (citius cum bestiis celibatum quam cum celibibus communicaverim, dicente Plinio de columbis: ‘Nisi celebs aut vidua domum non relinquit’). Que res, ut scias quid Pompeius senserit, non modo divina non est apud veteres existimata, sed etiam improbata, ut in Lege XII Tabularum: ‘Celibes esse prohibento’, de quorum pena cum Valerius Maximus aliquae nonnulli meminerunt, tum vero in Codice Iustinianus, titulo de infirmandis penis celibatus et orbitatis. Et tu vis idem esse quod virtutem continentiam, cui contrarium fecisti concubitum feminine, quasi ‘concubitum’ dicere non sat esset, ubi nescio quem concubitum videris excipere; et si ‘concubitum cum femina’ erat dicendum, potius quam ‘concubitum feminine’. An sic Plinius idem de Essenorum gente ait? quam et si continentem, tamen celibem non vocat: ‘Gens sola et in toto orbe preter ceteras mira, sine ulla femina, omni Venere abdicata.’ Qui sequitur multo intolerabilior est error. Vos appello, viri ut fortissimi sic circumspectissimi genuenses: huncine in numerum collegiumque vestrorum recipietis quos cancellarios appellatis, tam hebetem, tam vacui capitis, tam mentecaptum ut velit natum esse filium homini et ab uxore et omnino a feminis abstinenti, et

[Page 128]

quia sic ego non dixi ponat in criminis? Utinam sic ipsi ac suo Panormite uxorem habenti liberi procreentur! «*Prophetare tamen audere.* Semper, ut video, in summa copia laborabis verborum inopia. Dic, queso, ubinam apud Livium aut Cesarem aut Salustum hoc verbum repperisti? Cum historias scribas, historicos imitari debuisti, qui id tum ‘divinare’, tum ‘presagire’, tum ‘vaticinari’, tum ‘ariolari’ dixerunt, ut unum e tam multis tibi in mentem venire debuerit. Sed aliquid ecclesiasticum scribere te putasti.» Bene quod meam verborum inopiam insectaris, ipse tam locuples! Ariolantem ne faciam piissimum regem, dum suprema sua disponit, aut augurantem, aut vaticinantem? cum ne divinantem quidem facere ausim, quod verbum, ut Hieronymus in Micheam ait, in malam accipitur partem in Scripturis Sanctis, quarum hic fuit observantissimus. Scythe ergo regis ista tua verba sunt, non christiani. Quid si prophetare ille dixit? Ego contra veritatem historie faciam eum dixisse ariolari. Sed fac me accommodasse persone verbum: quid interest quod isti auctores eo non sunt usi, quando prophete non erant? Ubi enim reperies apud eosdem ‘ecclesia’, ‘episcopus’, ‘presbyter’, ‘diaconus’, ‘acolythus’, ‘canonicus’, ‘papa’? Ubi ‘baptisma’, ubi ‘eucharistia’, ubi ‘schisma’, ubi ‘ebdomada’, ubi ‘synodus’, ubi alia infinita? que tamen a sapientissimis viris ex Grecorum fontibus derivata sunt, non, ut vestra fert opinio, ex hebreis. Quod si ex istis non possum proferre exempla, possum ex grecis, Homero, Hesiodo, Eurypide, Sophocle, Eschylo, Aristophane, Platone, Aristotele, Theophrasto, Thucydide, Herodoto, Xenophonte aliisque quam plurimis, ut scias non imperitorum hec sed peritissimorum vetustissimorumque esse vocabula. Et nunc, quod satis mihi est, in usu apud doctissimos quosque sunt, ut nulla materia sit in quam non incident, et in primis historia que maxime varias personas resque continent. Et quod ad presens vocabulum

[Page 129]

attinet, quoniam gentilitatem ita adamare videri cupis, a Grecis ‘prophete Apollinis’ dicebantur fatidice feminine; et Latinorum Macrobius inquit in Saturnalibus: ‘Sacerdotes Egyptiorum quos prophetas vocant.’ (34) Verum, o Panormita, qui poeta vocari gaudes, iners ac deses, nescis a Paulo poetas appellari ‘prophetas’, grece quidem, sed latine non mutatum, quod ad Titum de Epimenide scribit: ‘Quidam proprius eorum propheta.’ Ite nunc et huic detrahite vocabulo! «*Nondum a scurrido vacans ... verbum illud ‘scurrando’,*

quod rarissime usitatum est et pro obsoleto habendum,
ut puto.» Quis tam inops mentis coniunxit unquam ‘usitatum’,
quod est frequentativum, et ‘rarissime’? cum ‘raro’ et
‘frequenter’ invicem pugnant, perinde ac si quis dicat: ‘raro
frequenter studeo.’ Sed sane sint eo usi rarissime auctores,
nonne satis est hoc mihi pro defensione quod usi sunt? At pro
obsoleto ais habendum (quanquam ne hoc quidem ais, sed pro
incerto habes: cur ergo alteri pro certo vitio obiicis?), quod
profecto non fecisses, si et Horatii meminisses incipientis epistolam
sic:

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
scurrantis speciem prebere, professus amicum
inque coniuncta huic epistola Aristippus in Diogenem loquitur:
Scurror ego ipse mihi, populo tu;
et animadvertisses huiusmodi verborum formandorum vel
maximam esse licentiam, ut a ‘scortum’ ‘scortor’, a ‘procus’
‘procor’, a ‘poeta’ ‘poetor’, a ‘nuge’ ‘nugor’, a ‘sycophanta’ ‘sycophantor’,
a ‘parasitus’ ‘parasitor’, a ‘viaticum’ ‘viaticor’, a
‘meridies’ ‘meridior’, a ‘podagra’ ‘podagror’ (unde Ennius:
Nunquam poetor nisi dum podagror),

[Page 130]

a ‘iuvenis’ ‘iuvenor’, a ‘bubalus’ ‘bubalor’, a ‘rusticus’ ‘rusticor’,
a ‘villicus’ ‘villicor’, a ‘grecus’ ‘pergrecor’, a ‘fornix’ ‘fornicor’
(quod est habere in fornice meretricem, licet nunc a plerisque
pro ‘scortari’ usurpatum) et infinita huiusmodi penes optimos
probatisimos scriptores, ita a ‘scurra’ ‘scurror’: quod si non
repperissem, tamen ex proportione fingere potuisse sine ulla
eruditorum reprehensione.

«Quasi ficos edisset, qui nondum maturi erant... Sed,
bone grammaticae, unde didicisti ‘ficos’ masculini generis esse?
Nescis ‘ficus’ vel ‘ficos’ pro fructu feminino genere dici omniaque
fructuum nomina aut neutri generis esse, ut ‘pirum’, ‘malum’,
aut feminini, quod genus ‘nux’, ‘glans’, ‘oliva’, ‘castanea’?
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,
dicemus ficos, o bone Valla, tuos.»
Hi sunt ioci Panormite, hi sales, agnosco ex sententia et
ex versu hominem. Differamus in suum tempus respondere contumelie,
licet quis morbus sit ficus qui obiicit ignorat, nam
plerunque in barba est: et si Panormita ut imberbium amatorem,
ita ipse prope imberbis est, vix ullis in facie interlucentibus
pilis, ne dicam de vertice, nullis interlucentibus capillis toto
lucenti, quasi mortui calva. Sed versum Martialis, ut est
apud Priscianum, sue sinceritati reddamus:
dicemus ficus, Ceciliiane, tuos.
«Sic Martialis, sic Priscianus, sic Iuvenalis inquiens:
Si vis aliam decerpere ficum,
sic usus dicendi magister,
quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

[Page 131]

Ecquid te pudet ista ignorare que pueris nescire turpe est?»
Ais ‘sic Martialis, sic Priscianus, sic Iuvenalis, sic usus’.
Primum, inepte Priscianum, qui hec precipit, cum Martiale
coniungis, qui poeta est, et eo ineptius quod huius auctoritate
preceptum suum confirmat Priscianus, ut pro uno testimonio
hec, non pro duabus, haberi debeant. Deinde, cur a Martiale
et Prisciano recedis, male recitans poete versum? cum
enim inquit Priscianus, et ostendit, et vitium et fructum quarte
esse declinationis, genere autem differre, palam est te scripturam
sive stulte, sive malitiose corrumpere, nec sequi eos quos
sequi te dicis. Ad hec, si Priscianus, auctoritate quoque
Martialis, vult ‘ficum’ quarte demum declinationis esse, quo
mihi istam Prisciani Martialisque mentionem, ubi de ‘fico’, non
de ‘fico’ agitur? quo mihi Iuvenalem, quo mihi usum et Horatii
versum? Quasi ego negem ‘ficum’ quarte generis esse feminini,
quia utor ‘fico’, quod tu reperiri fateris. Vides ut fatue
contra me argumentaris, ut fatue Iuvenalem et usum de eadem
declinatione in testimonium vocas, cum de alia sit dubium, ut
fatue ‘ficos’ ais generis esse, sicut ‘ficus’, feminini, quod nullo
confirmas nec precepto nec exemplo. Ubi perfrices velim

frontem ac respondeas an arti sue satisficerit Priscianus, qui
cuius sit generis 'ficus', 'fici' pro fructu reliquit in medio, cum
non semel precipiat pro arbore in quarta declinatione esse feminini;
nisi volumus eum masculini esse velle, dum inquit:
'Omnia in us correpta, vel secunde, vel quarte, generis esse
masculini, preter arborum nomina.' Age vero demus Priscianum
idem quod tu dicere, omnia fructuum nomina aut
neutri generis esse aut feminini: quid vos aut ille respondeat
in 'dactylus?' quid in 'balanus', qui et ipse fructus est palme,
generis utrumque masculini? quid in 'pineos', apud quosdam
pro fructu pinus, idest illis minutis? Taceo 'corimbos' hedere
et 'racemos' vitis. Quid, ut vos fortius strictiusque angam,
in 'grossus'? qui etiam huius ipsius de qua agimus arboris
fructus est, dicente Plinio: 'Ficos sub folio, grossos supra folium

[Page 132]

nasci.' Quod si itaque (ut iam concludam) aliquod
fructus genus et huius arboris fructus est masculini, ut notum
est, quid tandem mirum si 'ficus', 'fici' in masculino sum usus,
non sine auctoritate presertim vel Cornelii Celsi, vel Columelle,
vel Plinii aliorumque nonnullorum, ubi hoc nomen genere quoque
masculino secunda declinatione legimus usurpatum? At
corrupti sunt codices. Cuius istud est affirmare? Certe
vetustos aliquot evolvi et Cornelii his verbis: 'Fico pingui leviter
cocto' et 'Fici aridi partem nepete mixtam', et Plinii: 'In ficis
mirabiles sunt abortivi, qui nunquam maturescunt.' Nec tamen
ita temerarius extiti ut incerte me scripture committerem, quippe
qui de hac re multisque aliis cum eruditis ante publicationem
communicare statuisse. Tu potius, tu temerarius
extitisti in reprehendendo, vir tantum a peritia distans quantum
ego ab imperitia, qui pro negatione posuisti affirmationem:
'ecquid te pudet ignorare' pro 'ecquid te non pudet', ut iterum
reprehendi superius.

2.2.

II. «*Ad hanc facetiam cum rex arrisisset*. Nescis ‘facetias’ pluraliter tantum dici, non facetiam, sicut ‘ferias’, ‘quisquiliās’, ‘nundinas’?» Ita ne propter unum verbum facetum dicere debui ‘ad has facetias’? quod absurdum sit. Quis istud precepit carere singulari ‘facetias’? An licentius est ‘facetia’ quam ‘blanditia’? Non arbitror. Nam de uno verbo blando dicam ‘ad has blanditiās’? Atqui Cicero De petendo consulatu ad fratrem inquit: ‘Ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assuiditatem, benignitatem, rumorem, spem’; paulo post: ‘Sed opus est magnopere blanditia, que etiam si vitiosa est et turpis in cetera vita, tamen in petitione necessaria.’ Possum multa similia afferre, ut liberum pro ‘filium’ apud Quintilianum et Paulum Caiumque iurisconsultos, et ‘pugillarem’ et ‘codicillum’, cum sciamus

[Page 133]

ex parte pluralis esse numeri. Verum preter exemplorum similitudinem, accipe Plautum in Sticho:
em tibi hoc primum
hec facetia est, amare inter se rivales duos,
uno cantharo potare, unum scortum ducere.
Donatus grammaticae preceptor aliquotiens, ut in Andriam Terentii: ‘Facetia scribentis in his verbis est, quia Archillis compotricem potissimum adduci iubet’, et alii nonnulli scriptores. I nunc et insulta mihi inquiens: «Quid est quod scias, si hec que ad pedagogum pertinent ignoras?» Cur tu igitur pedagogus hunc Plauti locum ignorasti, quem pedagogi nescire non debent?

«*Adiecta ei appendice Catalonia, que viribus ad illam sesquialtera est.*

O elegantissimum historiographum, heccine verba oratoris sunt, heccine historicī? Ubique ostendis tuam verpenuriam, ignarus quam sit elegantie contrarium verbis inusitatis et impropriis uti. Quanto elegantius si dixisses: ‘Adiecta ei Catalonia, que dimidio amplior quam illa est’.» Ego ne verborum inops, an tu sensus et cerebri? Eum vocas verborum inopem quem cernis esse locupletissimum: ‘appendice’ et ‘sesquialtera’ supellex est abundantis patris familias, non egentis; nam quod negas ista vocabula in que mea commutas esse in domus mee supellecile, facis ex Fatui natura ac consuetudine, cum nemo qui scribere paulo diligentius consuevit ac ne mediocriter quidem litteratus ignoret. Sicut e contrario tu hec nomina quibus ipse utor (quod fateare necesse est) in tua supellecile non habes: ut intelligas te inopem verborum esse, me divitem. At sunt inusitata et impropria. O imperitissimum et iniquissimum, qui aliorum vires ex tua infirmitate metiris,

[Page 134]

negas in usu esse, dehinc addis impropria, quasi de iis que extra usum sunt queramus propria sint necne. Sunt inusitata oratoribus, sunt inusitata historicis. At ego ex utrisque testimonia proferam. Cicero in Hortensio: ‘Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus nihilque in eo esse magnum.’ Idem Pro Rabirio postumo: ‘Est enim hec causa quo ea pecunia pervenerit quasi appendicula cause iudicate atque damnate.’ Addam huic velut oratorem Ulpianum, qui de acquirenda vel amittenda possessione vel hereditate ait: ‘Idem dico et si filius familias vel servus iussu domini vel patris adierit hereditatem, vel emancipatus, vel manumissus ex causa substitutionis adeat: erunt namque heredes, sunt enim appendices precedentis institutionis.’ Accipe nunc historicos. Livius: ‘Cohortatusque predicatione vera qua in Tuscis, qua in Samnio partorum decorum, appendicem Etrusci belli conficere iubet’

et alibi: 'Qui cum Chersonesum Lysimachiamque dederunt, Maroneam quoque atque Enum profecto dedisse, que ipsa propinquitate regionis velut appendices maioris muneris essent.'

Iterum: 'Peditum agmen, in ripa elephantos ante quadraginta disponit. Carpenteriorum cum appendicibus Olcadum Vacceorumque centum milia fuere, invicta acies si equo dimicaretur campo.' Hec satis exempla docent hoc non esse nomen inusitatum.

Nunc docebo eius me proprietatem non potuisse ignorare, cum scirem a Marcello quidem sic scribi: 'Appendix dicitur quod alii est adjunctum'; a Festo autem sic: 'Ampedices dicebantur ab antiquis quod circumpenderent, quos nunc appendices dicimus'; ut Plinium transeam, qui in XXIV ait: 'Spina est appendix appellata, quoniam bacce puniceo colore appendices vocantur.' Sunt ne, scelerate, verborum inopes Cicero, Ulpianus, Livius ceterique apud quos hoc nomen invenitur (nam mihi culpa communis cum illis est, quia ut ipsi sic ego sum usus)? An tu inops verborum, sententiarum, doctrine ac sensus? Venio nunc ad alterum vocabulum, 'sesquialtera'.

[Page 135]

Quid usitatus in arithmeticā, musica, geometria quam 'sesquialtera' (quod 'hemiolon' greci vocant), 'sesquitertia', 'sesquiquarta', 'sequiquinta' et ita deinceps? Nisi negas has artes ad oratoriam pertinere, quarum quis sapor esset ne tenui quidem gustu experiri voluisti potuisti ve: ita tenui semper litterarum cibo ac brevi volatu ut cicade (nam illis assimilis es) fuisti contentus. Transeo Quintilianum quem nunquam inspexisti; nonne ita scribit in Oratore Cicero: 'Ut necesse sit partem pedis aut equalē esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem'? Infinita possem ex optimis auctoribus exempla repetere, ut 'sesquiopus' apud Plautum, ut 'sesquipedalis' apud Horatium ac mille alios et 'sesquipes', ut 'sesquiplaga' apud Cornelium Tacitum: 'Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputasset, sevitiam apud Neronem iactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo', ut 'sesquicyathus' apud Cornelium Celsum: 'Aceti sesquicyathum, olei minus', ut 'sesquihora' apud Plinium filium: 'Egeram horis tribus et dimidia, supererat sesquihora'; cur non dixit 'supererat hora et dimidia'? nempe quia sic fuit elegantius. Et tu, cicada, ais inelegantius! In quo magis licet agnoscas imperitiam tuam quod sic poteras emendare, si fuisset emendandum: 'Adiecta ei Catalonia finitima, dimidio ampliore, vel dimidio quam hec ampliore.' Dixi imperitiam, addo stultitiam, quod cum de viribus ego, non de finibus agam, tu pro 'appendice' 'finitima' subdidisti: ubi aliasquoque tuus error agnoscitur, quod non provincia tota toti alteri provincie finitima est, sed extremi utriusque provincie populi et invicem accole; neque enim Italia Gallie finitima est et Gallia Italie, sed Italos extremos qui ad Galliam vergunt illi finitimos et Gallos qui ad Italiam huic finitimos dicas.
«*Itaque visus est minus solvisse questionem quam innodasse.*

[Page 136]

Hoc quidem incomposite et ineleganter a te dictum: est enim ambiguus et obscurus sermo et contorte prolata sententia. Neque enim isto modo dicendum fuit, sed sic potius: 'Itaque magis innodasse questionem quam solvisse vel explicasse visus est'.» An idem est 'magis innodare' quam 'minus solvere'? item 'magis solvere' quam 'minus innodare'? Quid enim, si de me, qui vos duos minimum et amo et metuo, dicam: 'quidam vos minus metuit quam odit', tu tanquam ambigue, obscure, contorte locutum sic corriges: 'quidam magis vos odit quam metuit', quasi multum metuam, plus oderim, ut quod ego imminuendum putavi, tu me nolente exaugeas? Alia est ergo hec, alia illa sententia. Sed agam potius exemplis tecum, qui tanquam ratione vaces, nulla potes ratione pervinci. Cur M. Tullius inquit: 'Ego vero me minus diu senem esse vellem, quam esse senem antequam essem' et alibi: 'Quod si in alterutro peccandum sit, malim minus timidus quam parum prudens videri'? Cur Plinius in secundo Naturalis Historie: 'Neque omnium rerum afferri posse causas minus mirum est quam constare in

aliquibus'? Cur Titus Livius: 'In Fabio minus in bono
constans quam novum in malitia ingenium esse' et iterum:
'Magis vereor ne parum inde glorie quam ne nimium belli sit'
et iterum: 'Nihilo militie quam domi melius respublica administrata
est'? Cur non dixit: 'multo melius domi quam militie
res publica administrata est?' Nempe quia diversa erat futura
sententia: quod item in nostris verbis usu venit. Hec pro
me. Cur autem tu 'incomposite, ineleganter, contorte', cur 'sermonem',
deinde 'sententiam', cur 'prolatam contorte sententiam,
potius quam 'contortam sententiam' dixeris imperitia
tua viderit.

[Page 137]

«Iam concilium quod illi parlamentum vocant. Nequeo
mirari satis imprudentiam tuam: quid erat necesse 'parlamentum'
addere, quod nec elegans, nec latinum est? Putabas te non
satis intelligi, si tantum 'concilium' dixisses?» Omitto de
infinitis huiusmodi disserere vocabulis; tantum de cognatis, ut
aiunt, vocibus agam. Cur Livius, quod genus apud eum
sepissime invenitur, inquit: 'Concilium universe gentis post
dimissos Romanos non habuerunt, parapocletos autemmitta vocant'?
Num hoc elegans, num latinum est? Num opinabatur
Livius se non satis intellectum iri si tantum 'concilium' dixisset?
Et iterum: 'Summum apud Campanos magistratum medixtuticum
appellant': num latinum et elegans est 'medixtuticus'?
Unum libet adhuc exemplum afferre ex patria tua; Plinius,
libro tertio Naturalis Historie sic ait: 'Padum Ligurum lingua
Bodingum vocari, quod significat carentem fundo.' Intelligis,
non imprudens, sed vesane, in sapientissimorum me incurrire
vestigia, te in calumniosorum? Nisi aut greca verba inseremus,
que pauci intelligunt, aut ligistica, que nulli, ea vero que iam
pro latinis habentur et in libris multis lectitantur fastidiemus?
Quanquam, o calumniator insane, non utor ipse vocabulo
hoc, sed aliis in usu testor esse, et si descendit a greco, 'parabola',
quod pro latino iam est, unde apud quosdam 'parabolani'.

«Tandem post aliquot menses per conventus universos, hoc
est per terna brachia Valentie et Cataloniae, ecclesiastica, patricia,
plebeia, ultra quatuor Aragonie que diximus, locus delectus est in
Aragonie oppidum Caspa.

Eleganter profecto ut cetera. Si eloquens
esses, profecto sic dices: 'Tandem post aliquot menses
summo trium ordinum consensu, qui ex Catalonia Valentiaque

[Page 138]

convenerant, sacerdotum scilicet, nobilitatis ac plebis, concilii
locus in Aragonia constitutus est.' Et scire debes quod non
omnes nobiles 'patricii' appellantur, sed tantum romani, a primis
patribus a Romulo constitutis orti; vel ii etiam qui rem
publicam more Romanorum gerunt, per similitudinem quandam,
sed improprie. Non enim patricios Carthaginem aut
Campanorum legimus, sed nobiles aut nobilitatem.» Quid
in me reprehendas non equidem intelligo. 'Conventus universos'
in 'trium ordinum consensum' mutas, quasi 'conventus' et
'consensus' multum habeant in significatione similitudinis, aut
hoc parum latinum vel parum proprium sit: quorum utrunque
falsum docebo. Et quod latinum quidem sit auctores probant;
Cesar de se ait: 'Quod in Italiam ad conventus agendos
profectus est'; Livius: 'Nondum conventus dimissus erat, cum
respiciunt presidium a Corintho'; Plinius de hac ipsa Hispania,
conventus qui in ea fierent enumerat. Alii preterea plurimi
auctores. Quod autem proprium, documento est tum hic
locus, tum alius aliquanto superior, cuius hec verba sunt:

*'Cuius
morte solutum concilium est Calatavibii et postmodum conventus
provinciales agi cepti, ab Aragonensibus in Alcanitio, a Valentinis
in Tragera, a Catalanis Dertuse, quia hec oppida finitima sunt
aliis duabus provinciis. Quo difficilius fuit inter distractos conventus
deliberari, cum presertim quotidie maiora consererentur in Aragonia
certamina, gubernatore volente provinciam in officio tenere ac
quietam, comite, accersitis e Vasconia et trans montes copiis, annidente
reliquias adverse factionis evertere et suam rebus gerendis
preficere. Tandem post aliquot etc.'*

Et tu, meus censor,
emendas: 'qui ex Catalonia Valentiaque convenerant', ne ineleganter
si 'conventus' dices; et tamen quomodo convenerant
ille due gentes, cum unum in locum non convenerint? quomodo
venerunt ex Catalonia Valentiaque, cum manserint in sua utraque

[Page 139]

provincia? a quibus velim scire cur Aragoniam dissocies
atque seiungas: credo ne 'brachia' nominares. In quo nomine
usus hoc sum temperamento, ut dicerem ab illis ita appellari,
cum nefas putarem aliud novum fingere, veteri et vero et
satis idoneo relicto, quod tu mavis fuisse dicendum 'ordines'.
In quo quantopere desipias (si unquam sapisti) mecum recognoscas.
Primum, receditur ab integritate historie; deinde quod
hos nemo sanus 'ordines' nuncupet sacerdotalem, urbiculum,
agrestem, qui ne apud Romanos quidem fuerunt; tum quod
plebeium ordinem facis, quod inauditum est: cuius rei, nisi
Fatuus essem, admonere te potuit saltem marmor illud quod
quotidie pretergrederis, quo Porticus seu Statio Montana fulcitur,
his inscriptum litteris: 'Ordo et populus neapolitanus'.
Si prestantius exemplum postulas ex historico, audi Cornelium:
'Iisdem consulibus auditas Puteolanorum legationes quas diversas
ordo et plebs ad senatum miserant.' Tum in eo vocabulo
quod me docere vis te labi ostendis, quippe cum 'patricii'
nulli iam romani vocari queant, utpote extincto senatu (et si
senatus existat), in nomen transierit certi magistratus, unde dignitas
ipsa 'patriciatus' dicitur. Lege Gregorium, lege Iustiniani
Codicem authenticasque lege illorum temporum historias,
lege decreta decretalesque et quis 'patricius' sit intelliges. Ergo
non romani nunc patricii qui senatu carent. Ceterum quid
absurdi est si que urbes senatum habent, qui Rome patres appellabantur,
ut Venetie, ut Barcelona, ut tua domina Genua,
ex his ortos appellare patricios? Certe veneti scriptores suam
nobilitatem 'patricios' appellant, id quod tu non omnino diffiteris
ideoque tibi ipsi non constas et quidem ter tam paucis in
verbis: semel, quod, cum Rome tantum velis appellari
'patricios', tamen ais qui nobiles aliis in urbibus more Romanorum
rem publicam administrant, eos, improprie quidem, attamen

[Page 140]

appellari 'patricios'; iterum, quod licet Carthaginenses
Campanosque non abnuas sic vocari, quia more Romanorum
rem publicam administrarent, tamen concedis nunquam
hoc nomine appellatos; tertio, quod vetas me posse
saltem improprie vocare 'patricios', quos improprie sic vocari
posse concedis. Ad extreum, elegantiam tuam requiro, sagax
et argute indagator elegantie: quis politus scriptor eo modo
'scilicet' usus est quo tu?

2.3.

III.

«*Gilbertus Centellia cum bene magna manu clientum in agrum Valentinum incursionem facit.*

Mendicus, ut video, semper
eris. 'Cum bene magna manu': isto modo diceret sutor aliquis
aut caupo, non certe historiographus, quo verbo hactenus
iam ter aut sepius usus es, quasi nescias aut 'cum satis magna',
aut, si 'bene' pro 'valde' accipi vis, 'cum permagna militum
manu' dicere.» Possum iisdem quibus apud Terentium
Menedemus uti verbis:
Ego me non tam astutum neque tam perspicacem esse id certo scio,
sed hic adiutor meus et monitor et premonstrator Chremes
hoc mihi prestat: in me quidvis harum rerum convenit,
que sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus;
in illum nihil potest, nam superat eius stultitia hec omnia.
Nonne ait Cicero, ne superius repetam exemplum, De
oratore: 'Si ad te bene ante lucem venisset?' Et Pro Murena:
Cum bene magna caterva sua venit' et De finibus: 'Habent enim
et bene magnam et satis litigiosam disputationem.' O vere sutoris
fili cauponisque, immo in cauponem suturemque patrem
contumeliosus et impius, questum illi suum ac vitam exprobrando!
Sutor ne Cicero et caupo? Caupo ne ac sutor Oppius
Irtius ve? apud quem in ultimo commentario de gestis

[Page 141]

Cesaris, intra non plurimas paginas reperies: 'Et bene magna
comparata manu', 'Et bene magna multitudine', 'Et bene magnum
tempus', 'Et bene multis vulneribus affecti', 'Et bene magna
prioris muri parte delecta'. Et tu mihi vitio vertis quod intra
duo volumina ter usus sum; ac mendicum vocas, quasi mendicitatis
et non copie sit 'bene' ponere pro 'valde' aut pro 'satis'
quasique hec ignota mihi sint, nota ac trita vulgo. Quod si
mendicitas est nota non habuisse hec adverbia et ego ipsa nota
habui, profecto tu iudicio tuo mendicus es, qui 'bene' pro 'valde'
nescisti; nam si dicis 'per' pro 'valde' me ignorasse, lege Elegantias
meas, ubi docui, quod nec Donatus, nec Servius, nec
Priscianus tradiderat, 'per' cum positivo, 'quam' cum superlativo
coniungi, utrumque pro 'valde': nam 'quam' pro 'quantum'
nunquam cum superlativo, item 'perquam' pro 'valde' cum
positivo tantum. In quo Panormita reprehensum se deprehendit,
qui, ut est frivolis in rebus ac nugatoriis glriosus,
iactabat se principem fuisse in epistolarum calce ponendi 'quam
raptim', cum dicendum sit 'quam raptissime', vel 'perquam
raptim', sive 'perraptim': nisi ipsum decebat ibi vitiosa oratio,
semper fere mentientem suas epistolas raptim exaratas. Sed,
o te raptum frenesi, ais si 'bene' pro 'valde' volo accipere dicendum
fuisse 'permagna', non secus ac si quis amicum, cui
constitutum sit hyeme navigare, sic admoneat: 'Nolim hyeme
mare intres, sed si ita tibi constitutum est, eligito commodam
hic domum quoad hyems durat'. O plus quam caudex,
stipes, asine, plumbee, si volo accipere 'bene' pro 'valde' et hoc
mihi concedis, cur idem vocabulum non vis me capere, sed
aliud? Nam illa transeo quod 'clientum' mutasti in 'militum'
et 'hactenus' et 'iam', quorum adverbiorum alterum redundat,
infersisti.

[Page 142]

«*Hinc quatuor, illinc sex leugis distante. Latinus es et non
pudet loqui gallice. An hec tibi pulchrior dimensio videtur quam
'per milia passuum', quod verbum romanum est et notum et
usitatum? Sed voluisti applaudere genti de qua scribis, ut video,
et, ob id, verbo externo uti voluisti sapienter.*» De questione

hac superius satisfeci, nunc vecordie tue te admonebo, que
tanta est ut ad singulos prope gradus prolabarisi ac dedita opera
id facere videaris. ‘Leugam’ ais gallicum esse verbum: probe
tu quidem. Cur autem eo utor? Nempe ut genti assentarer,
sive, ut more tuo loquar, applauderem, de qua scribo. Ecque
gens est de qua scribo? Certe hispana. Quo igitur pacto, o Ligurum
infamia, gallice loquens assentor sive applaudo Hispanis
et non Gallis? Et nunc Gallos, superius vulgus hoc modo
loqui volebas. Pretereo quod tersius elocutus esses, exempto
secundo ‘voluisti’.

«*Et id temporis non poterat sententia pro aliquo competitorum ferri, nisi a sesquialtera parte iudicum.*

Iterum in superius
vitium inelegantie incidisti, quoniam id verbum inusitatum
est, aut certe rarissimum, maxime in historia. Elegantius si
sic dices: ‘Atque id temporis pro nullo competitorum iudicium
ferri poterat, nisi ex omni iudicium numero due partes in
sententiam convenissent’. » Superius volebas hoc nomen
historicis oratoribusque ignotum, nunc rarissimum inquis, non
quia scis, sed quia times alicubi reperiri, quod ne intellexisses
quidem, nisi ex aliis historie mee verbis. Quo, quid stultius
negare et affirmare que nescias? Nunc spectemus quoniammodo
meam promis sententiam elegantius, aut potius ‘effutiens nauseas
Ego ‘et id temporis’, tu ‘atque id temporis’: mutasti
‘et’ in ‘atque’, ambitiose, pueriliter, inepte: quod siquid differentie
in usu habent he coniunctiones, magis huic loco convenit

[Page 143]

‘et’, utpote in cursu sententie. Ego ‘non poterat pro
aliquo competitorum’, tu ‘pro nullo competitorum poterat’:
‘non aliquo’ mutasse in ‘nullo’ ineptissimum fuit. Ego
‘sententia ferri’, tu ‘iudicium ferri’: ‘sententiam’ quoque mutasse
in ‘iudicium’ par ac similis ineptia, cum nihil plus in hoc
quam in illo sit neque significande, neque nitoris; verum, preter
hoc, eruditionem tuam declarasti: evolvantur omnes legum,
omnes civilis ac pontificii iuris libri et sicubi ‘iudicium ferri’
scriptum reperias, servitute te libero quam mihi servire debes,
ne possis dissimulare ne unum quidem verbum te ex iure vel
audisse vel legisse, cum quo oratores omnes historicique consentiunt,
semper dicentes ‘sententiam ferri a iudicibus’, interdum
etiam ‘sententiam dici’, licet proprium sit consultantium
‘suam quenque sententiam dicere’, quemadmodum in
Elegantius tradidi. Tu vero, homo male sanus, cum communem
loquendi morem reformidas, specie deceptus elegande,
ut canis ille qui fingitur in fabulis, veram carnem pro falsa
amisisti. Quid illa redundantia verborum qua semper involveris?
‘Nisi ex omni iudicium numero due partes in sententiam
convenissent’, quod tersius sic velociusque dixisses: ‘Nisi ex
duabus iudicium partibus’ vel ‘ex maiore iudicium parte’; nam
in sententiam iudices convenire, cum sententiam laturi sunt,
sermo sutoris, cauponis, piscatoris est. Denique ‘in sententiam’
pro ‘in sententia’ contra grammaticam est: in quo
decepit te verbum ‘convenio’, cuius est natura ut, dum significat
‘simul venire’, accusativum postulat, dum ‘concordare’,
ablativum, cum ‘in’ utrunque prepositione.

«*Quem, quia noverat sue partis cupidissimum fuisse, saviatus est.*

Hoc verbum scire debes comicum, non historicum esse
et propterea in historia fugiendum. » Ubi tam diu tanta
latuit sapientia? Quid ita sero tantum virum atque omnis eloquentie

[Page 144]

preceptorem agnoscimus, quem non Liguria, sed Scythia

censorem nostro orbi donavit? Descisco iam abs te, Cicero,
quem ducem hactenus sum secutus, ita scribentem in
Bruto de Iunio Bruto: 'Qui de matre savianda ex oraculo Apollinis
tam acute arguteque coniecerit' et ad Tironem, nisi epistola
illa sit fratris: 'Tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro
videro, dissaviabor.' Te quoque Plini repudio, de Cicerone
eodemque Tironem sic in epistolis carmine scribentem:
Nam queritur quod fraude mala frustratus amantem
paucula cenato sibi debita savia Tiro,
cum conterraneo tuo patris ve tui, Catullo, qui sic scribit ad
Varenum, suorum amicorum, ut ait, antistitem:
locundum os oculosque saviabor
et ad Furium:
Ilio purpureo ore saviata
et in Cesarem:
Saviolum tristi tristius elleboro.
Et te, Marce Varro, respuo, qui differentiam hanc pro
tua consuetudine non tradidisti, inquiens de vita populi romani,
ut est apud Nonium Marcellum: 'Ab ore dicitur osculum, non
a suavitate, unde suavum, quod simile sit savium.'
«*Dum pacificaret, interposita sua auctoritate inter dissidentes.*
Eleganter profecto more tuo. Sed ego sic dicerem:
'Dum inter dissidentes pacem componeret', vel 'dum dissidentes
ad pacem vel concordiam revocare conaretur'.» Non igitur
eleganter Plautus in Sticho inquit:
sed satin ego tecum pacificatus sum, Antipho?

[Page 145]

Nam 'pacifico' et 'pacificor' inveniri etiam Priscianus tradit.
Non Quintilianus in XI? 'Is gestus qui in statuis esse pacificator
solet.' Non Salustius in lugurthino? 'Igitur Vaccenses,
quo Metellus initio lugurtha pacificante presidium imponeret,
fatigati regis suppliciis.' Non Livius? 'Inter hec pacificatum
legati a Volscis Equisque venerunt' et iterum: 'Nunc
ad pacificandum bene atque honeste inter primos stabis' et alibi:
'Ad dirimentum inter Philippum atque Etolos bellum; adhibitus
et ab Etolis et ex finitimis pacificator Amyntander rex
Athamanum.' Non Iustinus? 'Sed Hanno punico ingenio
post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginensis,
Pyrrhum adiit' et aliis pluribus in locis. Possum aliunde plurima
congerere exempla, quorum te nullius meminisse, cum alterum
hoc verbo utentem ut barbarum carpis, aperte dementie est.
Adde quod ait 'dum conaretur', idest usque dum inciperet:
cum ego de fine agam, tu de principio sentis, opinor significatione
huius verbi tibi non cognita. Et revocari eos ad pacem
concordiamque vis, qui nunquam inter se fuere concordes ac
pacati. Quanquam haud scio an tuus modus in quem emendas
meum sit elegans, 'componere inter dissidentes pacem', cum
Aulus Gellius, libro VII, dicat: 'Connixi sunt Rodienses legationibus
Romam sepe missis id bellum inter eos componere.
Sed ubi ista pacificatio perpetrari nequivit'.
«*Diversabatur regina in propinquuo monasterio cum sanctimonialibus.*
Magnifica profecto oratio et vere Tulliana, vel eius
qui elegantie parens haberi velit. Ego vero sic dicerem, et id esset
fortasse pulchrius: 'Diversabatur regina apud virginis divo Dominico
dicatas, que a regia non procul aberant'.» Magnificantiam

[Page 146]

in me orationis desiderat Fatuus, quasi ad hunc locum
magnopere faciat magnificantia dicendi; sed videlicet Ciceronem
imitari voluisti dicentem 'Nunquam se minus solum esse quam
cum solus esset, nec minus ociosum quam cum ociosus esset' et
reliqua deinde: magnifica vero vox et magno ac sapiente viro
digna. Verum ut ille optime, sic tu pessime de magnificantia
locutus es, cum de elegantia agis; neque vero minoris insanie
est quod te sic existimas Tulliane dicturum 'divo Dominico
dicatas', cum Tullius nec 'divo' libenter utitur, ut in 'divo
Iulio', et Dominicum hominem non audivit. Illud vero
longe stultissimum quod, cum sordes orationis mee insecteris,
non tamen affirmas mundius dici potuisse, inquiens 'et id esset
fortasse pulchrius': 'fortasse', non utique pulchrius. Cur igitur,

stolidissime mortalium, pro certo accusas quod pro non comperto
tibi esse confiteris? Sed id sane pro certo habueris. Inspiciamus
quam recte. Ego dixi 'diversabatur regina in propinquuo
monasterio', tu 'diversabatur regina apud virgines divo
Dominico dicatas': ego intra certos parietes reginam facio habitantem,
tu velut Diane virgines que in solitudinibus ac speluncis
habitabant videris inuere et apud illas, perinde quasi ab
eis aleretur, protegeretur, susciperetur. Apud monasterium
regina domicilium habuit, non apud sanctimoniales. At enim
sordet tibi (nam quid tibi putido non sordet?) 'monasterium',
tanquam non antiquum, quod perantiquum est et grecum, sicut
'cenobium'; at non usitatum Livio et Salustio: tam et si quis
hoc affirmare audeat, cum melior pars ex libris illorum intercederit,
ut Varronis etiam aliorumque multorum? Est inusitatum
antiquissimis: ideo ne reiciendum censes? Ut quo, pro isto,
nomine utaris? Nimirum tuo more circuibis, potius quam os
ita sordido itaque coinquinato vocabulo polluas. O stultum
Iustinianum cum superioribus imperatoribus, o stultos Cyprianum,
Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium!
Quid hos tantum? Stultos etiam Gregorium Nazianzenum,

[Page 147]

Basilium, Chrysostomum, et breviter omnes grecos
latinosque christianos, qui nomen maioribus suis ignotum (si
accusatori credimus) usurparunt, maioribus inquam gentilibus
sive ethnicis. Iterum me reprehendes quod in barbariem
cado, immo tu reprehendendus es, qui iterum et sepius ac
milles in stultitiam procidis: nam que dementia est, cum ego
nesciam aut nolim significare quibus sacris initiate essent quodque
iuxta regiam habitarent sanctimoniales, te id addere? si tu
scytha vel ligur addidisti, et non potius Antonius Panormita,
ubique se velut mus indicio suo prodens. Is, ut siculus, hec que
de Sicilia a me commemorantur emendavit, ratus hinc notatum
iri aut barbariem meam aut indiligentiam, barbarus ipse et
maurus. At 'sanctimoniales' non ita purum vocabulum est
ut virgines. Primum non video, cum 'sanctimonia' latinissimum
sit (ut Cicero, Pro Rabirio: 'Ad deorum religionem et sanctimoniam
demigrasse') et 'sanctimoniales' non adeo novum nomen;
deinde, quod apud eosdem quos nominavi latinos sepe legimus.
Tum, o caput omni prudentia doctrinaque vacuum (de
tu quoque Panormita loquor, non magis capillis foris quam
intus modestia et gravitate, non hic pilis magis quam illuc
scientia nudo), non dico quotaque ex sanctimonialibus virgo
reperitur: sed nunquid sole virgines admittuntur? nonne que
uxores? nonne que matres? nonne que impudice fuerunt? nunquid
que virgines admittuntur tales persstant? Iste ne sanctimoniales
an virgines erunt? Ais virgines. Sic opto sint virgines,
Panormita, filie tue de seque id predicent quod mulier illa apud
Petronium Arbitrum, se memoria non tenere fuisse unquam
virginem: sic enim ab infancia sibi cum pueris consuetudinem
fuisse (ut dedecus a pueris accipias, quod illi abs te, nefandissime,
acceperunt). Vos quia invenitis sacerdotes Veste nominatas
'virgines', idem de nostris sanctimonialibus effici creditis;
nec vos admonet ipsum nomen 'sacerdotis': ut enim olim
nominabantur 'sacerdotes', nam et sacra faciebant, quarum nulla,
nisi que virgo putaretur, consecrabatur, ita nunc in universum

[Page 148]

'sanctimoniales' vocantur. Afferam unum de iis quos
nominavi testem: Iustinianus sepe ait 'sanctimoniales viduas,
sanctimoniales virgines, sanctimoniale vitam, sanctimoniale
conversationem'; et quodam loco Codicis, cuius titulus est de
raptu virginum vel viduarum, nec non sanctomialium: 'Raptore
virginum honestarum vel ingenuarum, sive iam despontate
fuerint sive non, vel quarunlibet feminarum vel viduarum,
licet libertine vel serve sint alienae, pessima criminum peccantes
capitis suppicio plectendos decernimus, et maxime si
deo fuerint virgines vel vidue dedicate' et in fine capituli:
'Omnibus legis Iulie capitulis que de raptu virginum vel viduarum
seu sanctomialium, sive antiquis legum libris, sive
in sacris constitutionibus posita sunt, de cetero abolitis ut hec

tantummodo lex in hoc capite pro omnibus sufficiat: quam de sanctimonialibus etiam et virginibus ac viduis locum habere sancimus.' Postremo, quis vos docuit illas divo Dominico, aut divo Francisco, aut divo Benedicto dicari consecrari ve, sive initiari, et non Deo? An quia veteres homines consecrabantur diis, quorum nullus non homo fuerat et quidem nequam, christianos fas sit consecrari diis (sic enim sanctos et bonos interdum appellatos invenio) et non Deo soli? Ut Iustinianus ait: 'si Deo fuerint dedicate'. Legite, legite, infelices, rerum optimarum scriptores, nec pauculis sitis litteris ex antiquitate contenti, unde plus tumoris quam eruditionis hausistis, ne dicam furorem, stultitiam, pravitatem vos una, quod aiunt, cum materno lacte suxisse.

*"Venerat iam regina Panormum tenebatque se in domo regia,
que dicitur illorum lingua hosterium.*

Et hocquoque est ex illo tuo errore consueto. Quid enim necesse erat adiicere 'quod hosterium dicitur', quod totam orationem deformat atque dehonestat?». Ex infinitis que se offerunt exemplis, illud Ci-

[Page 149]

Verrem: 'Deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuterium vocant.' Quid ais, Fatue? Dehonestat orationem atque deformat 'buleuterium' minus quam 'hosterium'? Uter magis loquitur Tulliane, ego qui Tullio reperior similis, an tu qui criminator illius detractorque convinceris?

«*Cum he triremim, Bernardus domum ingreditur.* Tu qui grammaticae precepta tradis ignoras hoc nomen 'triremis' quartum casum 'triremem' facere, non 'triremim': nam sive substantivum, sive adiectivum id nomen accipias, accusativum

casum in em, non in im mittit, quod tibi tanto grammatico ignotum esse non debuit. Nec dicere potes hoc vitio eius qui librum transcripsit cecidisse, quoniam quater hoc accusativo in **im** uteris.»

Hic te teneo non minus quam in superioribus ubi, sciens, quedam librarii vitia tribuisti mihi: nam, o stolidissime, quid ita magno hic grammatico est opus? quis adeo imperitus puer pro **em** ponat **im**, ut 'patrim', 'matrim', 'panim', 'dentim', et non e contrario potius, ut 'sitem' pro 'sitim'? Quod ergo in puerum non cadit, id tu in me cecidisse vis et, perversitate nature, omnia in deteriorem accipis partem interpretarisque imperitiam

quod altiore quadam ratione debebas dictum suspicari.

Ego alibi 'triremem', alibi 'trierem', alibi 'trierim', alibi 'triremim' posui, tanquam a 'trieri' descendens, quod fit ???

???????? vel ??? ??? ????????. An 'trieris' in usu non est?

Immo 'hexeres' et 'hepteres'. Oppius seu Irtius: 'Altera navis trieris', quod nomen exponens Pedianus ait: 'Trieris ternos remorum ordines habet. Ita et biremis et quadriremis et deinceps dicuntur.' Livius: 'Maxime forme naves tres hexeres habebat, duas hepters.' A quibus nominibus nonne accusativum in **im** exit, non solum in **em**? Quis neget eadem ratione 'triremim', ut 'trierim', tanquam eodem utrique fonte? Semel aut iterum posui, sicut aliquotiens quoque 'triremem', deliberatus cum amicis tum grecarum litterarum, tum eloquentie studiosis: quare, non imperitia, homo imperitissime perversissimeque, feci,

[Page 150]

ceronis ex eadem insula visum est accommodatissimum, in sed magna cum peritia atque consilio. Illud plane contra grammaticam est quod tu, ut ad tertiam invectivam veniam, pueriliter admisisti.

2.4.

IV. «Et te magistrum artis facis et elegantie precepta tradis!
Quem librum tuum, siquando mihi ocium fuerit ut perspicere
ac resupinare valeam, fortasse adhuc efficiam ut qui eius exemplum
a te habent eum tanquam rem inutilem et frivolam in
latrinam abiificant.» 'Eum' ad 'exemplum', non ad 'librum'
referri potest, ut superius ostendi: siquidem ut ibi dicendum est
'tragedias Eurypidis quas emi', non 'quem', ita hic 'exemplum
libri tui quod habeo', non 'quem habeo', quod si vis utique
grammatice dici, masculino posito pro neutro, ad puerorum te
examen iudiciumque ire iubeo. Illud ipse iudicans, male te
'exemplum' posuisse pro 'exemplar', cum hoc, non illud habeatur,
dicente Festo: 'Exemplum est quod sequamur, aut vitemus;
exemplar ex quo simile faciamus. Illud animo estimatur,
istud oculis conspicitur.' Tuum vero etiam manibus, ut significas,
tenetur.

«Nam quando in historia regi dicata et tradita totiens et
tam insigniter peccasti, que debet esse elaborata et ab omni vitio
pura, quid existimandum est de eo libello quem incuriosius
edidisti?» 'Quando' pro 'si', seu 'cum' posuisti, quod inauditum
est; 'edidisti' quoque pro 'condidisti', quoniam edere publicare
est inque condendo diligentia vel incuria, non in edendo.
Sed ad accusationes tuas procedamus.

«Et verba ista 'Aragonensis', cum ab Aragonia 'arago' fiat,
non aragonensis', ut a Macedonia 'macedo', ut a Paphlagonia
paphlago dicitur.» Belle preceptor, qui latine grecissas,
grecarum litterarum omnino expers! Quid similius 'Aragonie'

[Page 151]

quam 'Catalonia'? Quin de hac fecisti mentionem, asine, non
scythice, nam nulli feruntur esse in Schythia asini, sed ligustice?
Exempla ad Aragoniam pene scythica attulisti, relictis finitimis
atque conterminis. Dixisses saltem 'aragonios': nam Plutarchus
'catalonios' vocat; transeo quod Septimius 'paphlagonios'
et nonnulli 'macedonios', unde proprium nomen 'macedonius'
ac 'macedonicus' adiectivum, ut 'triumphus macedonicus',
'ora macedonica', 'mare macedonicum', quod cognomen quibusdam
romanis familiis est factum. Sed faciant sane tecum
duo ista exempla. Num legem ex duobus constitues exemplis et
civitatem ex totidem hominibus potius quam ex mille? Nunquid
a Babylonia non fiet 'babylonius', sed 'babylo'? ab Ionia non
'ionius', sed 'io'? a Lycaonia non 'lycaonius', sed 'lycao'? a
Pannonia non 'pannonius', sed 'panno'? ab Aonia non 'aonius',
sed 'ao'? a Peonia 'peo', non 'peonius'? a Mygdonia 'mygdo',
non 'mygdonius'? a Meonia 'meo', non 'meonius'? a Sidonia
'sido', non 'sidonius'? ab Hemonia 'hemo', non 'hemonius'? ab
Ausonia 'auso', non 'ausonius'? Hec contra tuam correctionem
exempla sunt. Aliquot pro mei facti ratione subiungam.

Ut taceam ab ipsa Hispania 'hispaniensis', a Populonia fit 'populonensis',
a Bononia 'bononiensis', a Colonia 'coloniensis',
a Favonia 'favoniensis', sic ab Aragonia fit 'aragonensis'; neque
vero mihi fuit immutanda que tam diu inolevit consuetudo, cum
ab omnibus dicatur 'aragonensis', non 'aragonius' nec 'arago',
sitque Arago fluvii nomen, non gentis illius.

«Et **'traditorem'** et **'baram'**, barbare et inepte abs te prolata.»
Hec mea verba sunt in oratione quam hic ad litteram subiiciam:

*'Et quis ab eo quippiam vel emerit vel pignori acceperit,
eum continuo proditoris crimen incurrire vocarique apud aragonenses
traditorem, apud Catalanos baram.'*

Ex quo satis deprecor
vocabulorum insolentiam ea premunitio, quod dico sic ab
illis vocari, quam tu furcifer suptraxisti. Enimvero 'baram'
sic dixi ut Lucius Florus 'celiam': 'Cum se prius epulis quasi

inferiis implevisset carnis semicrude et celie: sic vocat indigena ex frumento potionem'; ut Cesar 'Armoricam': 'Universis civitatibus que Oceanum attingunt queque eorum consuetudine Armoricæ appellantur.' 'Traditorem', autem, cum scirem illos ex Evangelio mutuos, ubi Iudas traditor appellatur: non ita irreverens religionis sum ut evangelicum verbum in ore populorum vituperem ac vitio vertam.

«*Sed utinam verius quam glriosius dicerent.* Rectius quoad artem grammaticam si dixisses: 'Atque utinam vere magis quam gloriose dicerent', cum sit comparatio ad se ipsum, non ad extrinsecam personam: in huiusmodi enim constructionibus 'magis quam' particulam honestius interponimus, ut si dicam 'Cesar fortiter magis quam moderate res gessit'.» Minus ergo recte, minus grammaticæ, minus honeste scriptores omnes, dum aliter quam ut tu emendas locuti fuerunt? Curtius: 'Nec magnificentius hec iactata quam verius'; iterum: 'Id consilium non ratione prudentius quam eventu felicius fuit', et iterum: 'Sed acrius quam constantius prelum inierunt', iterumque ac sepius: 'Prudentius quam avidius persecutus est', 'Rex quoque avidior quam patientior', 'Tum consilium cepit utilius Besso quam gratius', 'Dum acrius quam cautius pugnat'. Afferam ex Livio, Salustio, Cicerone singula exempla: nam si tot velim quot possum, in infinitum res procedet. Primus, libro XLII: 'Non acrior quam pertinacior impetus Romanorum'; alter in Iugurthino: 'Multi dubitavere fortior an felicior esset' (nihil enim differt hoc loco 'an' a 'quam'); tertius in Catilinam: 'Vereor ne potius omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat.' Adeo Solinus libros Polyhistoron sive Collectanearum sic orditur: 'Quoniam quidam impatientius quam studiosius opusculum quod moliebar intercipere properarunt. Sed quid agunt alia exempla, cum Priscianus hoc

precipiat, subiecto quod superiore libro protuli exemplo: 'Tam iustior quam felicior Eneas Hectore fuit.'? Subdis tamen: «Posse tamen auctoritate tolerari non abnuerim. Livius, XXX Ab Urbe condita: 'Non spiritus magis magnos quam utiles'; idem paulo post: 'Omnibus tuis secundis rebus, nostris dubiis, iam apta ac speciosa danti pax est, nobis potentibus magis necessaria quam honesta'.» Ideo stultius, ideo perversius, qui cum non abnuas propter auctoritatem posse tolerari, tamen ut vitiosum accusas, immemor hoc a Prisciano esse preceptum; et tu apud me preceptoris fungeris vice, stulte atque excors, in re vel omnibus pueris nota, et preter exemplum tuum 'uteris, ut Cicero inquit, testibus non necessariis'. Quid enim ista exempla contra me agunt? Cur que pro me sunt (et ea tam multa) vel non vides, vel taces? quorum alterum stultitie est, alterum perversitatis. Et quoniam docere me vis quod aut omnes sciunt, aut ipse nescis, accipe quod non modo te, sed Priscianum etiam doceam: is enim tradit '— magis — adverbium non solum positivo, sed etiam comparativo iungi quando ipse comparativus vel ad se, vel ad alium comparatur, ut — Achilles Enea fortior magis quam iustior —'. Hoc, Prisciani pace, apud probatos auctores incompertum est, Solinum, ut opinor, secuti; cuius verba que modo attuli, ita fere leguntur: 'Quoniam quidam impatientius potius quam studiosius opusculum quod moliebar intercipere properarunt.' Si ita scriptum reliquit Solinus et eum secutus est Priscianus (nam et sequitur aliquando), dicam quod sentio, parum probabiliter hunc facere qui, omissis interdum eminentissimis auctoribus, plebeios quosdam ac minutulos consecutatur, ex quorum numero Solinus est, qui ex Plinii liquidissimis fluminibus turbidos quosdam rivulos tortuososque deducit. Alterum exemplum ad hanc rem pro simili, licet tale non sit, et ipsum ex se attulit Priscianus: 'Aiax Ulyxe fortior

magis quam Diomede'; quod minus quidem quam illud, tamen vitiosum est: cuius rei est causa quod 'magis', ut in Elegantiis

tradidi, adverbium comparativum est, loco ‘maiis’ (nam neutra comparativorum adverbiascunt), ideoque non potest exponi comparativum per ‘magis’, quia et ipsum tale est, ut ‘curro magis te’. Unde factum est ut, preter ea que tunc tradidi, hoc e re presenti adiiciam argumentum, ex eodem tamen fonte derivatum, quod cum duo comparativa componantur, sicut ostendimus, non poterimus tamen loqui per ‘magis’ duplicatum et positiva, quale esset: ‘Nec magis magnifice hec iactata sunt, quam magis vere’. Hec Priscianus non animadvertis, novum loquendi genus introduxit, quippe quod nullo confirmare potuit exemplo, quod alii sic dicerent: ‘Ajax Ulike fortior supra quam Diomede’, vel ‘Ajax non tam Diomede quam Ulike fortior’; quare si per positivum vis huius significationis satis explicatur, palam est ex adverbio comparativo, ut ‘magis’, ut ‘potius’, aliquid, si illo utamur, redundare, nec nos latine ac grammaticice loqui. Habis ne mihi gratias quod te et quidem tanta doceo? Si habes, te doceri, non reprehendi a me volo existimari; sin minus, reprehendi potius quam doceri, et reprehendi non modo ut indoctum, sed etiam ut ingratum. Sicut in illis quoque quod dixisti ‘quoad artem grammaticam’, cum dicendum fuerit ‘quantum’, seu ‘quatenus ad artem’; et ‘extrinsecam’, cum tantum sit adverbium ‘extrinsecus’. Nec absolutum iri te credas, si quem nostre etatis aut aliquem ex impolitis proximorum seculorum in testimonium cites: in nullo enim inest tantum auctoritatis ut cum antiquitate sit comparandus, nedum preponendus, quos certum habeo non iudicio sic dixisse, sed errore.

«Cum plurimas clientelas, multos ex nobilitate beneficiarios haberet.

Et hic quoque sermo ex tua nobili schola de promptus est. Ego vero non ‘beneficiarios’, sed ‘beneficio devinctos’ dicerem: ‘beneficiarii’, enim, ut scias, sunt quoddam genus militum qui ex eo ita appellantur quia promoventur ad honores beneficio tribunorum, ut inquit Vegetius, idque confirmatur auctoritate

[Page 155]

Cesaris in commentariis suis, cuius hec verba sunt: ‘Hec erant milia XLV, evocatorum circiter duo milia, que ex beneficiariis superiorum exercitum ad eum convenerant, que tota acie dispersa erant.’ Respondebo ad diffinitionem Vegetii, exemplum Cesaris, modestiam accusatoris. Etenim si diffinitionem Vegetii absolutam perfectamque ducimus, tanquam nihil omittentis in diffiniendo, cur idem inquit ‘contubernium’ esse communem quandam sub uno papilione vite societatem, et inde ‘contubernales’ dictos, cum sciamus ‘contubernales’ in urbe et domi nostre precipueque sub patre familias degentes esse et horum ‘contubernium’, quod non modo eiusdem domus societatem significat, sed eiusdem quoque thori? Ut apud Paulum, de sponsalibus, libro Iustiniani Digestorum XXIII: ‘Veluti ut eam que in contuberno patris fuerit, quasi novercam non possim ducere uxorem et contra eam que in contuberno filii fuerit, patrem quasi nurum non ducere.’; idem in Sententiis, libro secundo: ‘Inter servos et liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium potest.’ Quare Vegetius, neque enim pereruditus vir fuit, ut in hoc, ita in illo non absoluta diffinitione complexus est significationem: nam aliud quoque significat, ut in eisdem commentariis Cesaris: ‘Petreius vero non deserit sese, arma familiamque; cum hac et pretoria cohorte cetratorum barbarisque equitibus paucis, beneficiariis suis, quos sue custodie causa habere consueverat, improviso ad vallum advolat.’ Quis dubitet beneficio Petreii, qui dux erat non tribunorum, hos factos esse beneficiarios, nec aliter suos fuisse dicendos, nisi ab eo essent beneficiis affecti? Itaque viderit Vegetius, ut generaliter de beneficiariis loquar, ne a ducibus potius quam a tribunis et beneficia magis quam honores utique illi acceperint, quod multo est verisimilius: nam quis credit

[Page 156]

plura tunc in illis castris hominum milia fuisse ad honores iam promota? Nec sine perversitate fecit accusator meus, qui alterum ex eisdem libris suppressit exemplum quique non vult eum virum de quo scribebam suos eadem ratione potuisse habere beneficiarios qua Romani habuerunt, aut certe proxima atque persimili: cum multa sint nunc in re militari ab usu veterum diversa que referri quodammodo ad vetustatem queunt, sive vetusta ad nostrum morem aptari; certe ne hoc nomen intercidat, ad nostros translatum usus ferri, non reprehendi debuit: quod, nisi fallor, est a me non minus proprie positum quam a Vegetio diffinitum, convicta accusatoris insigni perversitate.

«Atque quo crepitus bombardarum norribilior et ictus perniciosior foret, omnes eodem non momento, sed pene punto temporis laxabantur. Ad quarum impulsum pulvareus ex discussis parietibus fumus diu in aere visebatur.

Admirabilis profecto est eloquentia tua: salustianam ne illam dicam an livianam? Ubique deprehenditur tua romane lingue paupertas. Ego vero sic dicerem, qui ligur sum: 'Et quo tormentorum eneorum fragor plus horroris ac metus incuteret quo ve illorum impulsus vehementior foret, omnia uno eodemque momento laxari iubebat, quorum tantus impetus erat ut post iactum ater pulvere commixtus fumus in aere diu conspiceretur'. » Legi fuisse qui nonnullos Homeri versus emendare sint ausi, ut parum heroicis, sed nihil aliud quam temeritatem suam, cum hoc fecerant, ostendisse. Idem in hoc fatuo nunc usu venit, qui cum me (ut ipsi blandiar) semidoctum hominem omni conatu et advocatis viribus corrigere laborat, ne in uno quidem verbo felix fuit, et si dolos etiam

[Page 157]

ac perfidiam adhibet, quod illi Homeromastige non fecerunt. Ego enim sic scripseram:

*'Sed acrius erat certamen tormentorum
precipueque bombardarum, que utrinque prorumpabant, plurium
tamen e castris ac maiorum, quarum nonnullae erant et vastitate
et violentia mirande. Atque quo crepitus horribilior'*

et reliqua.
Hic tu eloquentiam in me desideras. Inspiciamus quantopere admirabilis sit eloquentia tua. Ego 'bombardarum' dixi, cuius nominis superius rationem reddidi, tu per circuitonem 'tormentorum eneorum'. Quid, non etiam ferree reperiuntur? quales forsitan ille fuerunt qualisque est quam noster rex habet, omnium vastissima, quam vocant messanensem; audio etiam alteriusquoque materie fieri: ex quo constat et te stulte sic appellare et quia per circuitonem parum commode possumus, per suum nomen, qualecunque id est, debere nos loqui. Ego 'crepitus', tu 'fragor', quasi 'crepitus' aut nusquam reperiatur, aut hic parum quadret. Plautus de 'tonitruo', cui nihil quam hoc similius, in Amphitrione inquit:

Sonus, crepitus, tonitus
et in Curculione:
Placide egredere et sonitum prohibe forium et crepitum cardinum.

Iuvenalis, satira XI:

Testarum crepitus.

Titus Livius: 'Sed flamis in castra tendentibus vapore etiam ac fumo crepitique viridis materie flagrantis ita consternavit hostes' et iterum: 'Disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum tum eris crepitu qualis in defectu lune silenti nocte fieri solet edidit clamorem ut averteret etiam pugnantium animos' et iterum: 'Clamorem pugnantium crepitumque armorum exaudimus' atque iterum: 'Namque clangore oris alarumque

[Page 158]

crepitu excitatus Manlius.' Possum ex commentariis Cesaris, possum ex Suetonio, possum ex aliis multis exempla repetere, si necessaria forent; ideoque unum ex Plinio maxime idoneum adiecisse contentus sum, libro XVI: 'Omnia autem hec genera accensa fuligine immodica carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu iaculanturque longe.' Planum feci id, quo sum ipse usus, nomen esse et usitatum apud veteres et a me apte proprieque positum: ne fuerit causa cur mutaretur, nedum in peius quale tuum est. Quippe crepitus est violentus sonitus et proprius rerum que subito rumpuntur, ut vessice flatu inflate que, incussis calcibus compressa, diffinditur, cuiusmodi non est fragor, lensus quidam et continuus sonus rerum collisarum et que diutius confringuntur, ut apud Virgilium de venti nondum certi adventu:

Continuo ventis surgentibus aut freta ventis
incipiunt agitata tumescere et aridus altis
montibus audiri fragor, aut resonantia longe
litora misceri.

Accommodatior est igitur 'bombarde crepitus' quam 'fragor'. Pergamus ad cetera. Ego 'quo horribilior', tu 'quo plus horroris ac metus': addidisti quod additum non oportuit, quia horror est vehementior quidam et expavefaciens metus, necnon decrescit oratio, que debebat augeri, 'metu' subiuncto. Ego 'foret', tu 'incuteret', pauloque post 'foret': ostende ubinam inveneris 'incuti horrorem' et elegantius locutum te fuisse concedam. Ego 'et quo ictus perniciosior', tu 'quo ve impulsus

[Page 159]

'vehementior': primum 've' pro 'que' accipis; deinde non 'vehementior' (ut stultissime dixisti) impulsus est si pariter omnes, quam si subinde laxentur; preterea aptius nomen 'ictus' quam 'impulsus', licet et ipse postea suo loco sum usus 'impulsus'; postremo satius 'perniciosior' quam 'vehementior'. Ego 'eodem non momento, sed pene puncto temporis', tu 'uno eodemque momento': mira etiam in Fatuo impudential! quod ego nego, id tu quasi rei gerende affueris affiras; sed videlicet iccirco emendasti quia 'punctum temporis' idem sentis esse quod 'momentum'. O imperitie magister, qui latine loquentem barbare loqui iubes, nesciens plus 'temporis momentum' habere quam 'punctum' quo prope nihil est minus, cum illud sit circiter hore spatium, ut apud Horatium: quid enim? concurritur hore / momento et apud Livium: 'Intra hore momentum.' Iustinus etiam amplius spatii significat, inquiens: 'Per tot maria et tantum spatii tam brevi horarum momento de victoria nuntiatum sit.' Ego 'laxabantur', tu 'laxari iubebat': quis nam queso iubebat laxari? Manca, sine supposito, est oratio. Sed hoc ad stultitiam tuam, non ad verborum comparisonem pertinet; per me rei declaratur effectus, per te preparatio, quippe cum posset iuberi et tamen non laxari. Ego 'ad quarum impulsu', tu 'quorum tantus impetus erat': a me percussio exprimitur, a te eruptio et preterea improprium sane est appellare tormentorum impetum qui saxorum est ex tormentis expulsorum. Ego 'pulvereus ex discussis parietibus fumus', tu 'ut post iactum ater pulvere commixtus fumus', lenocinante tibi, seu Panormite versu Virgiliano
aterque ad sidera fumus

[Page 160]

et iterum mixtoque undantem pulvere fumum. O pecus, o Circes poculo virgaque in grunnientium ac subantium gregem eiecte, quem fumum loqueris pulvere commixtum? Illum ego ex pulvere fumum appellavi 'pulvereum fumum', quia pulvis assimilis est fumo; at tu verum fumum ais et hunc atrum, quasi aut fumus nisi ater soleat esse, aut pulvis ille fuerit ater, et, ne de pulvere taceas, facis fumum pulvere commixtum, quasi due res fuerint, ingerens supervacua, ut 'post iactum', detrahens (quod deterius est) necessaria, ut 'ex discussis parietibus'. Cur hoc detraxisti? Nempe quia de eo sentis fumo qui ex bombarda cum lapide prodit. O fumidum tuum sulphureumque

ingenium, qui de isto fumo feceris mentionem! prorsus
si de convivio regio scriberes, narraturus pro quodam rei geste
ornamento quantus ex opimis patinis sublime vapor effumasset.
Ego 'diu in aere visebatur', tu 'in aere diu conspiceretur':
taceo quod verbum tuum in clausula positum finis exametri est,
quod et si in historia toleratur, tamen hoc loco ubi me emendas
damnari debet, si modo tu numeris nectis orationem aut omnino
pedes ac syllabas tenes. Quid attinebat mutare hoc verbum, vir
mute et amare, nisi ut omnia amarissime immutares? Quod si,
ut apud Aristophanem est, quemadmodum verba Eschyli atque
Eurypidis ad iudices Inferorum in lancibus posita examinantur
utra sint magis tragica, sic nostra ponderarentur, profecto mea
siderent, tua velut inania cum sua lance tollerentur.

2.5.

V. «Quippe ad regem commeare et tractare inter utrosque ceperat.
Ambiguus et diminutus hic sermo est, nisi pacem, aut
concordiam, aut quid tractaret adiicias: neque enim sic simpliciter
prolatum ullum integrum sensum habet, quare male abs
te dictum.» Non adieci quid tractaret? Cur non adiecit Livius
quid Marcellus immolavit, taurum, an arietem, aut quid
aliud, cum inquit: 'Immolasse eo die quidam prodidere memorie'?

[Page 161]

Et aliis plurimis in locis huiusmodi sermo est. 'Nullum,
inquis, integrum sensum habet'. Et quomodo tu sensum
eius etiam fatuus intellexisti? Siquidem pacem concordiamque
tractabat. Ergo minime necessarium fuit addere quod ad sensus
intelligentiam nihil facit, nec ambiguus diminutus ve sermo est
quem malignus aperte se intelligere dissimulare non potest.
Etenim quis ambiguam, quis hanc decurtatam sententiam
putet: 'Spero affinitatem inter nos futuram cum summa concordia,
quoniam communes amici inter utrosque iam tractare
ceperunt'? Verum tu 'nodum in scirpo queris', qui scirpo vestiri
dignus es, qui facunde loqui te arbitraris istis verbis 'sic simpliciter
prolatum' et post 'ambiguus', 'diminutus', 'nullius integri
sensus sermo' infers pro conclusione 'quare male abs te dictum
est', quasi non aperuisses quid de meo sermo sentires.

«Constat inter omnes qui illi festo affuerunt nec vidisse se,
nec audisse celebriores pompas ceremoniasque.

Scribis de honore
summo regi habitu et uteris sacrorum verbis: pompe enim ceremonieque
ad sacra pertinent. Elegantioribus igitur et magis
propriis verbis usus esses, si ita dixisses: 'Constat sane inter
omnes qui illi celebritati affuerunt se magnificentius aut splendidius
aliquid nec vidisse, nec audisse unquam'» Vis te
gnarum religionis innuere, dum ad religionem ista verba revocas.
Agnosce quantopere in isto genere sapias disceque, preceptor,
quid pompa sit, quid ceremonia. De 'pompa', preter exemplum
Plauti de vestitu amatoris, quo superiore sum usus libro,
Cicero In Pisonem: 'Disseres de triunpho: quid tandem habet
iste currus? quid legati in equis? et tribuni? quid clamor militum?
quid tota illa pompa? Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta
pene puerorum, captare plausus, vehi per urbem,

[Page 162]

conspici velle.' Idem De oratore: 'Non enim alia sermonis, alia
contentionis verba; neque ex alio genere ad usum quotidianum,
alio ad scenam pompamque sumuntur' et in Oratore: 'Sed hec
pompe ac palestre, nunc in aciem verumque certamen descendamus'
et in Tusculanarum questionum libro quarto: 'Illa quidem
e rhetorum pompa: ardore animorum cotesque virtutum' et
De officiis: 'Ne pomparum ferculis similes esse videamur.'
Sunt autem fercula pomparum simulacula victiarum que
in triunpho gestabantur, quod indicat Lucanus, cum inquit de
triunphali pompa:

Quam seriem rerum longa precedere pompa
quas potuit belli facies!
et cetera. Neque vero in letis modo pompa est, verum etiam in
tristibus, ut idem Cicero Pro Milione: 'Tu spoliatum imaginibus,
exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis, semiustulatum
nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.' Quintilianus:
'Quid sibi velit ille funebrium longus ordo pomparum?' Livius:
'Consulares vero fasces et pretextam curulem nihil aliud quam
pompam funeris putent; claris insignibus velut influis velatos
ad mortem destinari.' Hec de 'pompa'. Nunc de 'cerimonia',
illud tamen prefatus, cur ab religione sentias abesse in templo
per pontificem regis consecrationem atque unctionem more
sacerdotum: an consecratio ad sacra non pertinet? Accipe nunc
exempla quibus citra sacrorum respectum probabo tibi usurpatum
hoc a veteribus fuisse vocabulum. Livius: 'Pacem habeat
sibi, legiones captas victori restituat; hoc fide, hoc federibus,
hoc facialibus ceremoniis dignum erat'; iterum: 'Consules profecti
ad Pontium in colloquium, cum de federe vitor agitaret,
negarunt iniussu populi fedus fieri posse, nec sine facialibus
ceremoniaque alia solemini.' Cesar: 'Et quoniam in presentia
obsidibus inter se cavere non possent, ne res efferatur, aut

[Page 163]

iureiurando ac fide sanciatur, petunt collatis signis militaribus,
quod more eorum gravissima ceremonia continetur, ne facto
initio belli ab reliquis deserantur.' Omitto cetera exempla, que
plura sunt. Et tu me ais ineleganter atque improprius locutum!
In quo semel peccas; iterum, quod pro optimis inania
verba substituis 'magnificentius aut splendidius aliquid': mea
certe convenienter cum illis Cornelii Taciti 'Necdum celebrare
solemnia nuptiarum audebant'. Tertio, quod 'festum' mutasti
in 'celebritatem', deceptus errore vulgi quod celebritatem pro
solemni festo accipit, cum docti pro honoratorum hominum
frequentia accipient, aut huiusmodi hominum cultu. Quintilianus:
'Ante omnia futurus orator, cui in maxima celebritate
et in media re publica vivendum est, assuescat iam a tenero non
reformidare homines neque illa solitaria et velut umbratili vita
pallescere' et iterum in eodem loco: 'His adiicio preceptores
ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere
singulis tantum presentibus, quod illa celebritate audientium
instinctos.' Cicero Pro Archia: 'Cum hac celebritate fame, cum
esset iam absentibus notus' et in eadem: 'Nisi hanc celebritatis
et glorie.' Quarto, quod 'unquam' superflue addidisti et
'sane' insane. Quinto, quod prepostere extulisti 'elegantioribus
et magis propriis', quia prius est ut sint propria quam ut
elegantia.

*«Augebat autem iocunditatem solemnitatis quod quinque filii
circa patrem visebantur, quorum medius, inspectante omni cetu,
patrem (priusquam regali chrismate tingeretur) cinxit ense equerius,
utpote preditus illa dignitate ...»*

Et hocquoque depromptum
est ex illa tua impudentie officina, quem non pudet, ut priore
libro dixi, verba nova formare cum vetera extent, honesta illa
quidem et usu comprobata. Saltem ex greco expressisses ea
verba! Nam ut ait Horatius:

[Page 164]

Et nova factaque nuper habebunt verba fidem si
greco fonte cadant, parce detorta.
'Equerium' primo libro formaveras, hoc 'equeriatum', scilicet
alter Varro vel tertius Cato ad locupletandam linguam latinam
ex celo lapsus.» Si 'equerium' recte ac necessario dici suo
loco probavi, quid est quod ab eo mireris formari 'equeriatu',
ut a 'patricius' 'patriciatus'? At extant vetera. O insanum, 'militia'
ne fuit olim dignitatis nomen? et 'miles' is qui vulgo, necnon
grece, 'caballerius' nominatur? At ex greco detorsissem: quid
tibi cum Grecis, barbare? Et si grecus fons huius rei nullus est,

quo nam pacto illinc detorquebo, cum illi detorserint a nostro?
Hec breviter respondisse satis est. Nam quod Catonem tertium
me per derisum nominasti, ostendis te vere deridendum,
qui cum mutuari vis verba Iuvenalis
Tertius e celo cecidit Cato,
non animadvertisisti illum de moribus loqui, non de litteris: non
enim fuit omnium Catonum locupletare linguam, cum posterior
Cato nequaquam locuples in dicendo sit habitus nihilque admodum
librorum scripserit. Illa quoque vitio non carent, quod
priorem librum vocas 'primum', in tertio positus, quodque
'formaveras' pro 'formasti hoc libro equeriatum' dixisti.
«*Sed anticipato die venit, quasi officii gratia papam excepturus.*
Tullianum vero hoc est. Sed qui eloqui didicerunt
non 'anticipato die venit', quod pedagogicum est verbum, diceret,
sed 'pridie ante constitutam diem'.» Omitto quod
pedagogos facis Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, ceteros
eiusmodi, unde loca illa notissima 'Anticipaverunt vigilias

[Page 165]

'oculi mei' et 'Cito anticipent nos misericordie tue'. Tullius
ne ipse non suo more, non facunde, sed pedagogice dixit ad
Atticum, scribens: 'Dices: Quid igitur proficis, qui anticipes
eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis?' Etiam expressius
libro primo De natura deorum: 'Aut quod genus hominum quod
non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum?
quam appellat prolempsim Epicurus, idest antecceptam animo
rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quicquam
nec queri nec disputari potest' statimque post: 'Fateamur constare
illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante
dixi, sive prenotionem deorum' et iterum in eodem libro: 'Informatum
et anticipatum mentibus nostris.' O Ligurum dedecus
ac litterarum opprobrium, qui fatue furioseque principibus
lingue latine maledicis! Audi nunc historicum Suetonium:
'Nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut cum audisset
unum e reis, Carrulum nomine, anticipasse eam, exclamaverit:
Carrulus me evasit'; hoc in Tiberii, item in Claudii vita: 'Fecit
et seculares ludos, quasi anticipatos ab Augusto neque legitimo
tempore reservatos.' Sunt et alia alibi plurima exempla,
non modo apud prosa oratione sribentes, verum etiam apud
poetas, genus hominum inter scriptores omnes eloquendi studiosissimum,
ut Statium:
Speravit flexe circum compendia mete
inferius ductis phebeius augur habenis
anticipare viam.
Sed, o pedagogorum sterquilinium, quo auctore dixisti
'pridie ante constitutam diem'? Nonne 'pridie' compositum est
ex 'pre' et 'die', sicut 'postridie' a 'post' et 'die', sive a 'postero'
et 'die', utque hoc diem sequentem significat, ita illud diem
precedentem? Quid ergo necesse fuit addere prepositionem
'ante', que idem significat quod 'pre'? An sic Iustinus inquit:

[Page 166]

'Equum pridie constitutam diem ad eundem locum ducit ibique
eque admittit.'? Hoc tu, sicut illud Iuvenalis, imitari quam
voluisti tam nescisti. Nam quod singulariter 'diceret' pro plurali
posueris, tibi in crimine, quemadmodum tu in me faceres, non
pono.

«*Advenit Saticius episcopus Palentinus dicens sponsam,
pronubus et velut parens puelle.*

Non utimur hoc nomine, bone
grammatice, nisi feminino genere, sicut nec 'nupta', quamvis
'novum nuptum' Plautus Calinum semel dixerit: hec enim ad
feminas, non ad mares pertinent officia. 'Pronubam' enim dicimus
eam que novam nuptam in cubiculo sponso copulat, quod
est femine, non maris officium.» Nuptam tu, sive nubere
officium vocas. Quod, queso, officium? Nempe quod proprium
est feminarum: virum pati. Nunquid officium Priscianus id

vocat, cum de isto verbo et isto exemplo agit? Transeo quod Iustinianus 'binubum' vocat qui bis, et alii quidam 'innubum' qui nunquam duxit uxorem. Ego non de eo loquor qui uxorem capit, sicut nec tu in 'pronuba', que nec ipsa nubit, sed sicut hec preest sacris nuptialibus pro parte uxoris (licet tu velis esse que sponsam cum viro copulat in cubiculo, non modo imperite, sed etiam fede ac venere diffiniens, ut Panormite discipulum liceat agnoscere), ita 'pronubus' pro parte viri eritque utriusque officium solemnia curare nuptiarum. Hic tu preter quam quod negas hoc nomen inveniri, reddis rationem cur non inveniatur, eandem ipsam quod nubere pertineat ad feminas, quasi vero pronuba nunc nubat et non suum officium exerceat agendo, providendo, gubernando, quod non magis est femine quam viri, cum sexus non faciat hic differentiam: unde officia multa sunt communis generis, ut conviva, agricola, celicola et alia plurima. Ex quo liquet tuam rationem non minus cassam esse quam cassam nucem nihilque obstarre quin pronubus' esse possit, ut est apud grecos 'paranymphus'. An

[Page 167]

nos latinum non habemus? Tibi non habere dicendum est, qui de eo mentionem non fecisti, in 'pronubo' reprehendendo; mihi, ut res habet, dicendum nos habere in hunc sensum 'auspicem', ut apud ipsum Plauto in Curculione:

Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.

Quid alia? Cum de hoc vocabulo ita preceperim in Elegantiis:

'Auspex qui preerat nuptiis celebrandis, quia auspicium pro nuptiis capere solebat adhibebaturque hic pro parte viri, ut pronuba, que preest et ipsa nuptiis celebrandis pro uxoris', ut Lucanus:

contenta est auspice Bruto

et reliqua. Cur autem non dixi nunc 'auspicem'? Quia non sum scytha ut tu, nec de scytha loquebar, que gens auspicia sectatur, sed de pontifice christiano. Cur vero 'pronubus'? Quia cum alias sacrosanctos viros imitari volui, tum vero Hieronymum, qui in Libris Iudicium ait sacerdotum Sansonis collocasse

filiam uni de amicis Sansonis et pronubis: sed hec ratio tibi non probatur, Hieronymum contemnenti, tibi qui quo nomine hanc rem appellares, nisi nunc a me doctus, ignorares.

«*Rex tamen neque prophetanti plane crediderat. Cum scribes aliquid theologicum, isto verbo utitor, sed cum scribes*

historiam, putato tibi non licere, bone magister elegantie, qui tam frequenter eo usque adhuc usus es.» Quid ais, scelerate?

Non nominabo in historia mea prophetas, sed aruspices

potius atque augures ceterosque divinos, ariolos, coniectores, quasi non meo, sed Nume Pompili seculo scribam? Quid enim? si de alicuius prophete vaticinio sit scribendum, quemadmodum nunc usu venit, aruspicem ne aut augurem, aut ariolum nominabo?

Ac ne talem fuisse neges, de quo loquebar, hec mea verba sunt: '*Etenim fertur quidam, sive ex prenesticis corporis*

[Page 168]

presagiens, sive oraculo aliquo instinctus dissipasse famam nondum exacto quadriennio regem vita defuncturum. Rex neque prophetanti plane crediderat, neque tunc magnopere consolantibus acquiescebat.'

2.6.

VI. «*Cetera neglexit papa pre umbra illius nominis*. Non ‘pre umbra’, imperite, sed ‘pre splendore eius nominis’: neque enim umbram, sed splendorem eximium pre se fert pontificis nomen, quo honore nullus in terris illustrior.» Imperitus ergo Cicero, qui In Pisonem ait: ‘Nam ut levitatis est inanem aucupari rumorem et omnes umbras false glorie consecrari, sic levis est animi lucem splendoremque fugientis iustum gloriam, qui est fructus vere virtutis repudiare’: cur non dixit ‘omnes fulgores false glorie consecrari’? Cornelius Tacitus, libro m: ‘Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, fama, in quantum preumbrante imperatoris fastigio datur’: vides ut fulgor imperatorius obumbrat. Et iterum: ‘Flavium Sabinum inermem neque fugam captantem circumsistunt, et Q. Atticum consulem umbra honoris et sua vanitate monstratum’ et iterum: ‘Se tributa ac leges et pro umbra regis Romanorum ius victis impositurum’: en umbra regis, ut ego inquam umbra pape. Livius: ‘Nam si etiam nunc sub umbra federis equi servitutem pati possumus.’ Quid abest? Quintilianus: ‘Qui dum maiorem vim eloquentie ferre non possunt, sub umbra magni nominis delitescunt’: profecto magnum nomen splendorem, non obscuritatem habet. Lucanus:
Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque
nomen, libertas et inanem nominis umbram,
ecce umbra nominis pro maiestate quadam ac splendida
dignitate.

[Page 169]

«*An non est hec abiectissimorum hominum contumacia atque ambitio et Luciferi arrogantia, qui dicit ‘Ponam sedem meam ad Aquilonem et ero similis Altissimo’?*»

Locutio sane digna historiographo eloquentissimo, ne plura dicam.» Digna Scytha Mauroque sententia, qui nolit piissimum regem pie loqui. Quid ais? Illa apud Livium: ‘love nate, Hercules, salve: te mihi mater, veridica interpres deum, aucturum celestium numerum cecinit’ et alibi: ‘Iuppiter optime maxime Iunoque regina ac Minerva ceterique dii deque’ dicuntur eloquentissime, et ipsa deorum nomina velut stelle illustrant orationem, christiana vero ac pia nomina tanquam note ac macule dehonestant atque deformant! Etenim solet commemorare Panormita seu carmen, seu prosam orationem, simul ac de rebus ad Christianam religionem pertinentibus loquitur, obsolescere nitoremque atque elegantiam perdere: ut si vos audire volumus, quo simus elegantes, ad cultum Herculis, Iovis, Iunonis, Minerve et ante omnes Veneris, immo Cupidinis, qui matre sua magis est vobis cordi, redire debeamus. Ego sic regi Ferdinando dignam se orationem dedi, ut Livius Evandro et M. Manlio; vos vero perverse, qui non vultis accommodari persone sermonem et si potius verus hic sermo Ferdinandi fuit.

«*Additumquoque est non esse temptandum quid facere audeant qui primigenio dicere ausi sint, die quodam in dissensione de suppicio sontis cuiusdam, nondum exiccatum atramentum quo exarata sunt instrumenta declarationis de successione, et preter mores legesque iam fieri.*»

Ornatissime profecto et exquisitissime, ut cetera; recte tu quidem, ne a more tuo recedas. Sed ego sic dicerem: ‘Erant etiam qui dicerent tentandum non esse quid illi audeant qui, cum alias de suppicio sontis cuiusdam dissensio esset, dicere non pertinuerint nondum exaruisse publici documenti litteras, quo eius successio sancita sit.’ Comparemus

tua cum meis, vir stolidissime, qui unam recte dicendi censes
esse virtutem, exquisitissime loqui. Ego tres proceres facio cum
rege sermonem habentes, his verbis:

*'Obsecabant omnes, precipueque
Garaus Cervellio, preses Catalonie, nequid in consiliarium
civitatis male consuleret, neve presentem furorem plebis imperite
magis irritaret; daret ire spatum nondum adesse maturitatem,
quod nunc negant, id ultiro postea delaturos. Motum plebis esse
torrenti similem, qui ad breve tempus inflatus, perennibus aquis
concitatus fertur, mox estum ac fervorem omnino perditurus. Additum quoque'
et reliqua.*

Tu, ut exquisitus loquaris, non
laborans quomodo sequentia cum superioribus congruant, ais:
'Erant qui dicerent': hoc non exquisite loqui est, sed mentis
exinanite. Ego 'quid facere audeant', tu 'quid illi audeant',
nempe 'quid audeant dicere' (nam sequitur 'qui dicere non
pertimuerint'): et hoc exinanite mentis est, non exquisite dictionis.
Ego 'qui dicere ausi sint', tu 'dicere non pertimuerint': cum
vis sententie non dissonet, tamen mutasse hec verba mentis
exinanite est et 'timuerint' aptius erat quam 'pertimuerint',
Ego 'die quodam', tu 'alias', quasi non semel eiusmodi controversia
extiterit: hoc etiam mutasse mentis est exinanite. Ego
'in dissensione', tu 'cum dissensio esset': par et hic signum mentis
exinanite, nisi semper illa inanis fuit, et eo magis quod ex
verbis tuis significantur nescio qui dissensisse, ex meis vero isti
ipsi. Ego 'nondum exiccatum atramentum', tu 'nondum
exaruisse litteras': hic magis animadvertisendum exquisita ne
oratione an exinanita ratione locutus sis. Primum, quod a veritate
discrepet, eximis 'atramentum', quod in proverbio solet
nominari, non 'littere': sed scilicet 'atramentum' ut humile et
sordidum vocabulum repudiasti, quasi non de scriptorio atramento
dicatur, sed de sutorio, hoc est tibi domestico. Deinde,
quod, et si proprie dicitur 'exarescere', magis tamen proprie

'exiccati', quod genus est 'siccari cruentem', 'siccari sudorem',
'siccari ficus, uvas, poma', non 'exarescere', nisi cum, sicut
tuum caput, exinanita sunt atque corrupta. Tum, quod 'littere'
pro 'scriptura' non accipiuntur, sed in singulari potius numero.
Postremo, non forma scripture, quod est 'littera', sed materia,
quod est 'atramentum', siccatur, sive arescit. Ego 'quo
exarata sunt instrumenta', tu 'publici documenti litteras'. Cur
mutasti 'instrumentum'? Certe quia barbarum existimasti. O
barbaros iurisconsultos ac rusticanos, cum mille aliis in locis,
tum vero in titulo de fide instrumentorum et admissione! Quid
iurisconsultos? An non apud plerosque alios hoc nomen invenies?
Afferam unum commune Quintiliani ac Ciceronis exemplum:
'Sunt quedam et false expositiones, quarum in foro
duplex genus est: alterum quod instrumentis adiuvatur, ut
P. Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Rome commiserat,
Interamne se fuisse dicebat; alterum quod est tuendum
dicens ingenio.' Ceterum nihil te insimulo, nihil arguo, si
modo pro isto aliud, non dico magis, sed eque proprium substitueris.
'Publici documenti litteras': hoc vero inauditum est
omnibus iudiciis, universis auditoriis iuris civilis incognitum.
Ego 'declarationis de successione', tu 'quo eius successio
sancita est'. Cur ego 'declarationem', cur 'successiōnem' nuncupavi?
Quia sic iudices ipsi, ut ex instrumento apparet, nuncuparunt:
non enim ut Numa Pompilius, non ut Tullus Hostilius,
non ut Ancus ceterique reges consensu senatus populique romani,
sic iste consensu procerum populariumque creatus est
rex, sed per iudicium sententiam declaratus defuncti regis maxime
proximus, ut illi proximitatis iure succederet. Quare non
fuit causa cur hoc verbum, quo velut adamantina columna regni
ius omne fulcitur, eximeretur et aliud substitueretur, ut sic

dicam, vitree columne instar. Nam quid ad pronuntiationem iudicum, quid ad instrumentum, quid, ut tuo verbo utar, ad publici documenti litteras, quid denique ad successionem

[Page 172]

'sanctio'? que proprie est lex cum terrore pene (et si a quibusdam aliter usurpatur), ut Ulpianus ait, de divisione rerum et qualitate: 'Proprie dicimus sancta que neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut leges sancte sunt, sanctione enim quadam sunt subnixe. Quod sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, et si deo non sit consecratum, et interdum sanctionibus addicuntur, ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur.' Quominus sic loqui decebat eos qui ius regium, nec intra verba tantum, spernere videbantur. Agnoscis nunc, o mentis exinanite, quam exquisite loquaris quamque accurate! Quanto tecum melius ageretur, si cum patre in sutrina sedisses, manibus atramento sutorio non modo sordidis, sed etiam gravolentibus, ac nonnunquam verriculum, et si imbecillus es, cum illo traxisses, quam quod ad litteras puerorum custos a patrono vel domino missus es!

«*Quod si, quemadmodum a sapientibus dictum est, acerbiora sunt adversa quam iocundiora prospera, dicamus preclare cum Ferdinando actum esse.*

Honestior elocutio si dixisses: 'Quod si plus acerbitatis adversis inest quam iocunditatis prosperis, preclare cum Ferdinando actum esse existimemus'.» O mentis exinanite! Superius hoc tolerari posse fatebaris auctoritate, nunc eam repudias, ut quo sepius me reprehendere niteris, hoc sepius in illud censorium dictum induare: qui dum alienam inscitiam insectari volunt, suam confitentur. Nisi vis me ad illud quoque tibi respondere quod 'dicamus' mutasti in 'existimemus', quod non tam inscitie quam stultitie est argumentum.

«*Sed Ioannes imperite atque indocte, homo quidem gravis probusque ac strenuus, sed idiota.*

Tu certe magis idiota quam

[Page 173]

ille, qui sic barbare loqueris. Quanto elegantius fuerat dicere 'illiteratus' vel 'litterarum ignarus'!» Si barbarum vocabulum est, si non utendum, cur eo tu in me pro latino uteris, tu qui me doces elegantius loqui? Est ne vocabulum barbarum, quod in media Grecia mediisque Athenis natum est, usitatum Platonii, Aristotelii, Demostheni, Eschyli, denique omnibus Grecis? An ignoras 'barbarum' 'greco' contrarium esse, ut nigrum candido, ut amarum dulci, ut malum bono, ut tu mihi? At non est, inquires, Latinis notum. Finge me detorsisse e greco, quod superius auctoritate Horatii precepisti: quanquam unde scies an detorserim greco ex fonte, qui nunquam, ut inquit Persius, 'labra fonte proluisti caballino'? arrogantissime fatuorum, similis ceco qui in solitudine oberrans auditos pretereuntes non rogit iter, sed intento digito docet. Quid, si ego non detorsi? Quid si multis iam seculis alias? Quid si apud multos iam detritum, eosque egregios? Inspiciamus, inquires, an sint egregii. Apud Hieronymum: non habeo, dices, istum pro egregio. Apud Ambrosium, Hilarium, Cyprianum, Augustinum: ultimum, inquires, nonnihil novi, ceteros ne inspexi quidem, sed omnes in eundem reiicio gregem. Apud Lactantium: hic, dices, dum Ciceronis materiam tractat, Tullianus est, quatenus vero religionem christianam, gregalis efficitur. Quid Aulum Gellium, Apuleium, Macrobius, Diomedem (qui etiam 'idiotissimum' dixit)? Ne hi quidem satis egregii. Quid, ne omnes peragam, M. Tullium? Appellabis ne ab hoc? Qui ita ait In Pisonem: 'Sed plane animi sui causa, ludos nobis idiotis relinquet'

et in eadem: 'Ea contemnis que illi idiote, ut tu appellas,
preclara duxerunt' et in Verrem sexta: 'Non modo istum hominem
ingeniosum et intelligentem, verum etiam quemvis nostrum,
quos iste idiotas appellat, delectare possent.' Hinc

[Page 174]

'idiomata', ut 'aromata', ut 'themata', ut 'peristromata', ut 'emblemata',
ut 'tereomata', ut alia mille venerunt.

*«Neque nunc de pecunia res est, de qua si certaretur, pudendum
vobis erat tantulum sumptum regi vestro non gratificari, sed
de pudore meo, de auctoritate huius sedis, de fama apud exterias
nationes.»*

Quo magis magisque tua lego, eo magis inscitiam tuam
intelligo. 'Pudorem' dicis, quod 'honorem' dicere debuisti: neque
enim id pertinet ad verecundiam, sed ad honorem ac dignitatem
regiam quod regi suo non gratificantur. Melius itaque
et correctius loqui disce.» Uter correctius loquatur, pronuntient
iudices. Cicero Pro P. Sulla: 'Si suus pudor ac dignitas
non prodesset, nullum auxilium requisivit' et pro eodem:
'Dico illud quod in his causis coniurationis non auctoritati assumo,
sed pudori meo.' Idem Pro Quintio: 'Denique omnia
potius quam ius, quam officium, quam pudorem.' Idem Pro
Flacco: 'Septimio et C. Celio testibus, P. Servilius et M. Marcellus
huius pudoris integritatisque testes repugnabunt.' Idem
Pro Archia: 'Quare conservate hominem pudore eo quem videtis
amicorum comprobari cum dignitate, tum etiam venustate'
et De legibus: 'Quid vero de modestia, de temperantia, de continentia,
pudore pudicitiaque dicemus?' Quintilianus, cum
alias plurimis in locis, tum vero in prima declamatione que sic
incipit: 'Sentio, iudices, pudori iuvenis, pro quo minimum est
quod parricida non est, gravissimum videri quod absolvendus
est contra novercam.' Cuius discipulus Plinius et ipse orator
eximus, in epistola ad Annium scribens de honestissima muliere
inquit: 'Neque enim aderat aliis qui defuncte pudorem
tueretur.' Ulpianus, libro xxm de sponsalibus: 'Palam

[Page 175]

questum facere non tantum eam que in lupanari se prostituit,
verum etiam siqua, ut assolet, in taberna, vel que alia pudori
suo non parcit.' Idem libro XLVII de iniuriis et famosis libellis:
'Aut si carmen scribat vel proponat vel cantet aliquid quod
pudorem alicuius ledat.' Si placet historicus, accipe Cesarem,
commentario primo: 'Ut quam primum intelligere posset,
utrum apud eos pudor atque officium an timor plus valeret.'
Infinita sunt huiusmodi testimonia, quorum unum tibi
decantabo ex triviis:
Productus testis, salvo tamen ante pudore,
quantuncunque potes celato crimen amici;
est ne hoc loco pudor idem quod verecundia, ut dicebas, sive,
ut correctius loquamur, confusio illa mentis quotiens facti nostri
pudet? Qui pudor te, si homo essem, tenere deberet, quod
amicum falsis criminibus accersisti et pudorem eius, ad quem
nunquam tu aspirabis, ledere temptasti: qui correctius
etiam meliusque dixisses 'eo magis magisque', ut cum illo
congrueret 'quanto magis magisque'. Uter igitur ab utro discit
melius et correctius loqui, ego abs te, an tu a me?

2.7.

VII. Neque vero scripta mea tantum, sed, o incredibilem furem, quod etiam locutus sum ut minus polite dictum carpere te non pudet, in quarta invectiva. Respondebo enim huic reprehensioni verborum, prius quam obiecta refutem sententiarum.

«Qualis enim sermo tuus est, talis est profecto oratio, quem multi iudicio decepti, quod sunt ignari eloquentie, disertum et tersum putant, qui siquid in his studiis profecissent, facile deprehenderent linguam tuam non romanam esse, sed barbaram. ‘Ego vos puniam ambos’, minitans Antonio et mihi, dixisti in conspectu regis, ne dicam cetera inepta atque irridenda;

[Page 176]

sed si romane et latine loqui scisses, non ‘vos puniam ambos’ dixisses, quod rudius et inornatus dici non potuit, sed ‘utrique meritas referam gratias’ vel ‘utrumque ulciscar’. O quam multa notarem in sermone tuo, si te audire vellem (sed insanum ac dementem, presertim in nugis quibus affluis, non audio), que multi ut belle et ornate abs te dicta laudant et mirantur! Verum non ex sermone iudicatur hominis facundia et doctrina, sed ex scriptis et operibus, quibus maior vis ingenii maior ve cogitatio et cura adhibetur. Conferantur tua scripta cum meis et equum habeamus iudicem: tunc videris quam parum disertus sis.» Differo respondere conviciis tuis. Interim te teneo ex tuis verbis prius vos contra historias meas scripsisse quam ego te verborum illa contumelia afficerem. Siquidem ista que in me reprehendis ut barbara postridie illius diei quo cum Antonio iurgatus sum quoque die contumelia te affeci dicta sunt, cum tu ad ulciscendam hesternam iniuriam, vel ad patrocinandum potius Antonio venisti: et certe minitari se ulturum eius est non qui fecit, sed qui accepit iniuriam. Nunc ad tuam verborum meorum reprehensionem. ‘Qualis, inquis, sermo, talis est oratio tua’: quippe vis hunc in pronuntiando, illam esse in scribendo. Quam differentiam quis queso te docuit? Profecto non Cicero Quintilianusque, qui volunt orationem cum proprie accipitur sic a sermone differre, quod hic sedatior, remissior, pressior ac tenuior, qualis philosophorum, hec, ut in qua ornamenta, amplificationes, affectus insunt, popularibus accommodata sit auribus ideoque oratores vocari qui istiusmodi genere utuntur: ut declaratur ex superiore Ciceronis exemplo: ‘Non enim alia sermonis, alia contentionis verba.’ Sed hec te accusant, non me ab accusatione defendunt. Dixi ‘vos puniam ambos’. Esto, rudis sit inornatusque sermo. Si negaro meum esse, quo me teste convinces? Nemo animadvertis, nemo notavit. Quin ipse reprehendisti, si dignum erat reprehensione? ‘Non erat, inquis, minus grammaticae dictum, sed minus eleganter aut minus ornata, ideo non reprehendi.’ Concedas

[Page 177]

ergo te stulte obiicere quod nequeas probare. Sed age, concedo a me dictum. Utrum igitur magis vitiosum, grammaticae et latine, licet inornata, loqui, an, ut vos facitis, idiotarum verbis (quibus apud eosdem iudices cum exprobrarem imperitiam dicendi: ne laccessitis quidem fiducia fuit litterate loquendi), ne videlicet in errorem incidatis? Ex quo reprehendere iure vestro potestis errata ceterorum, qui ipsi nunquam erratis, nimirum semper iacentes nequando cadatis. ‘Nescimus, inquis, eleganter loqui, sed scribere: conferantur tua scripta cum meis’. Et non pudet vos meorum accusatione scriptorum non esse contentos et unum in aliena facie deridere nevum, ipsos tota facie ficosos! Ex scriptis et operibus, non ex sermone iudicatur hominis facundia et doctrina: quid sibi vult ista oratio? Ais ne me facundum et doctum, an negas? Si ais, cur linguam meam non romanam vis esse, sed barbaram, cur inornata me locutum ac ruditer, cur multa huiusmodi te posse in meo notare sermone? Si negas, cur inquis non iudicari facundiam doctrinamque ex sermone, si meus sermo non fert pre se facundiam atque

doctrinam? Hoc contra illos dicitur qui in loquendo facundi sunt. Vides ne, dementissimo dementior, intra tam pauca verba te loqui repugnantia atque contraria? Quanquam, o doctum et oratorie artis gnarum, facundissimi quique oratores, vel romani vel greci, nonne ex dicendo tales habiti sunt vel magis quam scribendo? Furiose, qui te damnare iudicium publicum non sentis, hoc est regis aliorumque, quos ais, quia putent me disertum et tersum quodque laudent ac mirentur me ut belle et ornate dicenter, iudicio decipi tanquam ignaros eloquentie nec habentes aliquos in his studiis profectus, quasi aut tu plus habeas eloquentie, aut non sit optimus iudex oratorum populus, quod Cicero frequentissime Quintilianusque testantur! Longa mihi in hoc suppeditaret, nisi assidue brevitatem

[Page 178]

sectaretur, oratio. Eoque regi (quatuor enim extitistis) persuadere conati estis et ceteris sedulo persuadere conamini me multo melius loqui quam scribere. Non sum ergo infacundus, vel vestra confessione: et tamen non talem esse probare niteris idque duobus verbis. Ex duobus ne verbis minus ornatis omnis mea facundia periclitabitur? ob hec duo barbarus ero, 'ego vos puniam ambos'? Heccine ad notationem elegisti? Nihil est quod minus culte, minus eleganter, minus diserte dixerim? Profecto nihil, alioquin id potius obiecisses. O meam singularem Demosthenicamque facundiam, in cuius non scriptione, non accuratiore aliqua oratione, non saltem premeditata, sed extemporali tumultuariaque et obiurgatoria altercatione, nec apud eruditos, si adversario credimus, nihil notari potest minus ornatum quam 'ego vos puniam ambos'! Quod tu, in loquendo quidem infans, sed in scribendo prisce facundie, emendas mutans 'ambos' in 'utrunque' et 'puniam' in 'ulciscar' vel 'meritas referam gratias'. Quid ais? an 'ambo' in usu non est? Ut apud Terentium:
oportune ambo: vos volo
et Titum Livium: 'Quos cum pariter ambos benigno vultu exceperisset' et iterum 'Seque eos ambos coronis muralibus donare'
et iterum 'Ambo preoptantes exilio modicam domi fortunam'
et iterum 'Tarquinios reges ambos patrem voluisse,
filium perfecisse'. Quod si usitatum apud auctores est, superest
ut probes me impropre usum; hoc non facis, Fatue, igitur accusas.
Nunc de 'punio', quod duobus modis accipitur, uno
cum sontes plectimus, altero cum inimicos ulciscimur, quorum
utrumque vobis convenit, quos vel pro furibus proditoribusque
vel pro pessime de me meritis multare debeo. Cicero De officiis:

[Page 179]

'Sunt autem quedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus iniuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus atque haud scio an satis sit eum qui lacererit iniurie sue penitere'; idem Pro Milone in Sextum Clodium: 'Cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es quam erat humanitatis mee postulare' et pro eodem 'Valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ulti iniurie, punitor doloris sui' et libro primo Tusculanarum questionum: 'Cum multi inimicos etiam mortuos puniantur'. Erravit ne Cicero qui punitos inimicos et Livius cum Terentio qui ambos eodem quo ego modo dixerunt? At tu emendas elegantius 'utrumque ulciscar'. Sit ita sane: loquebar ego ex tempore, non scribebam, ut tu fecisti. Sed qui fieri potest ut elegantius? cum sic loquantur tam magni auctores, quos tu, furiose, in me reprehendendo reprehendis. Que ratio alterum tue emendationis modum ut ineptum refellit. Eum tamen, non mei defendendi, qui iam absolutus sum, sed tue facundie perpendende atque estimande gratia, inspicere volo. Ais debuisse me dicere 'meritas referam gratias'. Ecquis me intellexisset eorum qui aderant? apud quos exquisitor sermo superstitosus fuisset. Quotus enim quisque tenet differentiam inter 'gratias ago', 'habeo', 'refero'? Mentior nisi tu quoque cum Panormita collega tuo istam elegantiam ignoratis, et si a me in Elegantiis traditam. Nam ut inolevit apud plerosque iam inde ab aliquot seculis opinio 'refero gratias' idem esse quod 'ago gratias' (ideoque me dicenter 'gratias'

referam' aliter accepissent quam ego sensissem), sic apud eruditos minus latine dicitur, cum 'refero gratiam' sit dicendum. Quam elegantiam vix ulli nostrorum temporum animadversam cum traderem, attuli apertissimum ex Livio exemplum; hic afferam eque apertum, sed tuo ingenio clausum, ex Cicerone Pro Plancio: 'Cui pro me senatus gratias agendas putavit, ego a me gratiam referendam non putem?'. Cuius rei forsitan

[Page 180]

hec causa est quod dicimus 'gratiam feci', non 'gratias'. O te scitum correctorem, o politum emendatorem, qui lotas alterius manus tuis illotis atque omni madentibus illuvie conaris abluere! Cuius ex illuvie et illud est, quod ais 'scriptis et operibus', quasi scriptis non complectantur opera, et prius 'ruditer', deinde 'inornate' et 've' pro 'que'. Taceo quod dissipate et eadem sepius loqueris, incipiens tunc cum desinis. Quibus verborum rerumque vitiis ubique scates et in isto ipso opere De felicitate, de quo aliquid nunc mihi dicendum est. Ais enim: 'Presertim cum te audiam maledictis et optrectationibus haud finem facere librumque meum De vite felicitate carpere atque contemnere» et iterum «Nunc tantum superest ut libri De vite felicitate quem vituperas defensionem subeam ... Reprehendis, ut audio, quod collocutores non fecerim sepius repugnantes et precipue quod Lamola facilis sit in assentiendo iis que Guarinus asserit.» Testor, tu cogis in aliud me venire certamen: nimia confidentia niteris, supra modum te iactas et ad predam tuorum gregum armatum hostem solicitas. Ego tuum opus vix sumpsi in manus cum illud communis amicus abs te legendum accepisset: in quod me nihil ante iniuriam acceptam dixisse, velis nolis, ipse testaris, qui in prima invectiva huius mee detractionis non habuisti mentionem. Ex quo manifestum est quicquid dixi id me iusto commotum dolore dixisse. Quanquam quantulum est quod in te reprehendi? Si libros tuos (quos tu 'librum' vocas) perlegeram, licet agnoscas modestiam meam qui ex plurimis, qualia in historia illa et invectiva notaveram, vitiis, ut mox ostendam, unum notavi ac vix notavi. Si non perlegeram, sed primas tantum paginas evolveram, non potui colligere vicia tua, non quot potuisse vulnera inflixi, idest non debes tu tantopere iniuriam expostulare, non debes propterea efferri insolentius. Nam, ut rem tibi aperiam, particulam tunc operis inspexi, non tuo sed alieno chirographo scriptam;

[Page 181]

postea vero, cum tibi rescripturus essem, ad ipsum archetypum ac chirographum tuum, non dolo malo, non fraude, non proditione, ut vos in me egisti, sed prudentia et vera virtute perveni, quomodo sagacissimus imperator latronum latebras et piratarum receptacula pervestigat. Teneo itaque te tua manu ut nulla tergiversatione, nullo mendacio queas effugere. Miraris quod fore non crederes tuam scripturam in meam venisse potestatem. Sic mirari predones solent cum suamet arte capiuntur: quod quanti momenti sit paulo post apertius senties. Quamobrem fallaci fatuaque fiducia mihi insultas inquiens: «Sed cur me inelegantie non carpsisti? Cur non false latinitatis ut ego te, fons elegantie et eloquentie flumen?» Quasi non te correxerim in invectiva atque historia, homo non modo immemor, sed etiam ingrate, licet omnis immemor ingratus: nisi referre gratiam voluisti et amice emendantem inimicissime carpere. Cur non te carpsi, inquis, false latinitatis? En te carpo: ubi enim 'falsam' legisti 'latinitatem'? ubi 'carpo' cum genitivo sicut 'accuso'? Cur non inelegantie? Ubi 'inelegantiam' legisti? quod sicut 'infacundia' et 'ineloquentia' videtur mihi in usu non esse. «An te pudor tenuit? At ille iam pridem in te extinctus est.» Quis pudor tenere me debuit? Num mecum propinquitate coniunctus? Num de me benemeritus? Num magne inter tuos opinionis et fame? Nihil minus. Restat pudor ille ne inimici operi detraherem. «An timor? At audacia perdita es.» Quis nam timor? Ne hoc quidem exprimis, eadem vesania, nisi vis ab omnibus intelligi fulgurans fulmen tonantis eloquentie tue mihi fuisse

extimescendum.

«An religio? At contra fidei nostre doctores invictus es.»

O fustuario digne, religione retentus sum ne libros tuos carperem?

Nunquid sacer tu sacratusque es ut in te formidemus dicere?

Nisi in Panormite sacrario, ubi frequens es, deo fuisti

[Page 182]

inflatus Phebo vel Baccho vel Venere. Et quoniam de religione agis eaque vis me retineri debuisse, vide quam retinear qui illa te male utentem reprehendo: ubi enim pro ‘religione nostra’ apud Paulum, apud evangelistas, denique apud Hieronymum invenisti ‘fides nostra’? cum, ut ille testatur, fides sine appositione dicatur pro religione christiana, ad Pammachium inquiens: ‘Nihil enim prodest absque operibus celibatus et nuptie, cum etiam fides que proprie Christianorum est si opera non habuerit mortua esse dicatur.’

«Nihil ergo aliud est quod destiteris nisi quia nihil eiusmodi quod reprehenderes repperisti.» ‘Quod destiteris’ possuisti pro eo quod est ‘cur prohibitus sis’, cum ‘desistere’ sit ab incepto desinere: atqui ego non inceperam tue lingue vitia carpere. Quod si intra tam paucos versus tam multa in te notavi peccata, quid in libris illis existimer fuisse facturus? Sed absit a moribus meis in quempiam, ut veteres aiunt, ‘caninam exercere eloquentiam’. Tu hanc modestiam, lenitatem, gravitatem meam interpretaris diffidentiam et ob id mihi sine ulla moderatione insultas. Et quomodo, post tot ac tanta convicia, possum non de opere tuo isto tam preclaro dicere recedereque paulum a natura mea et, quoniam in scenam intrare coactus sum, fabulam peragere? Dicam itaque primum de verbis tuis, secundo loco de rebus, ut tibi reddam talionem. Ubi, quod ad verba attinet, docebo non modo quemadmodum loquaris emendatius, verum etiam quemadmodum inemendate loquentem castiges et si tibi etiam cordi est carpas: breviter enim et modice facere debueras in me ut nunc ego in te, licet abs te provocatus impulsusque.

2.8.

VIII. «Multaque ab antiquis et contemporaneis nostris graviter et ornata scripta occurserent.» Apud quem ‘contemporaneos’ legeris doce. Veteres enim et qui romane scripserunt ‘equales’ huiusmodi appellant, poete ‘equevos’, precipue senes, nonnulli recentiorum ‘coevos’ et ‘coetaneos’.

[Page 183]

«In quem regem de vita beata libellus convenire potest magis quam in te.» ‘Convenire tibi’ dicimus, non ‘in te’, ut alio loco admonui.

«Et multa verba de mutua valitudine.» Quid sibi vult istud ‘mutua valitudo’? quod non modo exemplis, sed etiam ratione dicere prohibemur. Nam sicut recte loquimur ‘mutuus amor’, ‘mutua benivolentia’, ‘mutuum odium’, ita perperam ‘mutua sanitas’, ‘mutuum robur’, ‘mutuum ingenium, doctrina, opes, vires, valitudo’, quippe cum hec, ut illa, invicem non respondeant.

«Sed de omnibus unum atque idem tanquam de parricidis ac sacrilegis iudicium tulisti.» ‘Habere iudicium’ quis dicitur, non ‘ferre’, sed ‘sententiam’, sicut superius probavi.

«A quo nedum re sed etiam vita spoliatur.» Si diligentius Elegantias legisses meas, quanquam nunc ex historiis ut video multa didicisti, sic dixisses: ‘a quo vita spoliatur nedum re’; semper enim ‘nedum’ secundo verbo applicatur, ut in Elegantias latius.

«Prosperis illorum rebus colletantur, adversis vero contristantur et condolent.» Profer auctoris nomen qui te docuit isto modo loqui ‘colletantur, contristantur, condolent’, presertim cum hoc dativo seu ablativo; nam peritorum huiusmodi loquendi consuetudo: ‘ob prosperas illorum res ipsis gratulantur, ob adversas miserentur, et eorum vicem dolent.’

«Alter suorum manu, ut quidam putaverunt, enectus, mane

inventus est mortuus.» Quasi vero qui noctu occisus est possit mane vivus inveniri! Nescisti enim imitari quod voluisti, quale est Livii: ‘Ut et uno ictu transfixum per latus occiderit’, hoc est transfigendo occiderit; et Ciceronis: ‘Atque hunc ille summus vir scelere solutum periculo liberavit’, idest et scelere

[Page 184]

solvit et periculo liberavit, que duo diversa non sunt in tuis ‘enectus’ et ‘mortuus’. Ideoque Livius secus ac tu dixit: ‘Tandem qui obversati vestibulo tribuni fuerant nuntiant domi mortuum esse inventum.’ Sed hoc rei forsitan vitium est, illud verbi ‘enectus’, cum ‘necatus’ dicere debueris non modo quia ille quem significas ferro est interfectus et ‘necatus’ interdum sine ferro (ut apud Ciceronem ‘veneno necatus’ et Quintilianum ‘fame necatus’), sed quia semper apponitur ad ‘enectus’ genus pene, ut ‘gelu et illuvie in transitu Alpium enecti Carthaginenses’ et ‘enectus siti Tantalus’. ‘Manibus’ quoque, non ‘manu suorum’ dicere debebas.

«Cum multos videam viros summo loco natos militiam proficisci.» Ut ‘militie’ pro ‘in militia’ usitatum est (ut apud Livium: ‘hoc anno domi militieque gesta’), sic haud scio an ‘militiam’ pro ‘in militiam’ reppererim, ut apud Terentium: In militiam proficisci natum Cliniam compulit durus pater.

«Verum ut hanc partem breviter absolvamus haud longioribus immorabor.» ‘Longioribus’ ineptum est verbum quia nec ‘brevioribus’ dicimus, sed ‘paucis’ seu ‘paucioribus’: igitur ‘pluribus’ aut ‘multis’ aut certe ‘longius’ sive ‘diutius’ fuerat aptum verbum, sicut ‘brevius’.

«Est profecto difficile dissuadere hoc vulgo». Si Elegantias meas studiosius evolvisses (nam aliquid illinc vel per te vel per alios hausisti), scires non in eventu positum esse ‘dissuadere’ sicut nec ‘suadere’, ‘persuadere’ vero in eventu sive in effectu. Itaque non est difficile dissuadere quia nec suadere, sed persuadere quod dissuades vel suades, id est inducere eos quibuscum loqueris in tuam sententiam, ut aut non sentiant quod tu ais non sentiendum, aut sentiant quod ais sentiendum.

[Page 185]

«Sed num existimabis vel Scipionem vel Hanibalem vel Fabium fuisse contentos.» ‘Contentos’ pro ‘felices’ accipis preter eruditorum consuetudinem, qui sic loquantur ‘parvo natura contenta est’; preterea contra grammaticam locutus es cum singularis numeris hoc loco ob disiunctivam requiratur.

«Preterea nominis illa diffusio quam tu magnam atque optabilem rem iudicas». Impropium est nomen in hoc sensu ‘diffusio’, duntaxat in prosa.

«Tamen pervicacia quadam inducti opiniones obstinate defendant, quos etiam longe magis reprehendendos putarem quam eos qui scienter, docti tamen et erudit, contra veritatem pugnant ut adversariorum argumenta perspiciant.» ‘Scienter’ pro ‘scientes’ posuisti, cum ‘scientes’ sit idem quod ‘consulto’ vel ‘de industria’ vel ‘dedita opera’ vel ‘non nesciendo’, ‘scienter’ vero quod ‘docte’ et ‘perite artificioseque’, ut in Elegantiis. Etiam ‘pervicacia defendere’ et ‘obstinate’ idem est.

«Preterea perfici quod ceptum est hodie quam in crastinum extrahi preopto». ‘Extrahi’ est ‘extendi’, non autem ‘differri’; ideo melius paulo ante dixisti: «nisi forte in crastinum diem differri mavis».

«Eas dico que magis vel defense vel impugnate fuerint, quam brevius potero exponam.» ‘Quam brevius’ apud eruditos inauditum est, sed ‘quam brevissime’, et item in ceteris, de quo latissime in Elegantiis disserui; quos libros quodam die apud communem amicum offendi te legentem, quos si perlegisses ac sepius relegisses melius tecum actum esset: tam et si in iis que illinc, sive per te, ut superius dixi, sive per alium accepisti quam gratus sis ipse tibi es conscientius.

«Excellentem primo corporis figuram et staturam arrectam.»

[Page 186]

Salustius, qui nonnullis in vocibus quasi parum verecundis
a quibusdam reprehensus est, de animo nonnunquam
dixit ‘arrectus’, de corpore autem ut tu, quantum memini, nunquam,
nec ipse nec alius, nisi poeta. ‘Erectam’ igitur et honestius
et magis proprium fuerat.

«Num Brutum romane libertatis auctorem filios securi
percussos voluptatis gratia peremisse?» Idem quod superius
vitium, quoniam non sunt duo diversa securi ferire et perimere:
satis erat ac satius dicere ‘securi percussisse’.

«Cum quidem illa alterius et extrinsece rei causa expetatur.»
Et hoc in superioribus notavimus non nomen, sed adverbium
esse ‘extrinsecus’, ut ‘intrinsecus’, ut ‘altrinsecus’, ut
‘secus’, unde componitur.

«Sed cum commune quocque bonum et mediocre non
possit absque difficultate comparari.» ‘Communissimum quocque
bonum’ dicimus, non ‘commune’: tribuimus enim ‘quisque’,
‘queque’, ‘quocque’ superlativo, ‘omnis’ autem positivo,
ut in Elegantiis copiose disputavi.

«Arrigendos in celum oculos aut religionis gratia aut
rerum divinarum cognitione.» Non admoneo iterum fuisse vitandam
verbi obscenitatem, sed solecismum esse ‘cognitione’
pro ‘cognitionis’ vel ‘ob cognitionem’.

«Quantislicet animi et corporis et rerum externarum bonis
plena sit, non miserrimam iudicet.» ‘Quantislicet’ pro ‘quantiscunque’
quo auctore dixeris nescio.

«Equidem mihi intelligere videor nos ita natura comparatos
esse.» Nusquam legi natura comparatos homines esse,
sed genitos, sed creatos, sed generatos, sed factos; ‘comparatum’
autem natura dicimus, sicut ‘comparatum legibus’, ‘comparatum
moribus’, ut in Elegantiis.

[Page 187]

«Ubi plura bona insunt quam omnium mortalium lingue
effari possint.» Dicendum erat ‘quam ut ea’ vel ‘quam que
omnium mortalium lingue effari possint’, ut in Elegantiis.

«Quorum nunc planetas perhorrescimus quorum ve
ortus et occasus tanta cura et formidine observamus.» ‘Ve’ semper
pro ‘que’ accipis, quod pueris etiam plerisque qui grammaticam
docentur notum est idem esse quod ‘vel’.

«Quibus profecto quo ad splendorem illustrius, quo ad
ornatum et varietatem pulchrius.» Iterum reprehendi hoc vitium.
Tolerabilius seu melius si dixisses ‘quantum ad splendorem
attinet’.

«Eiusque immensam potestatem ac sapientiam spectent
atque perpendant.» More non sane facundorum scriptorum accipis
‘perpendunt’ pro ‘intelligunt’, cum ‘perpendere’ sit exacte
considerare, ut in Elegantiis.

«Ut cum illo beatorum cetu congaudere valeamus.» Tuo
vitio, quod in me vitium non est cum te tuis artibus refello,
sepius idem reprehendo. Nam ubi apud illos ad quorum tribunal
me citas ‘congaudere’ legisti? Atque hec hactenus. Non
enim quicquid ferarum in saltu isto est indagavimus, eas tantum
que in transitu investigantibus nostris canibus oblate sunt cepisse
contenti. Illumquoque leporem, quem in epistola ad Robertum
Strozziām scripta et in calce codicis ascripta velut in
extremo saltu cubantem nostri canes odorati sunt, capere libet.

«Et e contra que mala ad alias species devenire». Cicero
et eius similes ‘e contrario’ vel ‘contra’, non ‘e contra’, sicut nec
‘de longe’, nec ‘de prope’ dixerunt. Potest et illud sive inter
verborum vitia, sive inter rerum vitia addi.

[Page 188]

«Partes dialogi»: quasi aut sint aliqe partes ipsius dialogi,
ut Stoicorum, peripateticorum, epicureorum, sive nominatim
singularium personarum, ut tibi dedi partes Antiochi,
mihi sumpsi Archesile, aut partes omnes que in dialogo sunt
tribuantur uni, quod neque fieri potest neque tu sentis.

2.9.

IX. Venio nunc ad rerum vitia, nec tua subiiciam verba, nam totidem libris opus esset, sed eatenus de illius universitate pronuntiabo quatenus crimen quod mihi obiicis ut tui operis detractori dilui possit et quales isti libri (ob quos superbis ut Sybilla dignos) sint iudicari. Quereris quod audisti me in illis notare quod feceris collocutores non sepius repugnantes et precipue Lamolam nimis in assentiendo facilem; huic reprehensioni postquam satisfecisti (ut tibi persuades: quod an ita sit mox video), ad extreum in me omni verborum petulantia debaccharis, quasi non unam notam obiecerim, sed invectivas in te ac philippicas scripserim: quod meum crimen quale sit tuo unius probabo testimonio.

«Sed ero brevior quoniam tibi responsum satis esse potest ea epistola quam Roberto Strozzi viro claro scripsi». Verba autem epistole hec sunt: ‘Animadverti ex tuis litteris perbrevibus id quod per hosce dies ex te audivi, videri tibi Lamolam cui partes dialogi mei tribuo nimis facile concedentem omnia Guarino, quod et quidam alius quem honoris causa non nomino dixisse fertur: ait enim Lamolam victas ubique prebere manus, quasi nescientem obiecta confutare. Ab ista ratione, ut me tibi dixisse memini, pace tua loquar, longe Roberte dissentio.» En idem et mihi displicuit et illi, immo et illi et mihi, siquidem prior ipse videtur annotasse, cum in vestro colloquio non sit habita de me mentio, et eisdem quibus ego verbis notasse. Non ergo pro atroci iniuria existimandum si feci quod alias et doctus et gravis et amicus tuus fecit, ille prior, ego posterior, ille etiam apud te, ego apud eos tantum quos tibi

[Page 189]

renuntiatus non credidi, ille litteris, ego verbis, ille sepius, ego semel omnino, ille sua sponte, ego rogatu quorundam, ille accusator, ego iudex testis ve, ille satisficeri sibi postulans nec admittens satisfactionem tuam, ego sic locutus ut iure optimo queam negare si velim, ille absens, ego presens et quod omnium maximum est abs te iam plus quam gravissime ac inimicissime lacesitus, ut incredibilis quedam videri possit mea lentitudo, modestia, lenitas, mansuetudo, patientia quod me non aliter ultus sim. Et tu, vir ferox immanisque natura, tantulum ferre non potes, exestuas et in me ferro, igni, serpentibus armatus irruis, a te quoque ipso dissentiens cum inquis: «Hec sunt, bone Laurenti, quibus motus sum, ne frequentiores contradictiones in libello meo induxerim; sed eum tibi improbari facile fero, modo illum probari sciam et theologis et oratoribus omnibus quibus illum antequam ediderim ostendi.» Cur non probatur hoc ipso in loco Strozzi tuo? Certe virum clarum appellasti. Cave ab oratoribus eum theologisque seiungas, quem nequaquam reor ipse seiungendum: nam ceteros qui iudicare possunt atque adeo omnes qui inspexerunt opus illud scio contemnere. Quod cum ita sit, quid inani gaudio mihi gloriaris, infelix? Quid te falsis, ut inquit Virgilii, ludis imaginibus? A qua insanis, quantum in me erit, te revocabo nec perire sinam nec Hippocratis aut elleborum aut vincula denegabo. Existimas et Roberto et mihi et ceteris, siqui te alii istius erroris monuerunt, satisfecisse, similis ebrio se ebrium perneganti cum, ne multa repetam, inquis: «Itaque cum scirem Lamolam natura facilem et non pertinacem esse, volui hominem secundum naturam et consuetudinem eius disputantem facere, ne contra decorum viderer agere. Si vero te disputantem induxissem, quem scio contentiosum, repugnantem, pertinacem, ab opinione tua nunquam recendentem, putassem equidem me contra decorum facere» et reliqua. O caput fanaticum ac vesanum, ut iam de opere tuo pronuntiem intelligasque qualis fuerit hactenus in me moderatio: quid magis decoro contrarium

[Page 190]

quam eam personam facere disputantem que disputare aut nesciat aut nolit, tradere arma vel ad veram vel ad umbratilem

pugnam ei qui ad primum statim congressum terga vertat, tela
ponat et se antequam victus sit victum esse fateatur? Nescis
que sit natura disputationis? Eadem profecto que pugne: aut
non descendendum in certamen aut acriter decertandum. Tu
cum veritatem, cum summum bonum, cum felicitatem investigare
te predices et aliis velle ostendere, non ipsius nature rationibus,
sed confessione disputantis ex adverso probabis? Est
facilis nimium ad concedendum Lamola? Fecisses alium minus
facilem! Neque enim historiam, sed dialogum scribis, ubi
pro nostro arbitratu sermonem cui volumus attribuimus, ubi
non orationem persone, sed personam orationi accommodamus,
ubi nihil admodum refert quis, sed quid loquatur. Nam personam
fere aut auctoritatis gratia aut venustatis asciscimus.

An ita te Marcus Tullius cum aliis multis in locis, tum
vero in Catone maiore facere docuit? cum inquit: 'Omnem autem
sermonem tribuimus non Tytonio cuidam, ne parum auctoritatis
esset in fabula, sed M. Catoni seni', quia nulla videbatur
aptior persona que de etate illa dissereret quam eius qui
et diutissime senex fuisset et in ea etate pre ceteris floruisse.

Tu attribuis primam que asperrima solet esse pugnam
homini, si tibi credimus, imbelli, pavido et ut semel dicam prevaricatori
('prevaricator' enim est, ut Ulpianus diffinit, qui causam
adversario suo donat, ex parte actoris in partem rei concedens).
Quanquam, pervicacissime fatuorum, non est
quod mollitiem segnitiemque disputantis excuses et in alterum
crimen refundas amicumque vituperes. Novi hominem et constantem
et retinentem sue dignitatis atque virilem in disputando,
qui tibi forsitan iccirco lenior videtur quia ipse furiosus
es. Quid dixi 'videtur'? immo istud ad tempus finxisti,
istud stultitiae tue velamentum pretendis: nam non Lamole
sermonem, sed tibi attribueras, homini ut stultissimo sic pertinacissimo,

[Page 191]

ut ex libro qui penes me est manu tua scripto docetur,
ubi tuo nomini cancellato illius induxisti. Quid habes
nunc, fatuissime, quod contra hiscas? Dic nunc te deservire
voluisse persone: teneris nunc, teneris non modo pro inepto,
verum etiam pro mendaci atque periuro. Quantopere nunc torqueris
et rumperis, fur alienorum librorum, quod libros contra
te tuos exhibeo, quod tua te manu convinco, iugulo, strangulo
et furem ad se suo laqueo suspendendum adigo! Sed, o
incredibilem inauditamque dementiam, non tam mollities ac
stultitia singularis est in defendendo proposito quam in proponendo.
Quis enim, ne omnia persequar, quamlibet pertinax
et te, si fieri potest, pertinacior ea defenderet que facis illum
proponentem? An si quis dicat hominis felicitatem ac beatitudinem
esse agricolationi operam dare aut militie, aut principum
sequi aulas, aut consequi sacerdotium (hec namque et huiusmodi
subinde pro beatitudine proponuntur), diu perstare in sententia
velit? Que etiam confutare conari ineptum sit, nedum
confutanda proponere: prorsus ut si sibi quis prevaricatorem
aliquem apponat quo melior ipse patronus existimetur. At
enim discipulus Guarini Lamola fuit. Sileo quam decorum sit
in dialogo plurium discipulum et hunc assidue cum preceptore
contendere. Ideo ne pueriliter interrogantem et plus quam pueriliter
induxisti? Egregia profecto ratio et per lovem lapideum
egregia! Putas me iocari? Opto sit ille propitius fatuis et laurum
insolito feriat fulmine nisi serio loquor. Tibi enim, omnibus
pueris stultiori, sermonem illum stultissimum attribueras, ut
fatue pugnam et inires et relinqueres. Hactenus de una
persona, de qua quid sentirem aperte pronuntiare me coegisti.
Quid de duabus aliis, Guarini et Antonii Panormite? Nempe
tui es similis: de quibus, ut cumulatius nostrum sit in te beneficium,
etiam pronuntiabo cum duos verborum errores in superioribus
tuis dictis notavero. Unum, 'quibus illum antequam
ediderim ostendi', cum dicere deberes 'antequam ederem'
vel 'antequam edidi'. Videris enim nondum edidisse: quale est

[Page 192]

antequam peccaverim vis me accusari' et 'antequam ediderim
libros nolo transcribi'. Alterum, 'volui hominem secundum

naturam et consuetudinem eius disputantem facere': pro 'suam' dixisti 'eius'. In personis tum communiter, tum separatim peccatum est. Communiter quidem, quod hi duo nunquam in mutuum venere conspectum, quod hoc tempore quo sermo fingitur collocutores, sicut iam plurimis annis, in diversissimis provinciis agunt, quod inter se non amant et tacitas simultates gerunt, cum Guarinus se spoliatum ab Antonio libris, hic se ab illo spoliatum fama, et si semper fuit infamis, existimat. Separatim vero, quod Guarinus grecarum litterarum longe peritissimus, tamen sic inducitur ut nullum grece doctrine det specimen nullamque significationem, nullius auctorum grecorum meminerit, nihil nisi ex latinis gestis librisque repeatat. At nescire te nisi latina inquies. Non introduxisses grecum hominem: ex quo non modo decorum non servatur, sed etiam tanto viro fit iniuria, qui preter dignitatem suam locutus inducitur. O ubique fatuum caput ac vesanum, quem suis libris honestare conatur, eum summopere dehonestat, quanquam cui honesto viro dignitatem addere tua possit oratio? Sed huic delicto veniam do, nisi quod sequitur centuplo est gravius. Tu ne Guarinus, ea litteratura, ea estate, iis moribus, ea auctoritate, cum Panormita coniungis? a quo ille se et esse vult et videri seiunctum. Gratulor, hoc nomine, etiam atque etiam tibi Guarine quod ut Homerus et Virgilius, Demosthenes ac Cicero, Scipio et Lelius ceteraque huiusmodi paria vel nominantur vel pinguntur, sic tu cum Antonio Panormita in Fatui velut tabula pictus aspiceris et ad posteritatis memoriam reservaris. Rettulit tibi gratiam discipulus tuus quod illum instituisti gratis: fecit quod paucorum est hominum, post annos quinque et viginti

[Page 193]

quam debere cepit cum fide satisfecit rem et tibi et sibi decoram. Siquidem cum Panormitam tuo consortio studet ornare, te quantum in ipso fuit illius consortio vehementissime deornavit: verum et tua virtus et illius nequitia et huius stultitia maior est quam ut dissimulari possit. Etenim, ut iam de Panormita agam, quid minus consentaneum quam huic homini, cunctorum scelerum exemplo omniumque qui fuerunt, qui sunt, qui erunt deterrimo atque teterrimo, dare sermonem de virtute, de felicitate, de summo bono, de beatitudine, de paradiiso? ut mihi materia ipsa ob istius personam sordescere ac male olere videatur. Quis enim peius de religione christiana sentit? quis peius de moribus, de utroque sexu, de seculi nostri pudore meruit quam Antonius Panormita? Usqueadeo si vera, quod fieri non potest, fuisset oratio, tamen alteri tum vita tum fama integra potius attribui debuit, Lacedemoniorum exemplo qui cum ab improbo quodam ac minus strenuo dicta esset egregia in senatu sententia, ne talem virum secuti viderentur, iusserunt alium infacundum quidem sed fortem ac strenuum eandem sententiam dicere ut preclaris consilii preciarum sequerentur auctorem. Illi malo viro bonam orationem detrahendam que eius esset, tu induendam que sua non esset putasti. Tam et si quid simile inter illam et hanc materiam? aut quid in illo improbo lacedemonio fuit horum flagitorum, probrorum, dedecorum que in isto sunt? Nunquid domi sue exoletorum lustra, ut leno vel mango, publice habuit? Num conventicula aleatorum? Num contra feminas pro pusionibus scripsit? Num pro externa contra paternam religionem vulgo disseruit? Num unam uxorem peremit, alteram quia filium matri preponebat amisit, tertiam deformissime emit? Num de impudicitia sua nefandissima sic compositi carmina, quod opus hic Hermaphroditum inscripsit, ut M. Antonius de sua temulentia? Num tantum

[Page 194]

sceleratus hic Antonius, omnium Antoniorum sentina, in quo barbaricam plane africanamque libidinem agnoscas, et non etiam ignominia notatus? At quanta ignominia? Certe bis in celeberrimis Italie locis, primum Bononie, et tamen se ex Bononia

[Page 195]

vocat, iterum Mediolani, omni populorum frequentia inspectante, per imaginem chartaceam crematus est, tertio per se ipsum cremandus, ut spero. I nunc, Fatue, et dic te rationem decori habuisse et inservire voluisse persone: ego vero, si qua mihi fides est, haud facile dixerim quid scribere potueris magis non modo indecorum, sed omnino nefarium. Atque hec de personis. Quid porro ipsa tractatio que coniuncta cum eisdem personis est? Nimirum vel ex hoc satis signi erit quod hi duo non tanquam disputantes et suam uterque causam defendantes inducuntur, sed tanquam eiusdem cause patroni, ut alter alteri succedat et succedat non quasi defatigato priori, non quasi ipse astipulator, non quasi duo rerum capita habente materia, suum quisque pertractet, sed quam orationem alter instituit alter exequatur, uterque stultissime, prior quod sine causa imperfectam relinquit disputationem, posterior quod argumenta que alter pro se paraverat illi ipsi priori inculcat, veluti incognita referens que non nescit eidem esse notissima. Sed quid

[Page 196]

faciat qui collocutores inducit, nisi loquendi vices serventur? Omnino circumspecta cogitatio, ut scias idem in ceteris personis quod in Lamola fuisse consilium, attribuere singulis indecoram orationem, dum opus queat appellari 'dialogus' capteturque ab auctore favor hominum quos facit disputantes. Quanto satius erit, si disputationem eruditorum fingere nesciebas, persona tua loqui! Non gravium doctorumque hominum, sed unius puelle et duarum anicularum mihi videris fecisse colloquium. Ex hoc qualis stilus sit (de eo namque ad extremum dicere habeo) satis colligi potest; de quo, velut in medio omnium qui usquam sunt doctorum eloquentiumque conspectu positus, testificor (haud veritus insolentie crimen si Iuliani Sedici verbis dixero: 'siquis contra sentiat nihil sentiat'): eius stilus eiusmodi est ut siquos audias disputantes, non rationibus, ut moris est, sed longe accersitis auctoritatibus, non argumentis, sed nugatoriis testimoniiis, non epicherematis, sed exemplis, iisque nulla diligentia, sed ut quocque venit ad manum, nulla inventione, nulla dispositione, nullis figuris, nullo ornatu, nulla gravitate, nulla denique ingenii commendatione, ut quivis intelligat ac iudicet nullum nec nature nec artis auctorem prebere specimen meliusque se de eadem re quam hic fecit disputare posse. In quibus libris nec oratores nec philosophi nec theologi aliquid recognoscunt quod plane censeri queat oratorie, philosiphice, theologice dictum et de quo scribere quam disputare potius

[Page 197]

oportuerit, nec libros esse, sed ineruditum inconsultumque plusculorum ex quotidianis scriptoribus locorum acervum atque congestum. Habes meum, Fatue, de tuo opere iudicium: ex quo licet intelligas quanta fuerit tum in me moderatio, ne de tuis libris omnia promerem que sentirem, tum in te improbitas quod insultasti modestie mee.

2.10.

X. Iam tempus est ut ad institutam sententiarum disputationem transeamus. Ceterum nequaquam ab ratione fuerit abhrorens paulisper eam differre, tum ut ei suum librum dedicemus et iterum suum questioni de moribus, tum ut, delibatis illinc verborum vitiis que in meis vel sententiis vel moribus reprehendendis adversarius admisit, hunc librum germana ac propria materia expleamus. Hoc enim pacto, nec ulla de verbis controversia, ubi de rebus agitur, intercedet, et suo tractata loco et lucidius et iocundius cognoscetur; in qua nostro instituto utemur ut adversarium non recte loquentem et breviter et molliter reprehendamus.

«Non ad antarcticum polum aut ad orientem, sed ad arcticum, qui polus certissimus est, se convertunt.» Poli duo sunt omnino, nec plures esse queunt, sicut nec centrum nisi unum in singulis globis quas Greci ‘spheras’ vocant: ex quo ‘certior’, non ‘certissimus’ polus grammaticus sermo est.

«Neque hecquoque exornatio.» ‘Neque’ et ‘quoque’ tam vicina nolunt esse.

«An vidisti uspiam Livium cum de consulibus romanis in expeditionem euntibus scribit, de signis que ferebant mentionem facere?» ‘Vidisti’ pro ‘legisti’ accipis: quemadmodum ergo ‘legisti facere mentionem’ pro ‘facientem mentionem’ dictu absurdum est, ita ‘vidisti facere’. Preterea satius erat omittere ‘romanis’, cum consules non nisi romani fuerint. Ut preteream non solos consules insignia huiusmodi tulisse, nec solum in expeditionem euntes.

[Page 198]

«Quoniam eam rem dignitati populo romano sciebat esse.» ‘Honori’ res sunt, non ‘dignitati’, et honor alicui habetur, non dignitas: hic enim extrinsecus venit, illa vero intra nos ipsos est, vel in nobis appareat.

«Hec porro sententia»: tua sic incipit qualiter nulla incepit oratio ut ‘porro’ sedem in huiusmodi principiis haberet.

«Opibus ac potentia, illam ad postremum diffinis.» Pro ‘definis’ ais ‘diffinis’: est enim ‘definio’ idem quod ‘termino’, quod ‘metior’, ut ‘termino summum bonum virtute’, ‘metior felicitatem voluptate’, ‘tu definis omnia pecunia’.

«A quibus credo id sumpseris.» Sepius admonui te abuti subiunctivo pro indicativo.

«Hic plane apertissime indicas admirabilem prudentiam tuam, vulgaria inducens exempla.» ‘Plane’ et ‘aperte’ in idem significacionis incident, igitur alterum redundat. ‘Vulgaria’ quoque pro ‘illiterata’ accipis, nulla fretus auctoritate.

«Vix ulla extat memoria litterarum monumentis prodita.» Quia legis ‘memoriam litterarum’ itemque ‘prodi monumentis’, libuit tibi, elegantie assectatori, imitari utrumque, non pervidenti ‘memoriam’ et ‘monumenta’ idem esse ideoque non prodi memoriam monumentis.

«Abessentque a suis viginti milibus passuum, ab hostibus vero non plus quadringentos passus.» Cur alterum numerum per ablativum, alterum per accusativum protulisti?

«Ac preterea preter historie dignitatem in qua huiuscemodi frivolarum quarunque rerum.» Ubi coniunctum reperis ac cum preterea? In ‘frivolarum’, vero, quarunque rerum’ bis peccasti, semel quod ‘quisque’ superlativo iungi debet, non positivo, iterum quod in genitivo plurali nunquam cum adiectivo, ut in Elegantiis.

[Page 199]

«Regem summa notare levitate.» Notatur quis infamia, non autem levitate: ‘infamia’ enim pena est, ‘levitas’ autem culpa; quod si ‘notare’ pro ‘accusare’ accipis, genitivo debueras uti.

«Miseros captivos sue gentis cultu corporis preditos.» Non dicimus quempiam cultu corporis, sed forma, sed bonis fortune, sed bonis animi preditione interdum et malis, ut calamitate

preditus.

«Cur captivi pudore affici deberent.» Ubi repperisti
quempiam affici pudore? Est autem pudor ex nobis, dedecus
vero ex aliis, ideoque dedecore quis afficitur supplicioque, non
pudore aut verecundia.

«Et fabulam pro vera accuratissime scribis.» Quid sibi
vult ‘pro vera’? Nempe ‘pro vera fabula’, quasi fabula ulla vera
sit, nisi quando pro narratione accipitur, potestque tunc addi
vel falsa, vel ficta, vel vera. Dicendum ergo fuit ‘pro historia’
sive ‘pro re vera’.

«Ut cum expugnatam patriam videret, tamen ab opere
non discessit donec texendo perseverans occisus est.» Meum
‘texere perseveravit’ politius eloqui voluisti ‘texendo perseverans’,
quasi participium hoc iungatur cum gerundio instar participii
optinenti, quod non secus est quam si sic dicatur ‘perseverans
texens’. ‘Ut’ quoque non indicativum sed subiunctivum
desiderat.

«Sunt qui dicant regem nulla arte nullo ve consilio e
regina liberos gignere potuisse.» Virum ex muliere gignere liberos
dici eleganter, proferto priscorum aliquem auctorum!

«Hoc vel meretrix impudica abhorret.» Accusativum
resputit hoc verbum quem tu ei dedisti, amat enim ablativum
cum prepositione, ut Cicero in principio Paradoxorum: ‘Animadvertis,
Brute, sepe Catonem avunculum tuum cum in senatu

[Page 200]

sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare abhorrentes
ab hoc usu forensi et publico.’ Illud quoque inconveniens
est epitheton ‘impudica’: ex hoc quod meretrix appellatur satis
significatur impudica, ne alioquin videatur sentire aliquam pudicam
esse meretricem, quasi hoc sit cuiusmodi venenum quod
et malum vocatur et bonum, dolus quoque malus et bonus.

«De loco ubi divertebat.» Existimasti ne eandem habere
rationem ‘diverto’ et ‘divorsor’? Ita puto et eapropter errasti.
Nam ‘divorsor’ tale est quale ‘conversor’ et ‘diverto’ quale ‘converto’:
‘divorsor illic’ ut ‘conversor illic’, ‘diverto illuc’ ut ‘converto
me illuc’.

«Qui satis essent, quando nusquam alibi peccasses, ad te
perpetuo vituperandum.» ‘Quando’ pro ‘quoniam’ frequentissime
inveni, pro ‘si’ nunquam.

«Non auderes in hominum doctorum oculos venire.» Ubi
legisti ‘venire in oculos’ pro eo quod est ‘venire in conspectum’?
Eodem dicitur modo ‘venire in oculos’ quo ‘ire’, atqui ‘ire in
oculos’ est ‘contra ire et invadere in oculos’, ut apud Quintilianum:
‘ire in istos oculos, in ista ora debebant’.

«An adhuc se scurram gerat necne. Ut omittam verbum
illud ‘scurrando’.» Sunt qui nudiustertius me certiore fecerint
te legisse Elegantiias meas, ex quibus discere debuisti non
coniungi ‘an’ et ‘necne’. Cicero De officiis: ‘Demus necne in
nostra potestate est.’ Cesar: ‘Utrum prelum committi ex usu
esset necne’.

«Siquis rem huiuscemodi in conventu aliquo pro vera
recitaret.» Recitaret pro ‘narraret’ accipis, quod secus usus
habet: est enim ‘recitare’ proprie ex scriptis ad verbum apud
alios pronuntiare, sive legere ut audientes percipient, interdum,

[Page 201]

quod instar lectionis est, apud eosdem pronuntiare memoriter
que aliquando legisti vel lecta audisti, ut nihil ex tuo adiicias.
De hoc, ut reor, in Elegantiis.

«Quid oportebat dicere de Francisci vestitu et barba?
quid de rerum humanarum derelictione? quid de eiusdem hominis
aptitudine ad res principum administrandas? quid illam
sententiam interiectam? ... quid aliorum quos enumeras (sunt
enim decem, si recte memini)... commemoratio?» Pro
meo ‘renuntiasset rebus humanis’, genus sermonis apud multos
auctores usitatum, substituisti tuum vel ut elegantius ‘rerum
humanarum derelictione’, ignarus aliud esse ‘relinquere’, aliud
‘derelinquere’, illud generale, hoc speciale; derelinquimus enim
que in periculo relinquimus, at cum opibus aut magistratui renuntiamus
non derelinquimus ea, sed relinquimus. Neque me

preterit apud nonnullos legi 'deum derelictum', sed non quos tu me sequi iubes et habere auctores; apud hos namque neque 'derelinquere' in istum sensum repperisse me memini, nec 'aptitudinem', sed 'dexteritatem'. Quid loquar de dupli solecismo? Nam unde 'interiectam sententiam' regitur? unde nominativus ille 'quid aliorum commemoratio'? ut existimari possit tertius solecismus ista vacillatio ut ibi per accusativum, hic per nominativum interrogaveris, cum alioquin neuter casus unde pendeat habet.

«Magnum cum ceteris in partibus, tum maxime hoc loco prudentie et dicendi artis documentum edidisti.» Quis unquam isto modo locutus est et non sic potius 'cum ceteris in partibus, tum maxime in hac documentum dedisti'? Non enim 'documentum', quod est probatio presenti temporis serviens, 'edi' dicitur, ut 'exemplum', quod ad memoriam debet, ut apud

Terentium :
que in te exempla edent.

[Page 202]

«Quos credo imitatus sis.» 'Imitatus es' latinus erat, ut superius sepe notavimus.

«Cuius tante opes et dignitas fuerant.» Elegantius in numero singulari fuerat, ut verbum respondeat ultimo supposito quod est 'dignitas' .

«Usque ad femora succinctam.» Meum 'divaricatum' mutasti in 'succinctam', quod diverse significationis est, ut apud Virgilium Venus:

Succinctam pharetra et maculose tegmine lyncis,
idest supercinctam, non ut tu accipis et ego exprimo divaricatum,
ut de eadem dea inquit idem auctor 'nuda genu'.

«Brevissimis verbis preteriri decet.» Quod preterimus de eo verba non facimus; verba quoque brevissima vocantur non que pauca, sed que paucis ex litteris vel syllabis constant.

Dicendum igitur 'paucissimis verbis perstringi decet'.

"Credo id dicere volueris.» Nimis crebro in hoc vitium incidis pro indicativo ponens subiunctivum.

«Regnum antea sibi ignotum et inaccessum.» Inaccessus locus non ad quem non accessimus est, ut tu accipis, sed ad quem non possumus accedere, idest inaccessibilis, ut Virgilius:
Dives inaccessos ubi solis filia lucos assiduo resonat cantu.

Preterea prius ponendum erat 'inacessum', ut tu vis ad quod non accesserat regnum, quam 'ignotum', quoniam locus ad quem accessimus notus est nobis et qui ignotus is nec aditus.

"Credo nunquam preceptum ullum de iis que ad brevitatem narrationis pertinent videris.» Idem vitium quod crebro notavi, subiunctivo pro indicativo positio.

«Utrum condito testamento an secus.» Non est eruditorum

[Page 203]

iste sermo, sed hic: 'recte an secus', 'bene an secus'; non autem 'ibis hac via, an secus', 'dormies an secus', sed 'an non', ita: 'condito testamento an non'. Etenim 'secus' idem est quod 'aliter': atqui propria locutio est et usitata 'recte fecit an aliter', idest 'an male'; 'condidisti, vero, testamentum an aliter' sive 'an secus' ideo impro prius et inemendatus est sermo quod hoc adverbium non habet alterum cui opponatur, sed verbum, cui opponitur negatio sic: 'an non', ut subaudiatur 'an non condidisti.'

«Nam si Cicero reprehendit qui dixit aut dicat.» Solecismum admisisti diversos verborum modos coniungens, cum fuerit eodem utendum, aut sic 'qui dixit aut dicit', aut sic 'qui dixerit aut dicat'.

«Igitur omnes reges a vectigalibus immunes ac liberi esse debent.» 'Liberi vectigalibus' dicimus, non 'a vectigalibus', non enim amat prepositionem hoc nomen; 'immunis' quoque genitivo gaudet, non ablative cum prepositione.

«Si equum est ut iusta regi solvantur.» Ridiculus sermo 'si equum est solvere quod equum est, si iustum est solvere quod iustum est.' Preterea iusta alicui solvere est honorem exequiarum defuncto prestare, ut plurimis doceri potest exemplis.

«Tu doctissimum hominem de seriis ac maximis rebus legentem interrumpes.» 'Legentem' eodem modo dici posse existimas quo disserentem de maximis rebus.
«Ausus es profiteri apud regem et apud quem regem? regem, inquam, summe sapientie summique iudicii, te emendaturum omnes depravationes que in operibus Livii librariorum vitio ceciderunt.» Ubi repperisti post interrogationem subiici 'inquam', ut solet 'nempe', 'prefecto', 'certe' et que sunt id genus, ut in Elegantiis tradidi? 'Inquam' vero eum usum habet

[Page 204]

cuiusmodi est apud Ciceronem: 'Cives, cives, inquam. Tu, tu, inquam'. Ad hec, sicut alibi 'librum' pro 'libris', ita hic 'opera' pro 'opus' appellas: unum enim Livii opus extat idque dimidiatum atque truncatum. Etiam 'cadere in operibus' quam congruum sit grammatici cognoscent. 'Vitio' quoque pro 'culpa' improprium est: siquidem 'vitium libri', 'vitium hominis' appellamus, cum liber vel homo vitatus est; nunc librarius mendose scribendo in culpam incidit, non in vitium, nec se vitiavit sed librum.

«Si liceret corrigi proprio arbitratu atque iudicio, quod abs te fieri intelligo.» Huiusquoque rei quem magistrum habes ut pro 'accipio' sive 'audio' utaris 'intelligo'? ut vulgo inerudit loquuntur: 'intelligo regem discessurum', 'intelligo te cepisse uxorem'.

«Qui id facere desinunt.» Pro 'non audent' sive 'non temptant' ais 'desinunt', cum desinere sit eorum qui inceperunt: tu vero de iis loqueris de quibus modo dixeras 'corriger non audent'.

«Qua ratione textus corrigendi sint.» Ubi Cicero et ii quos mihi censes imitandos dixere 'textus'?

«Paucis quibusdam permutatis: permutatis ne dicam an perversis?» 'Permutatis' ais pro 'mutatis': qui aliena sua facit, mutat, non permutat. Lege titulum de rerum permutatione et scies quid sit permutatio.

«Tu enim, cum arator magis quam orator sis, logicam identidem ut vitem repastinari putasti.» Si ego arator vos oratores;

[Page 205]

vos oratores ego arator interrogo nunquid oratoris sit an aratoris pro 'itidem', quod significat similiter, sive pro 'ita', ponere 'identidem', cuius significatio est 'frequenter eodem modo.'

«Cum sint qui intelligent quam minimum litterarum teneas.» 'Quam' pro 'quantum' nunquam applicatur superlativo, nisi cum uno verbo 'possum' sive 'queo' sive 'valeo', ut in Elegantiis: tu nunc pro 'quantum' accipis.

«Ita fit ut inter grecos latinus sis, inter latinos grecos, inter utrosque neuter.» 'Neutrum', non 'neuter' dicendum fuit, quod videlicet illud ad numerum rerum, hoc ad numerum hominum refertur. Plautus in Amphitrione,
Servus es an liber? Utrum animo quod libitum est meo, non dixit 'uter'. Cui simile est illud Petronii Arbitri: 'Ebrii estis an fugitiivi an utrunque?' Plinius ad Hadrianum: 'Stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, iam neutrum.' Pulex Vicentinus in argutissimo carmen quod solum ipsius inveni:

Cum mea me genitrix grava gestaret in alvo quid pareret fertur consuluisse deos.

Mas est, Phebus ait, Mars femina lunoque neutrum:

cumque forem natus hermaphroditus eram.

Querenti fatum, luno hic, ait, occidet armis, Mars cruce, Phebus aquis; sors sua queque tulit.

[Page 206]

Arbor obumbrat aquas, concendo, decidit ensis quem tuleram, casu, labor et ipse super; pes hesit ramis, caput incidit amne tulique femina, mas, neutrum flumina, tela, crucem.

De vero autem hermaphrodito inquit Ovidius:
Nec duo sunt sed forma duplex, nec femina dici
nec puer ut possit, neutrumque et utrumque videtur.
Sunt alia quoque infinita exempla. Cur tamen, inquies,
Cicero ait: 'Sed tamen nostra legens non multum a peripateticis
dissidentia, quoniam utrique socratici et platonici esse volumus,
de rebus ipsis utere tuo iudicio.'? Cur, inquam, non ait 'volumus
esse utrumque socratici et platonici', sed 'utrique'? Quia
'utrique' preponitur verbo, non apponitur referturque non ad
unum Ciceronem, sed ad stoicos peripateticosque sic: 'quoniam
utrique, hoc est et nos stoici, quorum precepta nunc trado, et
peripatetici, cuius secte preceptorem Cratippum tu fili audis,
volumus esse socratici et platonici, idest ab eodem fonte volumus
videri profecti, quia que Socrates loquendo (nam litteram

[Page 207]

nullam scripsit) hec Plato scribendo sub illius tamen persona
tradidit'. Siqua autem sit inter eos qui Socraticos et eos qui
platonicos se appellant differentia supersedeo exequi. Et hoc
adversus elegantiam peccatum, quod sequitur adversus
grammaticam.

«Peream nisi malim penitus ignorare litteras grecas quam
illarum tam parvam quam te scientiam attigisse.» Pro nominativo
posuisti accusativum, quod ita esse inspicienda constructione
probabitur sic: 'peream nisi malim penitus ignorare litteras
grecas quam attigisse tam parvam illarum scientiam quam te.'

Vides ut dicendum erat 'quam tu', idest 'attigisti'? Nunc iste
accusativus unde regatur non habet.

«Si ab iis quos vituperas, at tibi turpe est eos contemnere
a quibus didiceris.» 'At' ociosum est atque ineleganter positum.

«Que summo usui sunt non solum mediocribus, sed
etiam doctis hominibus.» 'Mediocres' pro 'mediocriter doctos'
accipis, quod inauditum est, sed esto; quomodo autem hos,
tanquam docti non sint, infra doctos statuis?

«Nomen mehercle operi conveniens.» Cave ne te scytham
suspicemur, qui per Herculem deieras, et hinc esse cur
me vocabulis christiane religionis utentem asperneris.

«Ut grecorum veterum more, de quacunque materia et
scientia te in publico disputare velle alias proposueris.» 'Alias'
pro 'quodam die' quam sit elegans tu videris, et quam compositum
ubi nuncupaveris 'materiam' 'scientiam' subdidisse, quasi
latrior sit scientia quam materia et non omnis scientia sub materia
contenta.

«Inter Grecos latinissas.» Greca nomina recipiunt hanc
terminationem, ut a 'patre', ??? ???????, 'patrisso', ????????.

Plautus:

Atque adeo hoc argumentum grecissat, tamen
Non atticissat, verum siciliassat

[Page 208]

et alibi:

Cyathisso apud vos, quando poto.

«In ede sacra libellum grece scriptum legis spectante
populo, ut vulgo grece doctus esse videaris.» Non dicitur 'in
ede sacra', quia omnis edes sacra est, sed 'in ede certi dei', ut
'in ede Iovis Statoris'; igitur 'in edibus sacris', quia non omnes
edes sacre, ut in Elegantiis. Preterea nec proprie 'doctus grece',
et si proprie 'liber scriptus grece'.

«De quibus tradidit scivisse dicitur.» 'Quas tradidit'
melius dixisses et 'scisse' quam 'scivisse', Quintiliano tradente.

«Nisi... Antonius ... eius intercursu ex illorum manibus
eripuisset. Augustinum ... carpis, nec verbis modo sed
etiam scriptis erratum a se dictitans.» Illic debueras dicere 'suo
intercursu', non 'eius', et hic 'ab eo', non 'a se'.

«Cum te ut de ... male sentiente existimant.» 'Te existimo
ut de malo viro' nunquam audivi.

«Cuius consuetudinem vides omnes viri boni aspernantur
atque ut vesanum effugiunt.» Melius erat 'fugint', nam
'effugere' est ab eo vel homine vel loco fugere elabique ubi
eramus inviti.

«Hec ego ... scribere statui.» Si accipis 'statui' pro 'constituui'

et ‘animo proposui’, nondum scripsisti, quod falsum est;
si pro ‘iudicavi’, ‘scribenda statui’ dicendum fuit, ut ‘putavi
veniendum’ idest ‘veni’, de quo in Elegantiis.
«Ut siquam mihi detrahendo voluptatem ebibisti, hanc
totam, male de te legendo, evomas.» Quam facile bene
dicta non bene docti depravant, cum imitantur! Salustius in
Ciceronem, ut tu nunc in me maligne atque invide invectus,

[Page 209]

inquit: ‘Ut siquam maledicendo voluptatem cepisti, eam male
audiendo amittas.’ Est enim ‘maledicere’ mala de altero dicere,
‘male, vero, audire’ mala de se audire, ut in Elegantiis; at ‘male
legere’ non est mala vel de altero vel de se legere, sed indocte
legere.

Hec sunt que velut instrumenta ac testimonia in iudicio
recitata probant utra pars inquinata loquatur ac minus latine.
Nunc ad confutationem rerum in quibus arguor peccasse
transeamus.

[Page 211]

3. LIBER TERTIUS

3.1.

I.

«*Europam tertiam partem orbis terrarum esse fere traditum est;*

et reliqua que scribere longum est.» Quid ceteris in locis facere putandus es, qui ipsum statim operis mei principium depravas gratiamque corrumpis compositionis? Nam sic scripseram:

‘*Europam tertiam orbis terrarum esse partem fere traditum est*’,

secutus Quintiliani preceptum qui hoc docet, Ciceronis exemplo dicentis: ‘Animadvertis, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes’, quia ‘in duas partes divisam esse’ durum erat. Cesar quoque et ipse sic incipit: ‘Gallia omnis in tris divisa est partes.’

«Descriptio ista orbis terrarum ex aliqua parte superflua et vitiosa est, maxime ubi probare niteris Hispaniam orbis terrarum caput et eam trium partium in quas mundus dividitur esse maximam.» O brutum, Hispaniam ne ego dixi tertiam orbis terrarum esse partem eamque maximam?

«Satis enim fuerat, cum de Hispania solum mentio futura esset, hispaniarum situm gentesque describere.» O nunquam quid loquaris animadvertis! Quanto longius erat situm Hispanie gentesque describere quam tres orbis partes et quinque Hispanie regna per transitum et, ut dicitur, perfunctorie attingere? Atque, ut exemplo tecum agam, cur Thucydides, in historia nulli secundus, statim in principio, ut maximum omnium bellum se conscripturum monstraret, decuplo pluribus quam ego versibus in superiora longe tempora evagatur, argumentis etiam colligens illos exercitus fuisse quam sui temporis minores? Sed omittamus greca. Cur Iustinus, scriptor compendiarius et alieni operis abbreviator, de origine Scytharum Egyptiorumque altius repetit et de antiquitate utriusque disputat gentis ac deinceps passim similia facit?

[Page 212]

«Dicis historiam incipere et cosmographiam ingrederis, que res ab historici officio separata est.» Fatus ac furiose, quam partem orbis preter Hispaniam attigi? Quia paucis versibus istam rem percucurri, hoccine ‘cosmographia’ appellanda? Quod si fecisset, ratione tamen probabili ductus, tuerer factum meum causa, non exemplo, cum unusquisque ut poetarum sic historicorum suum sit institutum secutus. Cur Salustius, preter historicorum morem, in Catilinario lugurinoque nihil ad historiam pertinentibus principiis est orsus? Cur Xenophon in Vita Cyri superiorum vestigia deseruit? Quis denique, ne omnes percensem, alteri fere similis est? At ego similis alicuius sum et exemplo nitor, non dico Pauli Orosii, qui a descriptione mundi incipit, aliorumque nonnullorum, sed Cesaris, sicut ostendi.

«Nisi quantum attinet ad eas regiones de quibus scripturus sit, ut ante dixi.» Hoc ipse et quam brevissime fieri potuit feci et brevius multo quam ceteri, nec fere pluribus quam Salustius in lugurino partes Africe, nec minus necessario. Esse autem meam descriptionem ociosam nemo nisi inimicus et invidus statuet.

«Est enim contra precepta narrationis de brevitate, quod est, et si non ab ultimo initio repetamus.» Nec ego paucioribus

absolvere potui, qui rem ingentem tanto compendio complector,
et tu cum artis rhetorice peritum te ostentare vis plus quam
imperitissimus agnosceris: de iudicialis enim orationis Cicero
narratione loquitur, que nihil ad historiam attinet. De quo in
sequentibus quoque, nam sepius hoc inculcas, disserendum sit.

«Verum sicut ad celum Hispania, quia vergit in occasum,
in dextra esse censenda est, ita ad ipsum orbem terrarum, quia
certissimum est caput, Europe caput nominari potest.

Vehementer
erras, cosmographe, si putas Hispaniam, quia in occasum vergit,

[Page 213]

in dextra parte celi censendam esse: qui enim mundi partes
dimetiuntur non ad antarcticum polum aut ad orientem, sed
ad arcticum se convertunt; atque ita eorum dextra ad orientem,
sinistra vero ad occidentem vergit. Atque in hunc modum
omnes celiter reque dimensiones a sanis hominibus fieri videas.»
Quis nisi dormitans temulentusque confutare conetur id
quod non profert in medium? Rationes meas que iudicibus
ignote sunt suptices; preterea sic disputas quasi ego ad antarcticum
dixerim respiciendum et non ad arcticum, aisque qui mundum
dimetiuntur se convertere ad arcticum, qui nullum nec veterum
nec novorum astrologorum geometrarumque legisti, non
denique ipsum Priscianum qui de situ orbis, et si greci auctoris
interpres, versibus scripsit quid facit mundi dimensio ad dextrum
sinistrumque distinguendum. Non agam tecum suptilioribus
argumentis, non abditis rationibus, sed tuis ipsis et
si rudibus verbis. Qui se ad arcton convertit seu, quo apertius
intelligas, qui se convertit ad lunam media nocte medioque celo
meantem, nonne eas stellas vocabit dextras que ad dextram
quidem illius micant, ad sinistram vero ipsis respondent, item
sinistras que ad sinistram eiusdem site opponuntur dextre
ipsis? Utque ipse stelle inter se alia dextra, alia sinistra, ita hic
oculos, manus, pedes suos dextrum quidem in levam, levum
vero in dextram spectare confitebitur. Sed quid tibi cum
luna, arcto, stellisque reliquis, homini luteo et argillaceo, nisi
quando lunaticus et stolidus es ac ritu ursi (qui 'arctos' grece
vocatur) furis? Duo illa signa marmorea dimidiata que supra
valvas porte regie spectantur intrantibus, alterum imberbe,
barbatum alterum, illud vestro, hoc aliorum iudicio pulchrius,
nonne dextrum est nobis quod alteri sinistrum itemque sinistrum

[Page 214]

nobis quod alteri dextrum? prout licet videre in speculo,
in quo Panormita mirari solebat cur sibi levus oculus identidem
pro dextro ad aurem cum eadem nare traheretur. Qualia
multa disputant cum alii philosophi, tum vero qui de perspectiva
precipiunt, cum a sinistra oculi parte dextrum ex adverso
signum describunt itemque e contrario. Itaque ut ii quibuscum
loquimur contraria nobis gerunt latera, ita cetera que conspectui
nostro e regione consistunt, qualis septentrionum orientis occidentisque,
facies (facies enim illa celi, non terga sunt).
Quid afferam huius rei ex plurimis auctoribus exempla,
tum latine, tum grece lingue, tum punice in nostram traducte?
Satis sit unus Plinius, cum sua, tum superiorum auctoritate
quos sequitur dignissimus cui credamus: celum rotari ex levo
in dextrum, hoc est ex oriente in occidentem, quod tu captus
oculis negas, nisi captus es mente. Sic enim in primo Naturalis
historie ait: 'Leva prospera existimantur quoniam leva parte
mundi ortus est' et in eodem: 'Omnium autem errantium siderum
meatus itemque solis et lune contrarium mundo agere
cursum, idest levum, illo semper in dextra precipiti' et de
ventis loquens: 'A levo latere in dextrum, ut sol, ambiant.'
Sed ne te exempla perturbent, sic habeto: sol suapte natura
contrarium mundo agit cursum, idest in levum, sed ipsius
mundi raptu rotatur in dextrum et quidem multo ocius. Ubi
sunt igitur isti sani homines quos a me dissidere ais? «Nec

vero minus infirma est altera ratio tua qua probare niteris Hispaniam esse Europe caput, quoniam nullis montibus nulloque flumine terminetur, ut dicis. Tu qui logice repastinatorem te facis (nomen profecto rei conveniens), hoccine consequens affirmabis? Hispania nullis montibus nulloque flumine, sed aperto vastoque mari terminatur: igitur Hispania Europe est caput.

[Page 215]

Si hoc affirmas ad dialecticam redi.» Quid blateras, vesane?
Eandem rem pro ratione repetis, nam bis idem dicis, ne intelligenter quidem, ne dicam parum sincere verbis meis expositis,
que hec sunt:

'ipsa autem Europa nusquam aptius convenientiusque initium sumere dicenda est, quam ubi primum se ab Africa dirimit, non flumine aut monte, ut alibi fit, sed freto Oceani ac Mediterranei maris, hoc est in Hispania';

secutus enim sum
preter rationem, cum multos alias auctores, tum vero eundem Plinium, qui ait: 'Terrarum orbis universus in tres dividitur partes, Europam, Asiam, Africam, que origo ab occasu solis et Gaditano freto, qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur.' Pauloque post: 'In eo prima terrarum Hispania est.' Ideoque ille ab hac descriptionem terrarum, ut a capite, orditum; tu vero cum nihil habeas quod opponas, inquis: 'Si hoc affirmas', quasi dubium sit an affirmem. Quare, quoniam disputare ac dialecticam cum rhetorica grammaticaque nescis, me auctore, ad sutrinam et verriculum redi.

«Alter fratrum sperat se relictum Mariam suam Castelle reginam, cum alter fratrum, qui non sperabat, suam Mariam relicturus esset. Ille putat se hos coniuges regni sui facturum heredes, et hic qui non putabat sui facturus erat.

Huiuscemodi exornatio aliena est ab rerum gestarum expositione, que debet esse pura et minime fucata, convenit autem proprie confirmationi vel confutationi in oratione. Taceo vero compositionem, que qualis sit vides.» 0 minutorum minutissime, qui totus pedagogium oles, precepta mihi orationis inculcas in historia! que quantum differant postea commodius aperiam, tam et si Quintilianus vult omni gratia et Venere ornandam et variandam esse narrationem. Quis te magistellus edocuit que cui parti orationis exornatio aut figura conveniat, quasi non omnis ubique

[Page 216]

habeat locum? Intelligo te Alani cuiusdam, longe ab eloquentia abhorrentis, et si quis nostris temporibus illius est similis, potius quam Ciceronis ac Quintiliani precepta sectari: horum alterius nullum opus, alterius iuvenilia duntaxat artis opera legisti. Ceterum, ut pro me respondeam, possem, si liberet exquirere, complura huiuscemodi reperire exempla. Unum tantum apud commentarios Cesaris impresentiarum occurrit: 'Hic subitam commutationem fortune videre licuit: qui modo sibi timuerant, hos tutissimus portus recipiebat, qui nostris navibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. Itaque tempore commutato tempestas et nostros texit et naves rhodias afflixit.' Quid hoc a nostro genere dicendi differt, tum rationibus, tum ipsa propositione? Sic enim apud nos scribitur:

'Sed profecto raro respondent eventa propositis nostris ut intelligere possimus consilia humana utique divina ratione superari. Alter fratrum etc.'

Nam quod ais de compositione
Ciceronem mihi videris non legisse, qui in tertio De oratore
itemque in Oratore, ut Quintilianus quoque, aliter ac tu compositionem
accipit. Huc accedit quod stultum est dicere ei

[Page 217]

quem reprehendis, non probato illius errore, ‘quantopere erres
tu vides’.

«*Preclareque cum exercitu ac populo agitur, si dum maiori
parti bene consultum sit, minori male consulitur.*

Inepta certe et
impropria sententia. Nescio unde istam preclararam philosophiam
didiceris que doceat minori parti male consulendum esse: neque
enim minus consulendum est paucis quam multis, si fieri possit;
quod siquo fato aut casu fieri non possit, plurium saluti
prospiciendum erit, sed tamen paucioribus non male consulendum
(illud enim inhumanum est), sed quoad poterit adiuvandi
erunt. Sanus igitur si particula ista suptracta sic dixisses:
‘*Preclareque cum exercitu ac populo agitur si plurium
saluti consultum sit.*’» Quandoquidem non meam tantum
sententiam carpis, verum etiam illorum de quibus locutus sum,
factum prius pro illis, postea pro me dicam. Quis adeo a lectione
librorum veterum abhorrens atque peregrinus, immo quis
adeo rerum imperitus est qui non legerit et memorie nostre non
audierit duces plerunque paucos milites in apertum conieceris
discrimen occidique ab hoste voluisse, quo ipsum hostem circumvenirem
ac perderent? Et hoc quidem sponte; quid,
ubi necessitas cogit, id quod nunc fuit cum fame laboraretur?
Unde Livius: ‘Hanibal id damnum haud egerime pati,
quin potius credere velut inescatam temeritatem ferocioris consulis.’
Tu nunc Hanibalem ad philosophos citas accusasque
cur non omnium saluti consuluerit. Nonne vicissim ille si hec
audiat tibi respondeat? «*Quid ais, deliro Phormione delirior?*
Nisi ita egissem non ipsum consulem et prope rem romanam
stravissem atque profligasssem. Aut omnino non gerenda aut
sic gerenda bella. Neque enim fas est, neque postulandum ut
in re militari consulatur omnium saluti nullaque non victoria
ad quam omnes tendimus constitut sanguine ac morte nostrorum.

[Page 218]

Ita nihil aliud bellum est nisi male consulere paucis dum
pluribus bene consulatur. Nec secus ipsi philosophi ut Xenophon,
ut Epaminondas, ut Dion, ut alii plurimi cum ipso parente
philosophie Socrate bella administrarunt. Ausim confirmare
ne in pace quidem aliter vivi posse nisi ut aliquibus male
consulatur, dum pluribus bene consultum sit.» Hec adversus
te Hanibal. Ego illud. Quem philosophum habes auctorem
non minus paucis, utputa duobus tribus ve, quam multis, utputa
toti exercitui aut toti humano generi, consulendum? et
non potius, si virtus omnium par sit, pluribus magis, totidem
eque, paucioribus minus prospici debere? Quanquam sicut es
fatuus, idem ais et negas. Cum enim inquis: ‘*Siquo casu et siquo
(ut stulte additum est) fato id fieri non possit, prospiciendum
dum est saluti plurium*’, hoc sentis deserendam salutem pauciorum,
nempe paucioribus male consulendum, quod negabas.
Denique, siquo ingenio ac prudentia esses, cum dicitur
‘*preclare cum exercitu ac populo agitur si minori parti male
consulitur*’, palam est de eo populo atque exercitu dici qui, nisi
cum impedimenti clade decideret, amissione pauciorum, sit
totus ipse periturus; aliter non preclare cum eo ageretur, sed
male: quantulacunque enim corporis sui iactura cuique mala
est. Hactenus pro defensione facti illorum. Nunc pro me
aliquid dicam ac verius contra stultitiam tuam. Nam quid stultius
quam sententiam utilitatis retorquere ad honestatis? Preclare
cum exercitu ac populo agitur, idest utile fructuosumque,
si dum maiori parti bene consulatur, idest utiliter fiat, minori

male consulitur, idest inutiliter fit. An si in alto naute, propter vim tempestatis, ad levandam navim necesse ducentes aliquot vectores Neptuno tradere, te et Antonium in mare deiicerent, non preclare mecum esset actum, qui in eadem navi veherer, vobiscum incommode, quod illi mee vite bene consultum voluissent, vestre vero male? At non debuerunt. Esto sane.
Non ideo tamen minus hoc verum sit. Non fuit honestum.
Nescio. Mihi certe est utile. Non bene fecerunt. Istuc ego non

[Page 219]

laboro: mihi benefecisse negare non possum. Non fuit ita consulendum. Quid mea? Dum mihi bene consuluerint. Et tamen consulere nunc ad actionem, non ad rationem refertur, sicut bene ad utilitatem, non ad honestatem, et male ad damnum, non ad vitium mentis.

«*Dura videbatur omni ex parte ratio*. Cur verba mea passim depravas? Et si ego dissimulo, ne verbis libros extendam, 'dura inibatur' ego scripseram.

«*Inquireret sontes, quos magnos viros esse suspicabatur: at ne Adelittum quidem potuerat ulcisci; reficeret turrim: at magnum dispendium et ut in fame magis ac magis invalescente in dies militum contumacia proponebatur; rediret infecta re: at non aliorum culpa, sed ducis argueretur.*

Neque hecquoque exornatio huic loco convenit, que non narrationi sed confirmationi vel magis proprie confutationi accommodata est in oratione.» Abi hinc in malam rem cum isto Alani et Alani similium absurdissimo precepto. Quanquam quid ais? In oratione nunc ego iudiciali versor aut in narratione? Nisi vis totam historiam esse narrationem. O te scitum artificem, nunquid narrabat aut confutabat adversarium aut ad iudices orabat Alexander apud Curtium inquiens: 'Bibere perseverem, ut, si datum venenum fuerit, ne immerito quidem quicquid acciderit evenisse videatur? Damnem medici fidem? In tabernaculo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere quam metu meo.' Deliberabat secum tacitus Alexander ut nunc Ferdinandus: quare, cur non hunc deceat quod illum decuit?

3.2.

II.

«*Vexillis precedentibus, quorum primum habebat imaginem Domini Nostri Iesu Christi in cruce pendentis, alterum matris eius cum angelo Gabriele conceptum Spiritus Sancti annuntiante, tertium sancti Iacobi.*

Plebeia sane et vere Laurentio digna elocutio et supervacua in primis rerum narratio, brevitati contraria.

[Page 220]

Hec enim summatim, non particulatim narranda sunt: quid enim opus erat de vexillis hoc loco mentionem facere? An vidisti uspiam Livium, cum de consulibus romanis in expeditionem euntibus scribit, de signis que ferebant mentionem facere? Et tamen sine signis eos non isse ad bellum gerendum scimus. Secus autem facit cum hostium signa capta erant, quoniam eam rem dignitati populo romano sciebat esse.» Reprehendis orationem meam quod plebeia, quod brevitati contraria, quod a veterum usu dissonat; et quod plebeia quidem sit agnosco causam, quod videlicet Iesum, non Iovem, Mariam, non Minervam, immo Venerem, Iacobum, non Bacchum, Gabrialem,

non Briareum aut Priapum nomino. Plebeia enim apud vos atque ignobilia sunt nomina, nec litterato excultoque viro digna et que orationem, ut soles predicare, maure Panormita, applaudente Fatuo scytha (honor sit ceterorum auribus), permingant atque conspurcent Iesu, Maria, Iacobus, Gabriel similiaque, sicut e contrario illa velut gemme ornant Iuppiter, Apollo, Minerva, Venus, Bacchus, Hercules, Priapus et ceteri. Fcessite, impiissimi homines, piaculi tanti propedium luituri supplicium. Verum summatim, non particulatim fuit narrandum.

Scilicet nunc causam iudicialem, non historiam scribo et rem de qua pronuntiandum est narro, non vitam et gesta Ferdinandi. Minutissime pedagogorum, qui precepta orationis judicialis inculcas, ostendam tamen quantum inter hanc et illam narrationem intersit quo superius destinavi loco. At vexilla Livius non recenset. Ranuncule odiose, coaxans non loquens, qui ignoras apud consules, iis duntaxat temporibus quorum libri liviani qui extant meminerunt, non fuisse depicta vexilla, sicut nec serica. Et ais illum non facere mentionem de signis nisi quando essent capta de hostibus, quoniam ista res cederet ornamento populi romani. Vere Fatuo digna ratio, quasi non idem referat quot ipsi Romani signa in prelio amittebant; nam si id solum narraret quod ad ornamentum populi romani pertineret, non iam historicus, sed tibi similis foret. Et nihilominus

[Page 221]

quoniam me ad huius legem auctoris accusas, audi quid ipse narret: 'Confestim ad aliud sacrificium eidem dive a decemviris edicta dies, cuius ordo talis fuit. Ab ede Apollinis boves femine albe due porta Carmentali in urbem ducte; postea duo signa cupressea Iunoni regine portabantur; tum septem et duodecim virgines longam induite vestem carmen in Iunonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsan laudabile rudibus ingenii, nunc abhorrens et ineruditum si referatur; virginum ordinem sequebantur tredecim coronati laurea pretextatique. A porta tergemina lugario vico in forum venere; in foro pompa consistens, per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde vico Tusco Velabroque per boarium forum in vicum publicum atque edem Iunonis regine.' Utra queso magis supervacanea narratio? utra longior? Certe siquid in me videretur ocosum, apud equa iudicia poteram putari Livium imitatus, a quo tu recedentem facis, qui haud dubie de aureis sericisque vexillis mentionem fecisset, cum de signis cupresseis, ut alie sileantur ineptie, tam curiose narret. At qua in materia? Nempe secundi belli punici, quod, ut ipse testatur, fuit omnium maximum. Audi preterea quid Curtius scribat et si tibi postea videbitur superflua me et insueta narrantem reprehendito. 'Utrunque regis latus ex auro argentoque expressa decorabant, distinguebant internitentes gemme iugum ex quo eminebant aurea simulacula cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli; inter hec aquilam auream pennas extenderint similem sacraverant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur: purpuree tunice medium album intertextum erat, pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se concurrerent, adornabant et zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemma vagina erat. Cidarim Perse vocabant regium capitum insigne: hoc cerulea fascia auro distincta circuibat.' Talis in expeditionem Darius isse narratur, qualem

[Page 222]

a me Ferdinandum narrari, rana, quomodo tulisses, qui vel tria memorari vexilla non pateris?

«Quasi vero non sint non solum alii principes interdum maiores regibus ideoque regaliores, ut olim romani imperatores, sed certe qui obsidet alterius regnum ipso rege obsesso non inferior censendus est.

Hec porro sententia tuo illi summo suptilique iudicio maxime consentanea est. Tu enim cum loquaris de dignitate persone,

opibus ac potentia, illam ad postremum diffinis. Dixisti prius regi africano ex dignitate non videri in bellum prodire in quo non sit rex alter cum eo certatus; postea subdis multos principes, quoniam potentia superent, regibus multis maiores esse. Non vides in quem errorem incidas?» In quem incido errorem ne tu quidem aperire scis, tam aperto ore ranunculus. An quod dissidentia loquor? O ranunculinum ingenium! non sentis hanc me illius sententiam fecisse, non meam? cum dixi:

*'Addidit etiam
facto superbiam barbarus: noluit ipse huic expeditioni preesse,
quia diceret ab re esse regem nisi adversus regem exire in bellum.
Quasi vero etc.'*

Hanc ego barbari opinionem improbo, non mihi contradico. An tibi dolet quod facio alios principes regibus pares? Video quid captes: blandiri vis regi nostro invidia mei. O caput cucurbita sarctum, de barbaro rege loquor, non de christiano. Etenim quid apud illos inter regem et principem differt? An non in ipsa Hispania sexcentesimo aut circiter iam anno prope tot erant reges quot urbes, ut apud gentes illas quas losue domuit, ut apud Grecos bello Troiano (quippe quinquaginta reges ad Troiam ex Grecia navigarunt), ut multis adhuc in nationibus durat? quorum nulla alia dignitas est nisi quod iustum imperium in populos optinent et aliquando iniustum, nulla inter regnum tyrannidemque differentia. Nam in Syria et Egypto fere aliquis e regiis servis regnum invadit Soldanque efficitur, quod lingua illorum 'regem' significat, quasi ille peculiariter rex sit; atque ita ut quisque potentissimus est ditione,

[Page 223]

ita fere plurimum optinet dignitatis. At quam rationem reddis?
«Potestate et viribus esse aliquos principes qui fortasse vincant hunc aut illum regem tibi concedetur, si voles; sed quod ii principes a quibus vincuntur opibus aut obsidentur dignitate superent nunquam tibi plane concedam.» Quis istuc dicit, amenissime, qui regem obsidet eum ipso rege superiorum esse dignitate? Ego tantum dixi non inferiorem, puta auctoritate, fama, favore hominum et sua etiam per se parta dignitate. Sed fac me id dixisse. Nonne opposui romanos imperatores? An quis Hispanie regulorum non existimare se diceret fore ex sua dignitate ut ipse prodiret in bellum adversus Scipionem Pompeium ve aut Cesarem quem tot reges comitarentur, non superbe tibi facere videretur? aut maiorem in illo dignitatem quam in romano imperatore inesse censeret? cum presertim ab hoc obsidetur, ab hoc, inquam, in quo maiestas populi romani agnoscitur; et cum dico romanos imperatores, de Cesaribus loquor, quos iam peculiari nomine receptum est appellari imperatores, ut appareat, cum ex aliis locis plurimis, tum ex iure civili. Num igitur quinquaginta aut plures, si plures fuerunt, Hispanie regulos comparandos reris dignitate cum uno quolibet Cesaram, qui reges non extiterunt?
«Quare ista sententiola tua tanquam falsa et perridicula tota reiicienda est.» Utrius magis oratio ridicula, mea que qualis sit iam probavi, an tua qui ais concessurum te mihi aliquos principes vincere opibus, viribus, potestate aliquem regem, quasi hoc dubium sit ac probandum, nisi ab adversario concedatur? Adiicisque 'si voles', quasi non concessurus nisi me volente. Preterea ais 'nunquam plane concedam', quasi sic tenuiter concedas, non tamen plane. Et idem nunc vis omnino reiiciendum quod paulo ante parum afuit quin concederes. Sed cur reiiciendum sit reddis rationem.
«Precipue cum ad dedecus regie maiestatis attineat, que m terris amplissima est.» Dixi cur ridicula, nunc cur falsa sit dicam. An regi nostro fit iniuria si regno barbaro dignitatem

[Page 224]

detrahā, si veritatem fatear, si patrem ipsius regi quantumlibet illustri comparem atque preponam? Et ne me censeas illi

more tuo assentari, libere dico non esse hunc parem romano imperatori, penes quem amplissima in terris maiestas est, non penes alium principem, ut tu stulte fatueque mentitus es.

«*Ex qua tertiam partem sibi tubicinibusque ac sociis quos revocaverat distribuendam adiudicavit.*

Tubicinum, ut video,
amator es, quos secundo loco numerandos in prede divisione iudicasti: res est profecto digna historie gravitate! Sic Livius, Salustius et Cesar, a quibus credo id sumpseris.» Quam decent fatuum insulsumque ioci ac sales! Non exequar quam parva et his similia Herodotus, Thucydides, Xenophon, Plutarcus, Iosephus aliquique greci historie intermisceant, aut necessitatis, ut ego feci, aut iocunditatis gratia. Itemque historici latini. Sed uno tantum ex Livio ipso sum contentus exemplo, cuius etiam Cicero Valeriusque cum aliis plerisque meminerunt, de tubicinibus, quoniam tu tubicines meos derides, a quibus tanta res in bello confecta est. Ait igitur Livius: 'Tubicines, quia prohibiti a proximis censoribus erant in ede lovis vesci, quod traditum antiquitus erat, egre passi Tibur uno agmine abierunt adeo ut nemo esset in urbe qui sacrificiis precineret. Eius rei religio tenuit senatum, legatos Tibur miserunt ut darent operam ut iidem homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos eos in curiam hortati sunt ut reverterentur Romam; postquam propelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingenii hominum aggrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa invitant, et vino, cuius ferme avidum genus est, oneratos sopiunt atque ita in plausta vinctos coniiciunt ac Romam deportant; nec prius sensere quam plaustris in foro relictis plenos crapule lux oppressit. Tum populi romani concursus factus impetratoque ut manerent, datum ut triduum quotannis ornati cum cantu atque hac que nunc solemnis est licentia per urbem vagarentur,

[Page 225]

restitutumque in ede vescendi ius iis qui sacris premerent.' Amator erat tubicinum Livius et, quod amabilius est, vinosorum, qui talia et quidem tot verbis enarrat? Quo tu me insectare convicio, narrantem hanc tubicinum fabulam, quod eos omnes Tiburtini sopquierint, in plausta non imposuerint, sed coniecerint, de monte in plana deinde plus quindecim milibus passum portaverint, non nisi luce diei postea experrectos? quem ita carpendum putasti quod tubicines nominavi, improbissime accusator. Simile est quod sequitur.

3.3.

III.

«*Ut renovemus in nobis que de Orlando ac Rainaldo in hac regione gesta memorantur, qualia fuisse Hectoris, Enee, Achillis aliorumque principum frequenter audivi.*

Hic plane apertissime indicas admirabilem prudentiam tuam qui vulgaria inducens exempla Orlandum nescio quem at Rainaldum, de quibus vel apud Gallos unde orti sunt vix ulla extat memoria litterarum monumentis prodata, Hectori, Enee atque Achilli, quos summi poete et historici summis in celum laudibus extulerunt, comparas.» O perversissime mentis, primum ais non extare de his memoriam litterarum. Quid ad me? qui extare non dico. Deinde quia nescis an extet, affirmas vix ullam esse memoriam: quid sibi vult istud 'vix'? Nisi quod ais pariter et negas, mira ubique incostantia. In quo ne erres, non modo apud Gallos, sed apud nosquoque monumenta sunt latine scripta de gestis illorum a nonnullis historicis. Deinde quod poetas historicosque

coniungis tanquam aut multa de heroibus historici, aut
eadem utrique commemorent, cum inter se vehementissime

[Page 226]

dissentiant, ne plura referam, Virgilius ab Enea, quem deo
cuidam similem facit, Mezentium Etruscorum regem canit occisum;
Livius Mezentium, eo prelio, victorem, Eneam extindum
narrat. Postremo mentiris hos cum illis a me comparari
tam et si vel ob hoc comparari possent quod de utrisque
fabulosa multa et incredibilia referuntur, neque in persona
mea talia dixi, sed in hominis militaris. Cuius persona ex hocquoque
commendat exempli gratiam, quod, cum prius fuisse agarene
superstitutionis, nunc esset christianus, et apud illos et apud
nostros audisse verisimile est que christiani cum agarenis bella
gessissent; commendant persone audientium, qui huic similes
ac pares erant; commendat ipse locus, ubi principes illi pro
nostra religione fortissime dimicasse memorantur; commendat
insuper conditio discriminis eventusque antiquitati similis,
et alia multa, ut a me rite sit servitum persone in attribuenda illi
tali oratione, si modo attribui et non re vera ipsius fuit, quorum
tu utrunque perversissime negas. Huius tu, sequenti loco,
totam orationem ad litteram subiicis, que quo magis diiudicari
queat, aliquanto altius necessario repetam verba historie:

'Altera

*pugna non ab oppidanis, sed a castrenibus viris incepta est.
Erat in castris eques quidam nomine Ioannes Mars, Sceretensis,
agarene quandam superstitionis, impiger iuvenis, viribus animo
respondentibus. Hic hortatus sodales suos ut in agrum Malacanum
incurrentesagerent predas, ad centum homines, quos paupertas
faciebat audaces, coegit. Profecti, cum iam octo milibus passuum
ab urbe abessent, sub lucem trecentos, ut colligi poterat, equites ex
adverso se ferentes conspiciunt, moxque conspiciuntur invicem,
parva iam utrosque dirimente intercapedine. Ceteros, quia se deprehensos
arbitrarentur fugere volentes, Ioannes oratione retinuit
et ut hostem quoque invaderent induxit.
«—Socii, ut ipse vestri adventus et, ut sors tulit, vestri periculi
auctor sum, sic meum est vestri redditus ac vestre salutis curam*

[Page 227]

*habere, non solum mee. Si locus hic ubi sumus satis apertus ad fugam
esset, si satis etiam distantie ab hostibus, nimirum non tam ferox
temerariusque sum ut pugnam moram ve suaderem. Nunc cum
et locum ceperimus angustum, quo veniremus occultius, et hostis
non absit longius quadringentis passibus, ut opinor, recentioribus
quam nos equis, quam spem salutis tantam ponimus in una celeritate
equorum? At fessis plus quinque et viginti milibus passuum remetiendum,
quos isti incompositos ac dissipatos insecurti, ut quenque
primum assequerentur trucidabunt et, ut certum habeo, usque ad
unum. Non enim firmiores nostri equi, aut, ut dixi, recentiores
sunt ad preferendum cursum. Modo tres quatuor ve illorum, qui
plures nobis sunt, si perniciibus equis insideant, instabunt fugientibus,
terga cedent et aut morari compellent, aut ritu ovium caprarumque
mattabunt singuli plurimos: ut renovemus in nobis ea que de Orlando
et Rainaldo in hac regione gesta memorantur, qualia fuisse
Hectoris, Enee, Achillis aliorumque priscorum frequenter audivi.
Ex quo non mortem defugerimus, sed honestam mortem refugerimus;
est autem honesta mors in pugna, non in fuga, ad quam mortem
fortiter hortari vos ausim, si nihil aliud sit reliqui. Nunc etiam spes
salutis ostenditur ac victorie si fortunam belli temptemus: sepe
enim pauciores vel consilio vel virtute vel, quod maximum est, necessitate
ac desperatione vicerunt. Magna res est proponere
animo aut vincendum, aut mortem, dedecus atque omnia extrema
patienda. Sepe infirmiores fere que in aperto singulas robustiores
fugissent, cum se inclusas viderunt, contracta rabie, adversus plures
insurgunt et nonnunquam eiulare ac fugere compellunt. Ego
vidi vulpem unam, vulneratis plerisque canibus, evasisse. Nos ergo
tot vulpes, cum rem nostram in angusto videamus positam, paulo
plures canes extimescemos invadere? Quid? quod nostrum adiuvat
fortuna consilium. Si invadimus, speciem prebebimus nos partem*

[Page 228]

*insidiatorum esse, non totam manum, neque enim compertum habent
numerum nostrum. Videtis ut lente cuntanterque veniunt, ut
duos longius premiserunt explorandi causa et ipsos hesitantes ac
circumspicientes? Audendum igitur antequam certum explorent et
tanquam fiducia sociorum qui lateant feroes simus, ferociter irruamus.
Victoria imperatoris nostri omnia facit eis formidolosa,
nobis audenda: unde aut victores cum preda et gloria redibimus,
aut certe honestissimam mortem oppetemus. Quam nefas est
appellare mortem, fruitur os apud vite parentem vita eterna; speroque
in Christo Iesu, qui me de pristina mortalitate ad spem eternitatis
revocavit, eum hanc meam spem non frustraturum. Atque eius
invocato nomine feror in suos hostes. – Hec dicens, adacto
equo, in duos antecursores (et iam proximi erant) infesta hasta dirigit
cursum. Illi propere terga dant, ceteri christiani insequuntur.
At barbari, qui ad responsum exploratorum suspensi erant, visa
eorum subita fuga hostiumque incursu turbantur et inter pugne
fugeque consilium commiscentur et, aliis terga dantibus, alii perterrentur.»*

Libuit exequi longius historie verba ut sciretur, immo
ut voluptati foret legentibus felix eventus istius orationis.
«Oratio ista perpetua, arator sapientissime, hoc loco
vitiosissima est, presertim cum ii de quibus loqueris neque
in castris neque pro castris essent, neque munitionibus ullis,
neque loci situ defenderentur abessentque a suis, ut scribis,
viginti milibus passuum, ab hostibus vero non plus quadringentos
passus, adversus se citatis equis adventantibus, ut
orandi per ocium facultas non daretur.» Quid? Alibi quam
in istiusmodi locis non haberetur oratio, et si in istis non semper
orationi est locus, hostibus ingruentibus? Quotiens deprehensus
circumventusque in medio itinere dux, coniectis
unum in locum sarcinis, milites suos est adhortatus? Quomodo
aliter in mari fieri potest, ubi neque castra, neque munitiones,
neque situs tutatur? Ceterum, unde colligis illos citatis

adventare equis? quod ego non aio, sed lente atque cuntanter.

[Page 229]

Ideoque satis spatii fuit, si minus per ocium, ut tu cavillaris,
at festinato ad exhortandos socios, cum etiam Graccho, repente
in eum ex occulto hostibus irruentibus, non defuerit tempus
comites cohortandi, ut Livius refert.

«Preterea hostes trecenti erant, ipsi vero non plures
centum et recentiores equos habebant, ut scribis. Malaca enim
unde exierant vicina erat ut retardari impetus hostium, presertim
conspecta paucitate, non debuerit: prius enim opprimi et
in vincula coniici potuerint omnes a Malakanis quam orandi
finis factus esset; uno enim et continent equorum cursu quadringenti
passus ab hoste confici poterant.» A quibus Malakanis
coniici in vincula poterant? Ab equitibus trecentis? Quid
ergo ad rem urbem fuisse vicinam? Ab iis qui in oppido erant?
Quid ad rem equites habuisse recentiores equos si non istis,
sed oppidanis illis preda futuri erant? Preterea, unde aut vincula
equitibus aut, si vincula pro carcere accipis, ubi tam propinquus
cacer? aut iis, qui intra urbem manebant, non equi,
sed pegasi erant? quibus consensis, tam repente ab urbe, que
octo milibus passuum abesset, accurrerent atque advolarent,
presertim vincula afferentes que citius dicto paravissent? Ad
hec, immemor es proximis diebus fuisse eos prelio victos ac
plus quam triginta milia suorum amisisse, a nostris vel interempta
vel capta: qua clade ita abiecerant animos ut ne Granatenses
quidem, que regia gentis illius civitas est, ausi sint
prodire ex muris adversus predatoriam manum, quod castrenem
arbitrarentur. Et tu Malakanos protinus invasuros
fuisse vis hostem victorem, non admonitus saltem ad secus
sentiendum illis verbis:

*'Victoria imperatoris nostri omnia facit
eis formidolosa, nobis audenda'.*

«Nec illud obstat huic rationi quod ais hostes insidias
fortasse verituros et ab incursu temperaturos, quoniam et ipsi
centum de quibus agitur de maiori hostium numero timere

[Page 230]

non minus poterant, quod illi propinquiores oppido quam ii
castris erant.» O plumbeum pugionem, o rationem hebetem
atque inscitam! Num quia mihi causa est cur te metuam,
tibi continuo nulla erit ut vicissim ipse me timeas? Metuebant
nostris ne sibi insidias tetendisset hostis, ne huic oppidani suppetias
ferrent. Esto. Quid, non et ille ab istis similia timere
poterat, vel eo magis quod victores, quod in agro alieno grassantes,
quod in loco insidiis idoneo erant? Quid, quod nec metuere
debebant nostri aut insidias trecentorum, qui per loca
aperta, qui specie iter facientium veniebant, qui de adventu
istorum tam repentina nihil suspicari poterant, aut oppidanorum
eruptionem tam longe positorum, a quibus cerni nequibant
ipso meridie, nedum luce adhuc dubia? Quid, quod non
modo hosti maior numerus nostrorum timendus fuit, nostris
minime, verum etiam nostris pugnandi necessitas, nisi perire
mallent, hosti nulla, sed in fuga spes facilissimi receptus?
«Oratio, ut scias, debet esse loco et temporis accommodata
et ex eo iudicatur prudentia: non enim omni tempori ac loco
convenit perpetua et ex omnibus partibus perfecta oratio. Satis
enim fuerat, cum utrique in conspectu essent neque plus quadringentos
passus distarent, oratione cesa uti et paucis verbis
ostendere pugnandi necessitatem, nisi turpiter cedere quam
honeste mori malling; salutem, siqua erat, non in fuga, sed in
una virtute ponendam esse; forti atque intrepido animo congrediendum
antequam eorum paucitas perspecta hostibus contemptum
sui faceret; fortibus viris sepenumero fortunam affuisse.»
Non secus te loqui de prudentia decet, qui tam probe
accommodasti personis orationes in dialogo tuo, quam de re militari

loqui decuit homericum illum Thersitem. Quid imprudentius ista tua emendatione atque ineptius? sive quod cum necessitatem pugnandi vis ostendere, de honestate argumentaris, sive

[Page 231]

quod pauculis ac frigidis verbis putas vel ducem debuisse uti ad suam sociorumque salutem, victoriam, predam, vel illos induci potuisse ad tam rarum facinus. Insuper ais non perpetua, sed cesa debuisse me uti oratione. O virum doctum! Quid enim est cesa oratio? Nonne dialectica, que minutis interrogatiunculis (aut que vicem optinent interrogationum) quod proposuit efficit, sicut rhetorico perpetua donatur oratio, hoc est continens et non concisa? 'Obliqua' fortassis oratione dicere volebas: sed obliqua in scribente, non in vere contionante desideratur, qua Livius, Salustius, Cornelius parcissime usi sunt.

«Itaque tota illa argumentatio qua demonstras quid crudelitatis hostes in illos fugientes edituri sint, et exempla illa fabulosa de Orlando et Rainaldo inepite atque aniliter introducta, et illa de mortis genere accurata disputatio, et comparationes de vulpe et cane, vacui capitibus, non hominis sani: omnia vitiosa et preter artem et historie dignitatem; quoniam, ut dixi, nec locus nec tempus ferebat hanc verborum inanem magnitudinem, cum hostes ad unum equi cursum proximi, citatis equis, in se ferrentur et ipsi nullo munimento loci tuti essent.» An hec oratio sit accommodata persone an secus, aliorum sit iudiciicum sciant apud Xenophontem induci Ciassarum regem, dum Cyrum alloquitur, simili exemplo utentem, scropham cum porcellis suis fugientem, ubi se arctius premi sentit, converti et, addito animo, insequentes irruere. De loco quoque et tempore satis, ut spero, probavi nequid tua ratio valeat quam unam ad probanda omnia que proposueras reddidisti. Ceteras autem tuas absurditates transeo, male disponendi et sepius in eadem recidendi, et inconcinne positionum verborum, quale est 'edere crudelitatem in fugientes' et 'introducta argumentatio introductaque exempla' et 'accurata disputatio de genere mortis', cum non disputatetur, et 'comparationes de vulpe

[Page 232]

et cane', cum sit una comparatio, et 'vacui capitibus non sani hominis', cum redundet 'hominis', et 'ad unum equi cursum citatis equis', quia 'equum' et 'equos' implicas, et 'in se ferrentur' pro 'in eos ferrentur', sicut superius 'adversus se adventantibus' pro 'ex adverso venientibus', et 'neque in castris neque pro castris essent', quasi extra castra sint qui pro castris sunt, et 'verituros' pro 'veritos'. Proxime fecisti me imprudentem et ego te talem ostendi, nunc fecisti vacui capitibus et non sani: volo probasse id existimeris, cum nihil minus feceris, nisi te talem cum hic aliquantulum probavi, tum mox multo magis probabo. Ais enim: «Preterea notatione digna est illa contradicatio quam facis in initio orationis huius. Verba enim tua hec sunt:

'Profecti, cum iam octo milibus passuum ab urbe abessent, sub lucem trecentos, ut colligi poterat, equites ex adverso se ferentes conspicunt moxque conspicuntur invicem, parva iam utrosque dirimente eos intercapidine.'

Ac paulo post ais:

'At fessis plus quinque et viginti milibus passuum remetiendum est.'

Qui enim? octo milibus passuum a castris progressis, quinque et viginti milia passuum remetienda erant?» Taceo non esse verba hec in initio orationis, sed ante orationem. Nonne ipse

testaris superius scribere me, ut verum est, 'cum illi iam abessent
a suis, hoc est a castris, viginti milibus passuum'? Quid
ergo nunc ais eosdem octo modo milibus passuum progressos
esse a castris, quod ego nec dico, nec sentio, sed ab urbe abesse
octo milibus passuum? Quo nam modo te cepit oblivio eorum
que paulo ante dixisti? Ne possis negare non me, sed te
contraria dicere planeque vacui esse capitis ac debere plautinos
versus in Bacchidibus quasi testes ingenii tui decantare:
Quicunque ubi sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac
stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
solus ego omnes longe eo ante stultitia.

[Page 233]

3.4.

IV.

«Querebant nonnulli, vel ioco vel serio, an socios cum equis amisissent. Respondit quidam: – Immo interrogate equos ipsos et ornamenta ac vestes quosnam socios amiserunt. – Ioannes etiam facetius, ut sumus in victoria faceti ac dicaces, – Nos vero in nemore sumus venati et quot animalia manus nostras effugerunt non perdidimus, perdidimus quot non effugerunt. –

Tu hoc appellas
facete dictum, ego vero et infacetum et prorsus insulsum. Est enim pueriliter et iejune atque inepte prolatum ac preterea preter historie dignitatem, in qua huiuscemodi frivolarum quarunque rerum et maxime problemate enuntiata, quod ne Edypus quidem interpretari sciat, supervacua est: cuius generis oratio a rerum scriptore diligenter vitanda est.» Non facetum tibi videtur, sed insulsum? Quid si Thersitis oratio videatur tibi faceta, num faceta erit, an potius insulsa, ut tu? Nam quod tibi scythe displicet, id Grecis placet: etenim hec fuit questio Homero proposita, ut notum studiosis est, quam cum solvere nequisset dolore creditur absumptus, eoque a Grecis, quos quidam Latinorum imitati sunt, etiam mandata est versibus:
?????? ??' ???????? ?????????? ? ?' ?????? ??
et reliqua. Non attinet plura generis huius afferre ex historiis exempla, precipue apud Xenophontem quem musam atticam vocaverunt. Quid severius, quid fere brevius historiis Cesaris, quas propter compendiarium genus dicendi commentarios vocat? Is, ut simili utar exemplo, ita ait: 'Omnibus equis gallis equitibus detractis, in eos legionarios milites legionis

[Page 234]

decime, cui quam maxime confidebat, imposuit ut presidium quam amicissimum, siquid facto opus esset, haberet.' Quod cum fieret, non irridicule quidam ex militibus decime legionis dixit plus quam pollicitus esset Cesarem facere, pollicitum esse in cohortis pretorie loco decimam cohortem habiturum et nunc ad equum rescriberet. Vides, invide, Cesarem magis affectasse iocos quam me? Enimvero, ut te tua laude non fraudem, ne tu quidem irridicule locutus es, vel magis quam aut meus aut cesarianus miles. Nam quis grammaticis imbutus non rideat istam tuam orationem, ut incongruam, quod 'enuntiata' quidem caret substantivo, 'problemate' autem prepositione? ut obscuram, quod divinare, non interpretari nos illam oportet, ut Edypus hic nihil acturus sit? ut barbaram, quod, preter illa que superiore libro reprehendi vitia verborum, 'problema' pro 'enigma' accipis (siquidem, ut greca discas, 'enigma' est allegoria obscurior, 'problema' autem propositio in interrogatione posita, ut Aristoteles ait in Topicis et alibi, licet inter ??????? et propositionem, quam ??????? vocat, differentiam statuit; que interrogatio hic non est, ergo enigma: ut Plinius in quadam epistula ad amicum scribit his verbis: 'Eadem epistula et scribere te et non scribere significat. Enigmate loquor? Ita plane.')? ut denique imprudentem, quod diligenter enigmata vis esse vitanda, quasi vero diligentia sit opus ad hec vitanda, que vix cum diligentia queunt inveniri? Cetera non sunt digna quibus respondeam.

«Quod, si hoc conceditur, illud multo magis concessum iri necesse est eos quos vulgo caballerios vocant Greci quoque, eos vocare equerios.

Hoc tibi nunquam concedet Parmeno, ut in narratione rerum gestarum disputationem inducas longiorem de verborum significacione: est enim vitiosa digressio, brevitati contraria.»

Nunquam ne respicies, infelix, quod de arte repetis, id ad orationem, non ad historiam pertinere? Nam ut in illa quoad fieri poterit vitanda digressio, ita huic, more poetarum, est maxime amica; neque hec disputatio est neque longa, sed perbrevis narratio, neque tam de novo verbo quam de nova re, sicut Thucydides de vocabulo 'Grecie', idest ???????, fecit.

«Videris enim non historiam velle scribere, sed grammaticorum precepta tradere; itaque totam istam de militis et equitis vocabulo disputationem, ut superfluam atque ineptam, vitiosissimam puto.» In uno ne versiculo prelongus sum et grammaticae precepta trado? et si de re magis quam de nomine ago, si recte vis et non interprete invidia iudicare, et hoc tam breviter quam erudite.

«Nec minus hoc loco elegantiam tuam damnandam atque irridendam censeo cum velis nova et absurdissima formare nomina, quibus propriis, usitatis atque honestis uti licet. 'Equerios' enim appellari vis quos eruditii homines 'equites' et 'equestris ordinis' vocant, quod nomen usus pridem admisit et comprobat: hic enim ordo medius inter patres et plebem Rome fuit, in quo et Cicero extitit.» Sedulo me cohibeo ne totiens te feriam quotiens licet et multa in verbis sententiisque tuis absurdia pretermitto, quale est 'pridem', magis verbum Prisciani exponentis quam Ciceronis utentis, nisi precedente alio adverbio, ut in Elegantiis, et 'admisit deinde comprobat', cum prius comprobemus quid quam admittamus, et 'in quo ordine extitit' pro 'ex quo ordine extitit', preterea quod eadem repetuntur et inculcantur. Hoc tantum dico: quid absurdius stultiusque quam id genus hominum quo de nunc agimus velle illius esse ordinis cuius veteres, ut Cicero, fuerunt? Quid enim ad hanc novitatem facit antiquitas? Verum adhuc, quod nescis, ille extat ordo: ex quo qui et olim fuerunt et nunc sunt nunquid

ista ratione vocati sunt vocanturque 'equites'? Nam quid simile inter hos et tuos? Tolerabilius si dixisses 'equites' ad exemplar eorum qui equo merebant atque hodie merent (siquidem et vocabantur 'equites' et vocantur, unde 'equitatus', sicut 'peditatus' eorum qui pedibus militant), nec addidisses 'equestrem ordinem': etenim equestris ordo non nisi Rome fuit estque, qui et ipsi vocantur 'equites' quod videlicet equo debent militare. Itaque cum istos appellas equestris ordinis id agis ut unusquisque eques romanus ista sit preditus dignitate et quisquis ista preditus est inter romanos numeretur equites: quorum sive utrumque sive alterutrum affirmaveris, quominus te luto incessamus ut fatuum recusare non potes. Alioquin, quis non fateatur suum Romanis nomen, quod est 'equester ordo', suumque militibus qui equo militant, quod est 'eques', etiam domi peculiare Romanorum, esse relinquendum, ne maiestatem horum nominum quasi consecratorum profanemus, et nove rei novum accommodandum? Ex his constat quam eruditos existimem quicunque illi sint quos appellasti eruditos; neque enim carior erit aliorum mihi dignitas quam mea. Ego neminem nomino, ut nemo mihi apud sese possit irasci, nedum apud alios, apud quos de suo, si volet, errore necesse habebit confiteri, si audebit de me queri.

«Atque ita ad imperatorem capti perducuntur. Quo ille spectaculo ita magnos risus excitasse fertur, ut vix unquam sit visus risisse hilarius.

Non intelligis, imprudens, te gravissimum virum et regem summa notare levitate? Nihil profecto minus verisimile: quid enim dignum tanto cachinno affertur?» An ego imprudens sim postea videro, interim te talem esse tua est testis oratio: velle enim alterum ostendere imprudentem et causas cur ita sit non dico non posse, sed negligere afferre, non alienam sed suam imprudentiam indicat. Esto sane ut

haud decenter inducam Ferdinandum, etiam, ut tu affirmas
(quod nescis), gravissimum virum, etiam (quod mentiris) regem,
cum longe abesset ab regni spe, in risus solutum atque, ut tu

[Page 237]

affingis, in cachinnum, quid respondebis legentibus? Finge
enim te ab illis interrogari, ut certe tacito interrogant: 'Quid
est cur Laurentius fecerit imprudenter? An non rident et principes
usque ad cachinnum, cum cachinnandi offertur occasio?'
At non fuit, inquires, materia tantopere ridendi. Tu potius imprudenter,
qui cur huiusmodi materia non fuerit reticuisti! Quis
enim iudicare queat de causa non cognita?
«An quod videat rex miseros captivos sue gentis cultu
corporis preditos? O singularem hominis prudentiam, o singulare
iudicium! Ubi est acumen tuum? Ubi illa ingenii vis? An
tibi iusta videtur causa cur regem cachinnantem inducas miserorum
captivorum in sua veste conspectus? An illud fortasse
te movit quod postea subiicis, puduisse captivos quod in tali
habitu cernerentur? At te magis pudere debuit, Laurenti, isto
modo scribere. Quid enim erat cur captivi pudore affici deberent,
si suis armis quoque habitu ornati erant? Magis profecto
illis erubescendum fuerat si in romano cultu et in romanis
armis conspecti essent. Qua vero eloquentia et gratia ista explices
omitto.» Quis non modo iudicet an vere reprehendas,
sed intelligat omnino quid sentias? Que imprudentia maior
sit an stultitia dubito. Percontaris enim me cur ille riserit, quasi
ego non dixerim causam; percontaris rursus an iusta causa sit,
quasi causam dixerim; percontaris an ideo riserit quod videret
captivos sue gentis more vestitos, quasi hec possit esse causa et
hic nunquam illam spectasset gentem ridiculusque sit ille habitus
et illa armatura; percontaris iterum an ideo riserit quod
captivos pudere sui habitus, quasi causa esse possit aut illis pudendi
ob patrium habitum, aut huic ob alienum pudorem; percontaris
denique an aliud quiddam me moverit, quasi hoc percontari
oporteat. O te nescio quo nomine appellem, ita es bestia
non loquens, sed coaxans! Et poteram quidem hac imprudentie
et stulticie tue confutatione contentus esse! Sed malo legentes
totius rei iudices facere, subiiciendo ad litteram verba historie:
'Iussique non descendere ab equis, sed longa se cuntos serie'

[Page 238]

*colligare fune, quem victores deiecerant. Ita vinci ex alveo processerunt,
scutis ex corio factis (qualibus Mauri semper atque Afri
sunt usi), ad sinistram partem ephippiorum appensis, lancea super
dextrum femur iacente. Atque ita cum inauratis calcaribus aliisque
equerorum insignibus, cum magna deducentium exultatione quod
hoc sua arte potuissent, ad imperatorem deducuntur. Quo ille spectaculo
ita magnos risus excitasse fertur, ut vix unquam sit visus risisse
hilarius, dixisseque, circumfusis investigatoribus ac pre victoria
gloriabundis, quoniam puderet captivos in illo cultu conspici, exuerent
et sibi haberent, significans per lusum illorum spolia se dono
dare iis qui cepissent.'*

Vides que per te exponenda fuerant.

Vides quam multa Dempseris. Vides quis cultus sive habitus
fuerit illorum. Quid eos puduerit? Quid Ferdinandus riserit?
At levem facio Ferdinandum qui ob hoc riserit. Sit ita sane:
excesserit, quod est longe secus, modum ille risus. Meum tamen
fuit non laudes tantum eius exequi, verum etiam siqua minus
laudanda egisset, more eorum qui Philippi, qui Alexandri, qui
Cesaris aliorumque principum gesta scripserunt. Tibi fortasse
conveniat mentiri, qui soles. Nec aīs esse verisimile quod tot
graves viri qui affuerunt verum fuisse testantur. At satius
erat illum non accusare levitatis. Censoria castigatio! Quid?
Crassum ne, quem semel in vita risisse Lucilius scribit, vis esse
debusse iuvenem ducem inter milites, victoria ac ludicro exultantes?
quasi non videamus quotidie regem filium similiter
agentem, qui multo maior est natu. Quod si, ut verum notumque

est, ille magnos hilaresque risus excitavit, quid ni?,
eum tu damnare iudicandus es ut levissimum: quod tantum
abest ut ego faciam ut etiam defendam, parum dico, ut laudari
posse affirmem. Nam ita sentio risum hunc dignum hilari duce,
dignum forti, dignum christiano fuisse, cum videret trecentos

[Page 239]

non modo suos sed etiam religionis hostes, qui ad perniciem
nostrorum iureurando adacti venerant, tanto astu interceptos,
tam inusitato incredibili genere devinctos, et in tantam
omnem exercitum alacritatem, plausum, exultationem effusum.
Tu melius, qui doles vicem hostium religionis, qui totiens
illos miseros vocas, qui nostros victores cum suo duce reprehendis
quod miserorum non miserentur! Quasi in triumpho ubi
victores ante se agunt captivos civitas victrici succenseat exultationi
ob misericordiam erga captivos. Vere scytha et vere maure,
qui victoribus irasperis Christianis et victos miseraris maomettanos
ut miseros. Cur tandem miseros? Utra maior eorum pena
aut culpa? Certe culpa. Nam pena prope nulla est. Quid igitur,
ut ceteros taceam, mihi casum illorum non ita miseranti facis
invidiam? Sed, ne sine exemplo transigamus hanc de risu
questionem, audi Livium: ‘Petissent ne Peno bellum Italie
inferenti per agros urbesque suas transitum darent, tantus cum
fremitu risus dicitur ortus ut vix a magistratibus maioribusque
natu iuventus sedaretur; adeo stolidi impudensque postulatio
visa est.’ Uter risus verisimilior? uter dissolutior? ridentis argutiam
illam militum in castris, an verba legatorum transitum
ne darent Penis postulantum in senatu? Et alibi: ‘Barbarus
eum quidam palam ob iram interfecti ab eo domini interfecit;
comprehensusque a circumstantibus haud alio quam si evasisset
vultu, tormentisquoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris ut,
superante letitia dolores, ridentis etiam speciem prebuerit.’ In
tormentis suis credibile est risisse aliquem, in alienis incredibile
erit? Ne aliud dicam. Illud vero an grammaticae dicatur ‘in sua
veste conspectus’, Priscianum consulito.

3.5.

V. «*Pegna amatorum, hoc est petra amantium.* Non illi profecto
tam amantes erant quam tu amens, qui verbo incognito uteris.»

[Page 240]

Amens ne sum qui hispanum loci de quo narratio est verbum
interpretor? Siquidem ita a me scriptum est:

*‘Insidebat speculator
in edita petra inter utraque urbem pari intervallo, nomine
Penna amatorum, hoc est petra amantium.’*

Ideo autem ‘amatorum’
in ‘amantium’ transtuli, quod litterate ‘amator’ ad virum
tantum pertinet, ‘amans’ ad feminasquoque. ‘Pegna’ apud Hispanos
‘petra’ dicitur. Quod si Salustio licuit sine interpretatione
dicere usque ad ‘declivem latitudinem, quem locum Catabathmon
vocant’, qualia exempla sunt infinita, cur mihi
quod hispanum vocabulum interpretor, vitio detur? At
enim addis: «Et fabulam pro vera accuratissime scribis.» Nisi
eam subiicias ad verbum, quis iudex esse poterit nisi ut me absolvat,
immo adeo te condemnnet talione? Credas enim iudicium
huius litis talia erga te esse verba: ‘Unde scis, Bartholomee,
fabulam a Laurentio, non historiam narrari? Quomodo probas?
Qua coniectura colligis? Quibus testibus doces? Nihil omnino
affers. Tu igitur nobis amens videris, non ille.’ At mox amentiam
hanc compensas acumine platonico, inquiens: «Quam postea
abs te non credi inquis. Hec enim verba tua sunt:

*'Huius
nominis causam, quia non iniocunda auditu est, satius est perstringere
quam omittere, iuvenis quidam'*

et reliqua. Subinde dicis:

'Quod ne credam, sequentia inducunt.' » Nullum deus animal neque volucre, neque terrestre, neque aquatile genuit insidiosum aliis, quod non vigeret ingenio, preter quam hominem: ita multos videre licet stolidos et tamen malitiosos voluntatemque summam decipiendi habere, facultatem nullam, id quod in nostro correctore, cum ex superioribus constat, tum vero ex hoc loco, ubi alterius et longe sequentis negationem sententie superiori applicat, ut altera alteram collidat, quasi estus et gelu eodem anno nequeant esse quia repugnant: que malitia quam stolida sit verba historie, que ipse non est ausus ponere, testantur.

*'iuvenis quidam (nomen non traditur, nec patria, sed tantum
natio, quia esset hispanus) seu bello, seu latrocinio captivus,
Granate duobus tribus ve annis servitutem servivit, utente domino*

[Page 241]

*sua opera in rebus urbanis atque domesticis. Filia capta tum forma,
tum nitore lingue, tum liberalibus moribus adolescentis, hominem
illexit et ipsum mutuo flagrantem specie puelle et elegantia. Idem
cum viderent nec impresentiarum liberam sibi esse consuetudinem,
nec diu futuram, cum alter servus esset, altera nubilis, preterea
periculosam utriusque rem atque capitalem, constituerunt per occasionem
ambo fugere; sed adolescens honestius quod ipse ad suos, illa
a suis abibat: nisi religionis ratio constituit, quod ne credam sequentia
inducunt.'*

Non rem gestam nego, sed causam fuge fuisse
religionem, quod probat finis narrationis, que verba iste malitiosorum
stultissimus et stultorum malitiosissimus, ne dolus
suus deprehenderetur, prevertit tenoremque rei interruptum alio
diverse et procul posite materie capitulo.

*«Huius eventus et si non nihil me quoque miseratio subit,
tamen misericordia indignos ob id fuisse apud Deum existimo, quod
et pueri amores suos videtur, non deum secuta et iuvenis audacior
fuisse cum rapina ad se vindicandum in libertatem quam prius sine
rapina; que causa ut iter sibi tardius et persecutores aciores et
minorem spem venie pararet extitit. Preterea neuter in extremis
suis rebus bene de Dei bonitate sensit.»*

Quid aliud agunt hec
verba nisi affirmant me sentire rem quidem veram fuisse, sed religionis
causam afuisse? Nunc inspiciamus quid tu eis opponis.
«Inepta sane et inconcinnia sententia, tum rationibus,
tum verbis: in quibusque enim rebus vel minutissimis philosophari
vis. Non ita Livius, non ita Cesar, quorum opera percurrisse
te concedo, sed certe eorum virtutes haudquaquam intellexisse.
Ubi enim incidit quicquam grave et dignum memoria,
sententiam afferre et quid probes improbes ve explicare non
incongruum puto, si modo id raro et moderate facias.»
Quid tua stultius oratione? Qui dum ex auctoribus verva aucuperis,
que apud te suum decorum perdunt, nihil quid loquaris

[Page 242]

attendis. Proponis quod sententia mea est inepta sane inconcinnaque,

tum rationibus, tum verbis; deinde rationem subiungis
quod ubique philosophor, quod non factitarunt Cesar et Livius.
Quid ratio hec ad propositionem? Fac me nimium esse in sententiis
frequentandis, quod tu philosophari vocas: quomodo
probas perineptam hanc perque inconcinnam esse sententiam?
Hoc non facis, quod unum est peccatum vel stultitie, vel calumnie
tue; alterum, quod ratio ipsa non patet: non enim probas
me vel in minimis philosophari seu passim frequentare
sententias; tertium, quod sententiam a rationibus, tanquam diversa
sint, separas; quartum, quod nescis quales historici sint
aut certe tuo more dissimulas. Quis crebrior in hoc genere
quam Salustius et cuius hic emulus fuit, quem tu non vidisti,
sed de quo legisti, Thucydides? An non legisti Ciceronem ita
scribentem: 'Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia
facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia ut verborum
prope numerum sententiarum numero sequatur, ita prorsus
verbis aptus et pressus ut nescias utrum res oratione an verba
sententiis illustrentur.'? Quid plura? cum Lucius Florus atque
Iustinus qui epithomata scripserunt huiusmodi sententiis redundant.
Nisi, quod magis te velle dicere existimo, ideo mea
est inepta, ideo inconcinna sententia quod de re christiana loquitur,
quodam historie de honestamento. Honestius igitur Livius:
'Eludant nunc antiqua mirantes: non equidem siqua sit sapientium
civitas quam docti fingunt magis quam norunt, aut principes
graviores temperatoresque a cupidine imperii aut multitudinem
melius moratam censeant fieri posse'. An Livio licuit,
contra Platonem, Aristotelem, Theophrastum aliasque qui de
re publica preceperunt, ut tu appellas, philosophari pro re publica
romana, mihi, contra neminem, pro re publica christiana
non licebit? Sed hec satis. Illud ad extreum abs te quero,
quid ita dixisti 'in historiis dignum memoria'? Nonne quecunque

[Page 243]

historici memorie mandant sunt digna memoria? Quid
etiam 'sententiam afferre' potius quam 'sententia uti'? Verum
hoc in verborum vitiis notandum erat, tamen et hic quoque
convenit, ut intelligas non me, sed te labi in rationibus sive
sententiis et verbis tum ineptis, tum inconcinnis. Nunc
respondebo illi particule superioris reprehensionis que abs te
post hunc locum erat ponenda: «Et multis verbis explicas quod
te paucis complexurum promiseras.» Quomodo tu istud iudicibus
probas? Dimisisti multas iam in urbes huius contra me
operis exemplaria citra exemplar historiarum mearum: sine
quo qua ratione legentes poterunt tuam accusationem veram
iudicare? Hoc stultitie tue argumentum comitatur calumnia,
que manifesta est iis quibus historias ipsas ostendo, quibus non
longa narratio videtur, sed tu longe stultissimus, malignissimus,
indocissimus. An non Livius sic inquit: 'Operे pretium videtur
excedere paulum ad enarrandum quam varia fortuna usus
sit in amittendo et recuperando paterno regno, militans pro
Carthaginiensibus Massinissa'? Deinde exequitur hanc rem circiter
ducentis versibus et quadruplo pluribus quam mei.

«*Ex quo intellectum est, quod diutina desuetudine dedidiceramus,*
non pluribus lignis opus esse ad cremanda humana cadavera,
presertim, ut tum erant, solibus inculta et adipibus qui defluebant
nonnihil alimenti flame prebentibus.

Feda profecto et tragica,
non historica narratio:
Quodcunque enarras mihi sic incredulus odi.»
Vix unquam propositioni ratio respondet: proponis quod
fedum dictu; auctoritatem Horatii pro ratione affers quod incredibile
est. Prius ad versum Horatii, deinde ad propositionem
tuam paucissimis respondebo, postea aliquid adiiciam exemplorum.

[Page 244]

Horatius non vult in scena propalam fingi Medeam
filios trucidantem et Atreum liberos fratri coquentem, que

cum facis inspectante populo sunt et incredibilia et invisa. At cremari corpora defunctorum in publico tam verum quam usitatum fuit. Quod si semel fiat seculo nostro, num tetrius erit quam olim fuit? num tragicum, et, si tragicum, non tamen protinus ab historia alienum? num fedum relatu, utique in hostibus et agarene superstitionis? Cornelius Tacitus: 'Fedum atque atrox spectaculum: intra quadragesimum pugne diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque forme, infecta tabo humus', et Virgilius de Cyclope, Homerum secutus, cuius hi sunt versus:

???? ??? ??????? ? ?? ???????? ????? ???
????'. ?? ?' ???????? ??????? ???, ??? ?? ?????...
????? ? ?? ?? ??? ???????????, ???' ????????,
?????? ?? ????? ?? ??? ????? ??????????...
?????? ?' ??????? ??????
????? ?' ??????????. ?' ??????? ???????????.

Vidi egomet duo de numero cum corpora nostro prensa manu magna medio resupinus in antro frangeret ad saxum sanieque aspersa natarent limina; vidi atro cum membra fluentia tabo manderet et tepidi tremerent sub dentibus artus.

Mox deinde:

saniem eructans et frusta cruento per somnum commixta mero.

Ovidiusquoque Virgilium emulatus:

Temporis illius quo vidi bina meorum ter quater affligi sociorum corpora terre.

Cum super ipse iacens hirsuti more leonis visceraque et carnes cumque albis ossa medullis semianimesque artus avidam condebat in alvum.

[Page 245]

Mox deinde:

Mandentemque videns eiectantemque cruentas ore dapes et frustra mero glomerata vomentem.

Ideo studiosius ex poetis protuli exempla, quod Horatius in isto precepto, quod tu ad artem historie probandam attulisti, loquitur de arte poetica.

«*Imperator iubet aggerem devolvi in fossam ligonibus, bidentibus, marris.*

Curiosus es in enumerandis omnibus instrumentis; sed cur non et corbes et cophinos addidisti, quibus terra ex fossa transfertur et qui in opere desudantibus potum ministrarent? Non intelligis in hac parte quam sis brevitati contrarius?» Si dixissetem 'omni genere instrumentorum', fuisse, si te audire volumus, brevitati amicus; nunc quia idem totidem verbis explicui, sum prelongus. Cur ergo Livius inquit: 'Secures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in quadraginta naves longas opus esset'? Et postea non pudet te iocari velle percontarique cur non et corbes et cophinos addiderim, nec intelligis cophinos et corbes non facere ad aggerem in fossam devolvendum; neque in mentem mihi venit de potum ministrantibus facere mentionem, quia non sum tantopere ut tu potus amator, vini inquam potus, quo tu plenus eras cum hoc scribebas 'quibus terra ex fossa transfertur', quasi ego de terra que egereretur ex fossa dixerim et non de ea que ingereretur in fossam.

«*Quod superioribus diebus impedimento fuit, committones, id satis emendatum videtis.*»

Cur plerunque verba mea minus fideliter reddis, cum putas reprehendi non posse? Ego sic scripseram: 'id emendatum satis est, ut ipsi videtis'. «*Quod reliquum est, non nisi in vestra manu positum est.* Falsa est hec propositio: nam et si parata omnia, tamen multa

fert casus, multa fortuna, in rebus bellicis.» O gravitatem

[Page 246]

senatoriam, o censoriam severitatem, o sapientiam singularem!
Quis tam stultus est, quis adeo dei ac fortune immemor qui
nesciat cuiuslibet rei momentum positum esse in fortune manu?
Ideoque in consiliis fere de illa tacetur ut quam nemo prestare
possit. 'Faciat fortuna quod voluerit, legatus a precepto non
recedat' Quintilianus inquit. Talibus exemplis refercta sunt
omnia. Ubi non legimus 'in vestra manu res posita est,
in vestra manu est, Quirites?
In manibus vestris, quantus sit Cesar, habetis
sic apud Lucanum Cesar alloquitur milites, iam prelum initurus.
Hanibal apud Livium ait: 'Si tales animos in prelio
habebitis quales hic ostendistis, vicimus'. Stulte haud dubie
Hanibal, stulte Livius quod non sic potius dixit: 'Quantunlibet
virium, quantumlibet audacie, quantumlibet scientie rei
militaris in prelum afferatis, nihil proficitis nisi fortuna, in
cuius manu sunt omnia, nisi casus assit.' Hunc in modum
censes a duce Ferdinando fuisse milites alloquendos, fatue ac
furiose, cum presertim non ad rem militarem hoc tantummodo
pertineat, sed ad cuiuscunque rei consultationem. Neque enim
plus regni bellicis in rebus fortune est quam in navigationibus,
in re rustica, in negotiationibus, in matrimonii, in liberorum
proventu ceterisque id genus, quoniam fortuna nihil aliud est
quam deus qui moderatur omnia aut ipsius dei moderatio: ex
quo nemo quippiam aget, quippiam consultabit, quippiam futurum
sperabit, isto metu fortune.

3.6.

VI.

«*Multi nec opinantes domi sunt oppressi; horum unus etiam texens, qui cum audisset urbem expugnatam non obseravit fores, non fugit, non etiam surrexit, sed tanquam fieri non posset, texere*

[Page 247]

perseveravit: atque ita sedens telam suam, antequam detexta esset, sanguine suo tinxit.

O imperitum hominem! Miror equidem
cur et alium mingentem non induxeris. Hoccine est historiam
scribere? Hoccine est illustrissimi et maximi regis res gestas
commendare? Huiuscmodi res, presertim tam inepte, historie
immiscere?» Quid est quod verba mea derideas, quod hanc
narrationis partem contemnas? Nunquid Ferdinandum facio
texentem aut texentium interfectorum? An non etiam parvis in
historia locus? Certe, si saperes, multum hec res ad admirationem
victorie facit, quod rem Ferdinandus effecit etiam hostium
opinione maiorem. Omitto infinita minutarum rerum exempla
inter maximas insertarum. Quantopere me derideres si, ut
facit Livius, dicerem Gallum illum qui Romanos ad singulare
certamen provocabat, exerta lingua, pre contemptu hostis, processisse?
Ceterum nullum fuerit similius quam quod idem Livius
de Archimede refert in Syracusarum expugnatione: ‘Et
custodibus dimissis per domos eorum qui intra presidia romana
fuerunt. Cum multa ire, multa avaricie exempla ederentur,
Archimedem proditum est in tanto tumultu, quantum capte
urbis in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum
formis quas in pulvere descripserat ab ignaro milite quis esset
interfectum.’ Non comparabo inter se opera, non excutiam
utrum verisimilius. Certe ut alia paria sint in utroque, plus illud
in nostro est quod ducis vincentis gloriam auget. Et tamen
tu, luvenalis versibus a tuo Panormita depravatis, convicium
facis: «Frange igitur calamos vigilataque prelia dele, / queque
facis dona Veneris, bone Valla, marito.» Pereque te irridere alios
decet ac Gallum illum, de quo modo dixi, decuit, vel potius
pereque ac simiam illudere nobis decet, cum aut nudatos
dentes quatit, aut rugatum rictum cum deformi cavo protendit.
Verum, quasi nolis hoc reprehensum, ut es ubique inconstans,
subiicis: «Licuit tamen tibi et huius rei mentionem facere

[Page 248]

si modo illam apte et cum aliqua dignitate verborum expressisses,
hominis constantiam laudans atque ostendens tantum in eo
mortis contemptum fuisse ut, cum patriam expugnatam diripi
et cives passim cedi videret, tamen interritus ab opere non
discessit, donec texendo perseverans occisus est. Sic rem cognitione
et admiratione dignam effecisses, que isto modo puerilis
atque irridenda est. Preterea quam arida quamque exanguis sit
ista oratio aliis iudicandum relinquo.» Supersedeo de dignitate
verborum loqui; rem ipsam spectemus. Velles me virum
fortem et mortis induxisse contemptorem. O effutiens verba,
non promens, qualis non fuit, talem a me iubes induci? Non
ego poeta nunc sum, non Bartholomeus Facius, qui cum poetas
ignoret, tamen in historia poeticam fingendi licentiam, non
historicam sinceritatem solet imitari. Cur non Livius Archimedem
talem induxit, potius quam ab alienatum a sensu civitatis
que diriperetur, intentum figuris in pulvere describendis? cum
deceret eum virum, qui suo ingenio patriam tam diu ab hoste

romano tutatus esset, non ad pulvisculum segniter, sed ad murales machinas fortiter oppetere mortem. Quanquam, o terque quaterque vesanum, in cuius, nisi furiosi quale tuum est, ingenium cadit ut, cum fugere possit, cum vitam suam suorumque ferro defendere, cum denique, ut virum fortem decet, inter confertos hostes dimicantem honestissime occubere, malit domi manere patentibusque foribus hostem opperiri et sedens inersque, nulla voce, nullo gestu, nulla operis intermissione trucidari? O rem inauditam, o telam pretiosam ac cruento emi dignam, texere perseveravit qui mortem contemnebat! Dii te perdant, quos deierare ac peierare soles, pluris ille telam quam vitam fecit? Quo enim texeret qui iam vivere negligebat? Hunc tu virum laudas? Hunc admiraris? Hunc cognitione ac predicatione dignum existimas, quem omnes etiam immanium ferarum truculentiam iudicent excessisse? Atque hoc depravatissimi iudicii tui insigne documentum est, sed non minus insigne illud vacuefacti cerebro capitum.

[Page 249]

Audite, audite hominis acumen ac circumspectionem: ait illum vidisse patriam expugnari, diripi, passim cives cedi et tamen ab opere non discessisse, sed texere perseverasse; intus igitur eodem tempore ac foris fuit, domi texebat et idem per urbem vagabatur, prorsus Amphitrio geminus et geminus Sosia, ut Plautus inquit (nam alteri intra domum, alteri extra domum erant, sed non utrique veri). Cui tanta sermonis absurditas nisi Fatuo excidisset? Nisi te ob hoc defensum iri speras quod idem putasti posse contingere in textore quod in sutore, quod tu ministerium cum patre tuo factitasti sedens extra limen et que per vias geruntur inspiciens. Agnoscis iam, Fatue, utrius oratio puerilis sit, utrius irridenda? quam puerilitatem absurditatemque illud quoque indicat quod ais orationem meam aridam atque exanguem, quod, et si cur dicas non agnosco, cum presertim brevitatem sepe in me requiras, tamen in re ut tu insimulas minuta atque humili non multum desideratur carnis et sanguinis, licet tu ubique sis talis quotiens talem esse non oportet.

«*Re bene ac feliciter gesta, proceres, exacta iam estate, appetit autumnus, ut quicquid ante hyemem agi posset, id non magni sane momenti esse cendum sit*».

Hanc meam ad litteram subiicit orationem, quam id eo non subiiciendam quia non defendendam mihi statuo, quippe cum nihil adversus eam nisi nugatorium frivolumque opponat, cuiusque quicquid reprehendit id fere in accusatione repeatat.
«Quid erat opus, artificiose rhetor, hac artificiosa exornatione? Quo spectat? Quid agit? Quid sibi vult? Dixeras ante non iudicio, non iure, sed factione, potentia, armis de regni Aragonie possessione agi; postea hec subdis, inducens argumentum a minori, quasi ea res obscura sit vel in dubium venire possit. Si, postquam dixeras non via iudiciorum sed potentia et armis certari, statim subdidisses illud quod abs te post argumentationem

[Page 250]

hanc dicitur

‘*armis ac potentia contra hostem armatum ac potentem opus est*’,

belle a te dictum confiterer: itaque totum illud abs te superflue ac vitiouse prolatum puto. Nec profecto minus improbo subsequentis argumentationis tue in tot capita distinctionem: cum enim ostendere propositum sit discordiam inter Hispanie et Aragonie reges oriri posse, quid oportebat enumerare causas unde bella oriri soleant? cum satis

esset id modo dicere posse aliquando bellum inter ipsos reges excitari, quod si accideret fore ut gravissima belli necessitas hispano regi incumberet: presertim si ad aragonici regis partes barbarus rex accederet. Et in demonstrandis utriusque regis opibus non erat indecens te longiorem esse.» Tota generis huius est accusatoris nostre orationis notatio, prorsus inepto, imperito, perverso, fatuo digna: ut prope sit eque ineptum has nenia confutare conari, cum presertim sint animi iudicium a fastidio prohibendi, quantum in nobis erit. Quare potius ei respondendum loco qui sequitur.

«Sed in eo scilicet occupatus es ut doceas bellum aut odio, aut similitate, aut invidia, aut metu, aut avaritia nasci solere; quasi vero non aliis de causis bellum oriri possit. An ignoras interdum suspicione iniurie, interdum aliena gratia, interdum feminarum raptu, vel alia huiuscemodi gravi causa atrocissima bella suscitari? Sed non erat opus hoc loco, bone orator, ad eas species devenire que magis ostentationem quandam artificii quam prudentiam significare videantur. Mihi crede, nisi ingenii tui rectum ac sincerum sit iudicium, frustra laborabis cum artificio tuo.» Dii tibi dent que optas et si male optas dent bene optare, qui me tam amice, fideliter, prudenter admonuisti stultitiae mee. Itaque ut tibi credam, quod iubes, animum induco, sed unus restat scrupulus qui me male habet, ne tu sis multo me stultior qui me precipis, inquiens interdum suspicione iniurie oriri bella: si de facienda iniuria

[Page 251]

sentis (nam obscure loqueris), quis inops mentis non intelligit metum causam belli subesse? sin de facta, bis stulte locutus es, semel quod temerarii est hominis iniuriam, quam sibi factam esse pro exquisita explorataque non habet, malle ulcisci quam certius explorare; iterum quod species est simultatis et odii. Nam odium et simultas ex iniuria nascitur, veluti si suspectur rex aliquis contra se ab altero rege sumissa hosti suo militum auxilia, que fuit frequentissima Romanis et sola prope belli inferendi causa, videlicet ob ulciscendam iniuriam. Cuiusmodi etiam est ob raptum feminarum, quale fuit bellum inter Grecos atque Troianos, Grecis iniuriam ulcisci volentibus. Iam vero aliena gratia movere bellum non minus stolidae, quam superiora, abs te dictum est: qui enim pro alio bellum suscipit easdem causas belli proponit quas ipse ille cuius suscipit partes, nec suo sed alieno se nomine agere testatur, ut aut propulset que infertur iniuriam, aut ulciscatur illatam, aut illam inferre volenti se vel ducem vel comitem prebeat; que iniuria ex aliquo a me enumeratorum fontium emanat. Quocirca dabis veniam si tibi magistro tam rudi atque hebeti fidem non habeo. «Quid, quod in eadem re tibi ipsi non constas sed aperte contradicis? Hec sunt verba tua, ne calumniari me putas:

'Etenim
si alias quam ego rex Aragonum creetur, inter quem ac regem Castelle, ut memoria patrum scimus accidisse, discordia, ex qua bella oriuntur, incidat, an speramus occupatos nos duplice Marte ex utrisque hostibus victoriam reportatueros, aut Granatam expugnaturos?'
Paulo post subdis: 'Castelle regnum in omni Hispania maximum est. Hoc cetera regna non dicam oderunt invidenterque, certe metuunt et ab eo, sicut infirmiores quadrupedes volvres ve a leone aut ab aquila, cavent. Nam rex Aragonum et si prepotens est ac maris, ut ait, dominus, tamen eius vires multo minores fama sunt. Quid enim Sardinie regnum, male pacatum ac prope Catalani

[Page 252]

*nominis inimicum, adiuvaret Aragonie regem bella gerentem cum
rege Castelle? Quid Sicilia, que vix didicit iugum ferre alienigenarum,
queque, ut audio, iam nunc non satis quieta est? Omnis igitur
vis ac robur regis illius residet in Hispania; que Hispania nequaquam
cum nostra est comparanda.'*

In priore parte ostendis
timendum esse hispano regi discordiam ac bellum aragonici
regis: tua enim verba hunc sine dubio sensum habent ut sit
timendum ei si aragonicus rex cum barbaro se coniungat, ne
hispanus rex utrisque resistere non possit. Sed contorte sententiam
istam dicis.» Immo tu contorte et stolide. Contorte
quidem quod, ut me corrigeres, regem Castelle in regem Hispanie
mutas, quasi quatuor alii non sint et ipsi reges Hispanie, sed
transmarini; stolide autem quod istud ego nec dico nec sentio regem
Castelle utrique regi Aragonie Granateque non posse resistere,
quasi ab his ei bellum sit inferendum, sed non facile de
ambobus victoriam reportaturum et utriusque urbes expugnaturum.
An parum interest non facile sperare victoriam debellationemque
hostis et hoc ipsum ab alio timere? Ne longius
exempla repetam, in hac ipsa Hispania nonnullae urbes a Romanis
omni conatu expugnari nequerunt, ad Augusti usque memoriam,
ut Livius testatur; et in tua Liguria, si modo ligeret non
scytha es, castella quedam adversus romanam potentiam plurimis
annis in contumacia perstiterunt. Nunquid populus romanus,
quia pene desperabat hec expugnare, iccirco ab iis
quicquam periculi, nedum debellari timebat? Impedimentum
minoribus ab hostibus rerum consequendarum, non partarum
amissio perniciesque metuitur. Itaque si Castelle rege Granatam
obsidente, rex Aragonum barbaro suppetias eat, non verendum
esse illi significo ut Castellam amittat, sed ut obsidionem
omittat. Quare stolide tanquam contrarium subdis:
In posteriore vero parte ostendis non esse metuendas aragonici
regis vires Hispano, quoniam Castelle sive Bethice et Lusitanie
regnum, ut antiqui dicerent, omnium regnorum Hispanie maximum

[Page 253]

atque opulentissimum sit et ceteris omnibus regnis formidabile,
quod regis aragonici vires minores fama et opinione hominum
sint, quod Sardiniam inimicam habeat, quod Siciliam
inquietam et rerum novarum cupidam, quod denique omne
robur in ea Hispanie parte quam tenet positum sit, que cum
ulteriore Hispania nequaquam sit conferenda.» Et hoc quoque
mentiris, cum ego non dicam non metuendas, sed minores,
sed non comparandas, sed a socio bellorum rege Granate
dissiunctas minus posse, eoque minus, non autem omnino non
timeri. Quemadmodum leo aquilaque (ut in eodem simili verser)
vix unum quodlibet animal, hic quadrupedum, illa volucrum,
tanquam sibi letiferum extimescat, sed extimescat tamen
ut quodque proxime ad vires ipsius accedat, multoque magis
illorum gregem; et plurimum, ut enim iurisperiti testantur, interest
inter atrocem et qualencunque metum. Quare, ut
finem faciam questionibus primi libri, palam est te perperam
interpretari verba mea, non modo quasi nihil prorsus vires
Aragonie metuendas esse Castelle sentiam, verum, etiam si
paulo plus metuende essent, non tamen protinus hanc esse
sententiam priori contrariam: aliud est enim oppugnare, aliud
repugnare posse, item aliud certare, aliud vincere, sicut aliud
metu fugere, aliud cum metu pugnare.

3.7.

VII.

«*Hic cum cerneret regem subinde orationi sue, ut putabat, indormientem, quod oculis conniventibus capiteque demisso sterteret, intersistebat. Rex contra, cur interquiesceret animadvertisens, iubebat eum pergere: non enim se dormire, et si clausis oculis sterteret, aut si corpus pre morbo dormiret, non tamen dormire animum.*

Hoc
quidem in primis contra precepta narrationis de verisimilitudine

[Page 254]

abs te dictum est: non enim solum veram, sed etiam verisimilem narrationem esse oportet, si sibi fidem vendicare velit.
Cui enim credibile videatur regem legatos audientem non dicam stertere sed dormire? An tibi parum videbatur esse illum dormientem facere? An ignoras id indecorum regie maiestati esse?
Non regem, sed ebrium quandam hominem videris velle demonstrare, quem si animi torpor, ex corporis languore proficiscens, interdum rapiebat, tamen stertentem inducere vitiosum fuit. Scribendum est enim sic, bone magister artis, ut personarum dignitates serventur: alioquin probabilis non erit narratio sibique fidem derogabit.» Quid reprehendam te quod artem oratoriam non teneas? qui me sribentem historias ad precepta iudicialis revocas narrationis et non potius ad precepta de apte dicendo, quique vis utique veram narrationem esse debere que ut sit verisimilis precipitur, sive vera sit sive ficta (siquidem factis nonnunquam est locus, etiam citra veritatis iniuriam, Cicerone dicente: ‘et ficte narrationes sepe ponende’). Quid in hoc te reprehendam cum nihil scias e rebus humanis? An, ut taceam cetera, non satis in se violentie lethargus habet ut hominem cogat stertere? Consule medicos, sciscitare proceres catalanos natu grandiores qui huic rei affuerunt et disces, cum ceterorum lethargicorum, tum vero Martini regis dormiendi stertendique assiduitatem. Et nihilominus hec mea verba sunt, ne causeris parum a me significatum esse:

‘Nec
magis nomine suo lugendus quam patris, cui unicus erat iam senescenti, neque tam etate (unum namque et quinquaginta annos natus erat), quam habitu corporis, obesi nimium ac prepinguis et vetero gravescentis. Accedebat his et etatis et corporis incommodis quartana, malum in primis gaudio letitiaeque curandum. Sic affecto nuntius de morte filii affertur’

et reliqua. Veternum autem idem quod lethargum esse volunt, quod assiduum soporem inducat: huius tu vires, homo imperitissime, ignoras et ais ‘rapiebat interdum’; scilicet furor, qualis te rapit interdum, fuit, aut comitialis et

[Page 255]

non assiduus morbus. Quid reprehendam te quod eandem sententiam iteres et inculces quod ars fieri vetat, cum ita rerum sis imperitus ut putas ebrium quenque qui stertit et, quod non minoris inscitie est, a dormiente exigas ne stertat, presertim egroto, quasi prestare hoc dormiens possit egrotusque? Quid reprehendam te quod corruptis utaris verbis, cum etiam mea verba corrumpas, seu sententias potius, qui ais regem dormisse, quod ego non modo non dico, sed etiam plane nego, quod non tantum non sentio, verum etiam ne sentiri a legentibus queat operam do, quod denique non solum non fuit, sed ne fieri quidem potuit, cum legatum interlocutus sit et se

nequaquam dormire testatus, prout ipsius responsio plena prudentie,
gravitatis, meditationis extitit documento. Quare
tuam magis indicas tum calumniam, quod ais a me derogatum
esse regie maiestati quia dormientem stertentemque fecerim,
tum stultitiam quod derogandum potius censes veritati quam
hominis fame, ne videlicet ipsius hominis contrahas
offensionem.

«*Sunt qui dicant nullo pacto, nec medicorum arte, nec multifariis
machinis potuisse eum vel puelle virginitatem demere vel cum
muliere concubere, licet mater alieque nonnulla femine velut ministris
puelle adessent, licet viriquoque regi auxilio essent, qui, ventre
quasi appensum per fascias a lacunari pendentes, quibus tumor proni
ventris cohiberetur, demitterent eum sensim in gremium puelle ac
sustinerent. Sed hec verecundius forsitan in silentio reponuntur.»*

Sceleratissime sarmata, non satis habes que fortassis ego
celata voluissem propter verecundiam, ea prompsisse in publicum
atque vulgasse, nisi verba mea vel optima sui parte defraudes?
Clausulam enim illam ‘sed hec verecundius forsitan in silentio
reponuntur’, que superioris orationis nuditatem, veluti
tenui quodam velamento, tegebat, exemisti ut in ipsam membrorum

[Page 256]

obscenitatem invehi posses, his verbis: «Et hocquoque
abs te multo vitiiosius prolatum est. Est enim primum contra
precepta brevitatis: nam sepe satis est quod factum est dicere,
non ut narres quemadmodum factum sit. Satis enim id fuerat:
‘Sunt qui dicant regem nulla arte nullo ve consilio e regina
liberos gignere potuisse’, ut non fuerit necesse que turpia sunt
auditu referre. Potest etiam argui id esse contra probabilitatis
preceptum, de quo ante dictum est, quod dignitates personarum
servate non sint. Quid enim turpius dici potest quam quod rex,
presente socru et etiam adiuvante, cum uxore coierit? Quid
inhonestius quam quod socrus generi virilia spectaret? Quid
indecentius quam quod regina pudicissima corpus suum spectandum
daret his qui regem adiuwarent? Hoc vel meretrice
impudica abhorret, quod tu regine honestissime tribuis.»
Differo de brevitate respondere. Extenuabo paulisper quod
obiicitur prius quam defendam. Unde scis id in luce potius
quam in tenebris umbra ve actum? Num talia in obscuro fieri
non possunt? Cur ita improbus temerariusque es ut confirmes
quod ignoras? ut accuses quod an dignum sit accusari non statuisti
atque cogitasti? ut tuus deteriorem in partem inclinet
animus? Hec breviter de extenuatione criminis. Nunc illud
defendam. Primum referri hanc rem a me causa postulabat, quo
probaretur desperatio Martini regis iam proliis tollende. Deinde
non ita reformidanda fuit nove rei festivitas: neque enim nefande
Veneris, sed matrimonialis sanctitatis necessaria memoratur
actio. Nam quod interfuerit socrus aliaque ministeria,
videris parum meminisse qualia nobis egris prebeantur a domesticis
obsequia. Postremo nunquam historici ab huiusmodi
referendis abhorruerunt. Taceo Grecos; qualia sunt que de
Cesaribus Suetonius narrat? que Cornelius Tacitus? que deinceps
alii historici? Redeo ad superiores et ne longior sim
uno sum Livii contentus exemplo tua omnia obiecta refutanti.

[Page 257]

Hic auctor libro XXXVIII, ubi deprehensa bacchanalia plus quadringentis
exequir versibus, commemorat que verba mater
cum adolescente filio domi habuit, que cum eodem scortum in
cubiculo; hunc postea, domo a matre vitricoque eiectum, ad
amitam Ebutiam se contulisse; quid consul cum socru de hac
Ebutia locutus sit, quid eadem vocata rettulerit, quomodo item
Hispala, adolescentis concubina, vocatu consulis, introducta sit,
prefata, precata, fabulata; quam fedas mulierum et, quod tetrius
est, quam deformes marium promiscuasque libidines. Que
narratio quam curiosa sit vel ex his auctoris appetit verbis:

'Consul rogat socrum ut aliquam partem edium vacuam det
quo Hispala immigraret. Cenaculum super edes datum est,
scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in edes verso.'
Quocirca non est quod meam narrationem insimules ut
prelongam, que ad livianam brevissima est, ut parum probabilem,
que probata est et admodum sua sponte credibilis, ut illiberalem
et obscenam, que ad plurimas historiarum narrationes
nihil habet obscenitatis. Adeo in litteris sacris multa reperies,
non dico obscenius (nihil enim obscene, etiam si obscene actum
est, illic refertur), sed apertius simpliciusque exposita.

*«Primum habitans in predio suo, cui nomen Pulcher Aspectus,
de quo supra dixi, deinde in habitaculis monasterii in Valle
Donzelle, non procul a muris.*

Hoc quidem precepto brevitatis
in primis repugnat, quod est 'et si non longius quam scitu opus
est, in narrando procedetur.' Quid enim oportebat sciri ubi rex
primum habitasset? Solum id dicere ubi habitaret satis fuit si
et de loco ubi divertebat mentio necessario facienda erat. Cum
id neque obest, neque adiuvat, preterire satius est. Sed quam
eleganter ista dicas, alterius sit iudicium.» Nondum quid
inter historicam orationemque narrationem intersit aperio, cum
satis hoc loco sit tum superiora Livi verba testari, tum adversarium

[Page 258]

inscitie sue admonere, qui non modo contra me recitat
precepta rhetorice nihil sane ad hanc rem facientia, sed etiam
nescit quatenus sit brevitati serviendum. Nam hec eiusdem
Ciceronis, cuius contra me affert verba, sunt in narratione pro
Milone: 'Milo quo die a senatu dimissus est, domum venit,
calceos ac vestimenta mutavit, paulum, dum se uxor, ut fit,
comparat, commoratus est.' Et alia huius generis plurima, que
tu stultitiae lacte nutritus non considerasti, qui, libellos illos de
arte rhetorica legisse contentus, quid altius alibi precipiatur
quem ve usum ars ipsa desideret discere non laboras.

3.8.

VIII.

«Nunc referam id quod, an veneni, an pestis, an alius rei signum sit, medici viderint. Quod ipse qui vidit, quid fuerit se scire negat, idem qui regem veneno periisse non credit. Hic est Borra, scurrarum eximius, quatuor et octoginta hodie natus annos, necdum a scurrido vacans. De quo nequis miretur me facere mentionem, in tanta fuit apud complures semper reges dignitate dicam, an opinione, an benivolentia, ut eum in libris meis fastidire non debeam, quem reges nullo quamvis serio in negocio fastidierunt; cum presertim, quod apud vulgi opinionem valet plurimum, dives sit, adeo ut ad centum milia aureorum profiteri possit. Vir prolecto natus ad exprobrandum litterarum scientieque ac sapientie studiosis, qui doctrinam non veri contemplatione, non summi boni fine, non ipsa virtutum laude, sed pecunia et umbratili populorum honore metiuntur: ad hos quotidianum Borre convitium pertinet, dicentis plus se et pecunie et honoris comparasse dum stultum agit, quam qui litterarum et sapientie studiosi vocantur. Quod cum audiunt plenque litterati ornatumque hominis regalem vident, et erubescunt et dolent et, si vera fateri volunt, etiam invident: nimirum infra

[Page 259]

omnes scurras, histriones mimosque detrudendi, male meriti de liberalibus artibus, quibus invidiosam volunt esse vitam scurrilem ...

Commisisti hac in parte tot errores supinos et crassos qui satis essent, quando nusquam alibi peccasses, ad te perpetuo vituperandum et condemnandum. Hos prolecto vix crederem abs te commissos esse, quamvis omnia inscitie et ruditatis exempla de te credi possint, nisi librum tua manu correctum et in margimib; rubris litteris annotatum hisce oculis vidisem. Quis enim credat hominem qui se principem et doctorem omnium artium et scientiarum profiteatur in tot errata incidisse? Prolecto siquid in te ruboris esset, quem iampridem amisisti, non auderes in hominum oculos venire. Sed quid iuvat te hominem pertinacem admonere?» Quod maius signum hominis arte rhetorica et, que artis moderatrix est, natura parentis, quam prius exagerare crimen quam planum fecerit? Nam postquam tantopere exageravit, non posse planum quod obiicit facere quod flagitium sit, id quod in meo nunc accusatore contingit, rhetores iudicent. «Rem ipsam potius exquiramus. Primum ubi dicis

'is est
Borra scurrarum eximius',

contra artem facis, nisi forte Quintilianus, quem artificio anteponis Ciceroni, hoc te docuit. In re enim gravissima que est veneni questio levissimum testem adducis et quem laudare a prudentia et virtute testem debes, hunc a scurilitate non laudas, sed vituperas. Quod dicis

'necdum a
scurrando vacans',

id perspicue contra brevitatem esse dignoscitur:
quid enim scitu opus est an adhuc si scurram gerat

necne? Ut omittam verbum illud 'scurrando', quod rarissime usitatum est et pro obsoleto habendum, ut puto.» Expetit penas a mortuo Antonio, a quo vivente non potuit, cum ille vir sagax atque urbanus hunc veluti buponem et minutarum volucrum nocturnum hostem cavillaretur; nunc postquam reliquit lucem, cygnus a bubone et noctua male audit. Quid ais, noctua? Est ne gravissima veneni causa dignaque cuius testes gravissimi existant? O sic infra homines ut noctua infra volucres,

[Page 260]

gravissime persone in suspitione veneni desiderantur? Credo de ferendis legibus, de sedanda civium discordia, de rebus ad bene beateque vivendum pertinentibus negocium est. Nonne per eosdem plerunque beneficia convincuntur qui consciit fuerunt? Ergo qua in causa servulus aut ancilla pro teste admitteretur, in ea tu talem virum non admittes? etiam si ad ea que dixi non addam hunc ab imperatore Sigismundo inter duces habitum, bello quod adversus Tureos gessit, prefectumque ale fuisse prorsus Iunio Bruto equandum, qui aliquando fatuum egit, sicut tu dissimilis qui nunquam agis fatuum neque agere potes, quoniam semper es fatuus. Et tamen detrahere te illi non pudet dicentem: «Quod dicis

*'nequis miretur me mentionem
facere, in tanta fuit apud complures semper reges dignitate ne dicam,
an opinione, an benivolentia, ut eum in libris meis fastidire non
debeam.'*

Vide quantum erres! Videris dubitare an in dignitate, an in opinione, an in benivolentia fuerit apud principes, cum nec in dignitate, nec in opinione esse possit persona scurre (loquor enim non de illo tantum, sed de genere toto), cum dignitas et opinio in eos solum cadat qui vel in aliquo sunt illustri honoris gradu, vel ingenii, vel doctrine prestantia quadam magnam laudem et gloriam assecuti sunt; licet et in malam partem opinio accipi possit. Itaque in tanta non 'dignitate', non 'opinione', sed 'voluptate' abs te dicendum fuit.» De qualitate persone et modo respondi et mox respondebo. Nunc ipsum correctorem corrigere volo quolibet demente dementiorem. Ego

[Page 261]

me addubitare dico an ille fuerit semper apud reges in aliqua dignitate, an in opinione, an in benivolentia. Hic non vult fuisse in opinione et dignitate. Esto sane. Quid in benivolentia? De hac silentium agit, nimirum confitetur: nam silentium hoc loco pro confessione est. Et alioquin, si ex tribus (ut dialecticorum more loquar) disiunctivis una mihi satis est et hec tum constat, tum ab adversario conceditur, nonne cum partitionem meam ille reprehendit, sibi ipsi contradicit? Quid, quod vis mihi fuisse dicendum illum apud reges semper fuisse in voluptate? O imperitorum imperitissime, in voluptate fuisse sic accipitur ut in letitia, in gaudio, in delectatione, hoc est quod accepit letitiam, gaudium, delectationem, voluptatem, que sententia longe abest ab ea quam sentis: nam prebuisse aliis hunc voluptatem, sive fuisse aliis voluptati dicere volebas. Quid, quod ais opinionem accipi posse in malam partem? Quod si ita est, quid ponis in crimine quod illum dixerim fuisse in opinione? Quid, quod, affectator verborum Ciceronis, inquis 'loquor enim de genere toto', quasi non de genere toto loquaris dum inquis 'cum nec in dignitate, nec in opinione esse possit persona scurre'? Credebas te dixisse 'persona Borre'. Quid, quod non vis ullius esse dignitatis aut opinionis, nisi aut illustris honoris gradu, aut prestanti ingenio doctrina ve preditos, quasi ceteri ut nobiles, ut probi cives ac graves, ut honestequoque mulieres nullius sint dignitatis nulliusque opinionis? Quid, quod 'aliqua' et 'quedam' pro eodem accipis, ut sepe alias, cum illud sit particulare, hoc singulare, ut in Elegantiiis et Dialecticis latius disseruimus? «Quod dicis

*'quem reges nullo quamlibet serio negocio
fastidierunt':*

honesta ratio cur de scurre persona mentionem
in historia regis facere debueris.» Cur non honestissima

[Page 262]

ratio, stolidissime, quem reges in suum consilium adhibent,
eum a me non fastidiendum? At enim historiam regis compono.
O vespertilio! Nunquid venerabilior est regis historia quam
palatium? Quod si illi viro locus in conclavibus atque cubiculis
regum semper fuit, nullus angulus in historie mee velut edibus
concederetur? cum presertim ut in domibus principum et coqui
et agasones atque id genus hominum non modo visuntur, sed
etiam necessarii sunt, ita in illorum historiis. Nec intelligis tanto
maiorem te contumeliam facere regibus quam mihi, quanto
gravius est regem cum indignis personis habere usum consuetudinemque
quam me ista mandare historie. Sed absit ut
ipsum pro indigno habeam, cui tantum video a tantis principibus
tributum, qualiter ab aliis principibus erga huiusmodi personas
non semel factum legimus, ut erga Roscium histriōnem; quem
miris effert Cicero laudibus et de quo ita Macrobius in Saturnalibus
scribit: 'Is enim Roscius qui etiam L. Sulle carissimus fuit
et aureo anulo ab eodem dictatore donatus est. Tanta autem
fuit et gratia et gloria ut mercedem diurnam de publico mille
denarios sine gregalibus solus acceperit. Esopum vero ex pari
arte ducenties sextertium reliquisse filio constat.' At vero
diffisus huic rationi veluti parum robuste, confugis ad eam que
propria est imprudentium defensionem, negasque hoc verum
esse, inquiens: «Presertim cum id falsum esse perspicuum sit.
Quis enim vidit unquam in senatum aut ubi de maximis et
gravissimis rebus consultetur ad consulendum scurram vocari?»
Oratio te tua stultissime coaguit, quod non audes
Boram nuncupare, sed argumentum sumis ex vita scurrili.
Non repetam quantus apud Sigismundum, apud utrumque
Martinum, apud Ferdinandum fuerit, nec quantus alibi apud
Alfonsum: sed his paucis mensibus quibus fuit in Italia, quis
ignorat consiliis eum maximarum rerum frequenter interfuisse?

[Page 263]

Et absentisquoque scriptas ad regem de summi momenti negociis
litteras legi et item regia manu vicissim scriptas, non uti
ad levem, sed uti ad prudentissimum virum, quod erat sine
controversia publicum ac commune iudicium. Unde iocari solebat
se dum insipientem agit non posse alicui persuadere ut insipientis
sit, contraque filium suum imitatione sapientis nemini
posse persuadere se insipientem non esse.
«Quod dicis 'cum presertim, quod apud vulgi opinionem
valet plurimum, dives sit, adeo ut ad centum milia aureorum profiteri
possit': vehemens et hecquoque ratio cur scurram testem
in re maximi ponderis afferre et historie inserere debueris, videlicet
quoniam dives sit. Argumentum a divitiis multum valet
apud te, ut video, ad faciendam fidem et locupletandam historiam:
pauperis igitur testimonium nullum aut leve erit? O prudentiam
hominis singularem, o artificem admirabilem! Puer
ista profecto non diceret, qui vix prima artis precepta didicisset.
Recte doces, si isto modo doces discipulos tuos.» Ovat parta
de me victoria Fatuus, prostravit, occidit alligatumque ad currum
in morem Achillis hostem inimicumque, citatis equis, per
pulverem trahit. Sed inspiciamus quomodo stravisti, quomodo
vulnerasti, ne somno potius ac vino vitor sis, idest a somno
ac vino victus. Dixi divitias apud vulgi opinionem valere
plurimum et illi magnas fuisse divitias; horum tu neutrum nec
negas, nec negare potes: verum igitur me loqui fateris. At enim
vulgus non recte sentit. Ne sentiat: nunquid illud ego recte
sentire defendo? Illud reprehendito, illud accusato. Cur me pro
illo, nefande calumniator, invadis? Nam quod talem hominem
vel admittere testem, vel inserere historie debuerim, satis insanie

tue abundeque respondi. Et nihilominus (ut causam
vulgi agam, rectius etiam quam tu censorius Cato sentientis)
quis adeo non dico ab arte oratoria, sed a librorum lectione atque
etiam ab usu communi remotus, quis adeo hospes, adeo peregrinus
ac scytha vel maurus qui nesciat multum in testibus facere
conditionem, sicut in iudicibus, quos scimus eligi non potuisse

[Page 264]

nisi certum censum profiteri possent, sicut in equitibus romanis,
sicut in iis que sunt generis huius? Siquidem Servius
Tullius nulla re patres, equestrem ordinem ac plebem distinxit
nisi ex census facultatumque discrimine voluitque ita quenque
plurimum in civitate dignitatis optinere ut plurimum facultatum
professus esset. Nec posteriora secula ab hoc instituto dissenserunt,
dicente Plinio filio: 'Senator censu legi ceptus, iudex
fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare quam
census.' Multe preterea historie testes sunt ac multis in locis
iura civilia. Ceterum, ne longius fortassis evagetur oratio,
luce clarus est in dicendo testimonio plus momenti divitias
habere quam egestatem apud omnes homines, idque ipsa duce
ratione, cum sciamus inopem facilius corrumphi posse quam
divitem: ideoque sapienter Emilius Paulus in controversia de
magistratu optimendo inter divitem ac pauperem, illum quidem
pro malo, hunc autem pro bono habitum, inquit neutri dandum
magistratum quoniam alteri nihil satis, alteri nihil esset, prope
in equo reponens paupertatem et avaritiam, et si vitium illa non
sit, tamen esse statuit facilem quandam corrumpende iustitie
materiam. Et tu in sinu paupertatis natus, affirmas nihil
valere a paupertate et a divitiis argumentum. Quanquam quis
rhetorum 'argumentum a divitiis' numerat? Illi an quis dives
sit, an pauper in loco argumentorum qui dicitur a fortuna vel
a conditione constituunt, non a divitiis vel a paupertate dicunt
esse argumentum, voluntque illud rei dubie facere fidem, non
autem 'locupletare historiam', ut tu ais, qui quid sit ars, quid
imitatio, quid prudentia ignoras.

«Sed ad alia procedamus. Quod dicis: 'quod cum audiunt
plerique litterati ornatumque hominis regalem vident, et erubescunt
et dolent et, si vera fateri volunt, etiam invident': hoc loco et
imprudenter loqueris et magnam litteris iniuriam facis, si quempiam
egregie litteratum, non litteris intinctum, ut aiunt, invidere
putas hominis scurre conditioni.» Utinam crimen

[Page 265]

tuum verum esset et non plures multo ac prope omnes fine
divitiarum litteras metirentur! Quid enim aliud fere expetunt
studiosi medicine? quid iuris civilis atque canonici? quid denique
philosophie, ne addam theologie? Non tamen quid sentire
debeant dixi, sed quid sentiant, nec egregie litteratos ab
intinctis litteratura seiunxi, ut tu, solita tibi impudentia, seiungis
reprehendis que in eo me quod non dixi, ut in sequentibus
facis.

«Fieri quidem potest ut divitiis hominis invidia habeatur,
sed conditioni et statui nequaquam credendum est.» Quis
tibi conditionem et statum nominavit? Divitiis ego hominis
significavi invideri, non vite. Tam et si quid tu conditionem
appellas? An conditione non significantur divitiae, ut supra ostendi?
Nam 'status' quam proprie utaris, tu videris. Taceo quod
affimas id quod probare non potes, cum multi genus illud vite
non modo cupierint, sed imitari temptarint, verum vigor ille
ingenii eos facultasque defecit, quod iste sepe testatus est cum
diceret plus quam mediocris esse solertia sic stultum agere, ut
gratus sit iocundusque prudentibus.

«Nisi forte litteratus ille vacui capit is, cuiusmodi te
esse ex oratione tua constat. Te enim facile credam ac sine teste
ullo (quoniam tibi nullum presidium in litteris est, propter
intemperantiam et vesaniam tuam, non autem illarum culpa)
non solum eius divitiis, sed etiam arti invidere et illius vitam
anteferre tue. Quod si quis doctus aurum Borre exoptet, mirandum
profecto non puto, his presertim temporibus quibus divitiae
in pretio sunt.» Non respondebo ad convicia tua que,
cum sine iudicio, sine modestia intemperanterque ac vesane

proferantur, tue dementie testimonium dant, non mee. Vacui
me capitis appellas, cur ita sentias non probas; at cur id de te
ipse sentiam recognosce. Ais non culpa litterarum in illis
mihi nullum presidium esse. An ulla potest esse litterarum culpa?

[Page 266]

Quando unquam illas legimus fuisse culpatas, quasi aliquid
delinquissent? Supervacua igitur, idest vacui capitum, fuit hec
oratio, et eo magis quod dixeras hoc contingere propter intemperantiam
et vesaniam meam. Adde quod 'artem' vocas
quam vix 'questum' vocare liceat: nam 'ars' sine ullo apposito,
presertim singulari in numero, pro bona accipitur. Adde quod
ais te non mirari si quis aurum Borre sibi exoptet hoc presertim
tempore: si de illo ipso auro Borre sentis, ut iniustus et alieni
cupidus loqueris; sin de pari, quid magis dictu supervacuum
quam te non mirari si quis doctus id exoptat ad quod omnes
tendunt? Quod nunquam, ne sanctissimi quidem, quotiens
iuste habere possent, respuerunt tanquam iuste humaneque in
alios collaturi. Que cupiditas non maior his temporibus quam
superioribus fuit. Quare, si hec dictu supervacua fuerunt, profecto
vacuum caput indicant.
«Borra, ut erat ex adverso, videbat umbram quandam breve
loci spatiū occupantem paulatim a medio ventre ascendentem,
prout anima inferiora continenter relinquebat. Ubi ad guctur
evasit et ipsa evanuit.» Venit mihi ex hoc loco in mentem
Miniatum qui fuisse dicebatur insignis aleator et eo
questu in numerum papalium pervenisse scribarum, quem Antonius
Panormita, cum ab eo in hospitium acceptus esset, veneno
sustulit et bonam partem ex mortui (immo necdum mortui)
censu compilavit, adiutus Hyla suo, per quem ut alias multos

[Page 267]

ita miserum Miniatum illexerat atque inescaverat. Rem loquor
minime obscuram. Hunc adeo scelestum et ad omne facinus
pronum, tamen, cum suo Fatuo, nunquam putavi tanto

[Page 268]

furore teneri posse ut ita palam itaque frequenter corrumpere
scripturam auderent, quo in eam impetum facerent, non considerantes
codicem meum, et si interverterant nec ad me redditum
sperabant, tamen ad probanda que opponebant necesse
esse proferri in medium. Sed videlicet cecus est furor nec habent
scelera consilium. In ipso autem codice ita scriptum
est, qui semper inter nos veritatis erit testis:

*'Borra, ut erat ex
adverso, videbat umbram quandam breve loci spatiū occupantem
paulatim a medio ventre ascendentem, prout anima inferiora continenter
relinquebat. Id viderit ne, an videre visus sit, an convexitas
aliqua corporis adumbraverit, fides penes oculos eius sit. Ubi ad
guctur evasit et ipsa evanuit, et rex animam efflavit.'*

«O proceres, censore opus est an aruspice nobis?
Siquis rem huiuscmodi in conventu aliquo pro vera recitaret,
quot censes esse qui in illum id dicent:
in mare nemo
hunc abicit seva dignum veraque Charybdi ...
nam citius Cyanea et concurrentia saxa
crediderim plenos et tempestatibus utres ...
et cum remigibus grunnire Elpenora porcis?
Aut credis ista vera esse aut non credis. Si credis, stultior es
stultissimo, qui putas morientis animam conspicere posse; si vero
non credis, cur fabellam historie inseris, vix dignam que ab
anicula decrepita puellis ad lucernam enarretur?» Iuvenalis
versus contra alterum profertis, qui non modo contra eum nihil
agunt, sed ne intelliguntur quidem a vobis, quippe qui Odysseam

non legistis. Aut credo ista, dicitis, aut non credo.
O Elpenore magis ebrii, nisi crederem, quomodo historii
insererem? Nemo enim historiis inserit que non credit. Ego
vero credo, nec ego tantum, verum etiam rex aliique plurimi
qui de Borra audierunt; credo ergo que credibilia sunt, credo
que regi et enarrata sunt et persuasa. At que sunt ista? Nempe

[Page 269]

ea que narravi. Non fuit igitur opus ut illa vos mihi interpretaremni.
At quomodo interpretamini? Certe ut vos decebat, maligne,
perperam, falso, regis morientis animam a Borra fuisse
conspectam. Hoc ego dixi? Hoc ego significavi, benefici?
Nonne fatemini superius a me scribi:

*'Nunc referam id quod an
veneni, an pestis, an aliis rei signum sit medici viderint. Quod ipse
qui vidit, quid fuerit se scire negat'?*

Ubi hic mentio ulla
conspete anime? Cum dicitur visum id quod signum est et
signum alicuius morbi, profecto non de anima dicitur, sed de
corpo. Anima, si videri posset, non in vivente videretur, non
in pectore, non in ventre, sed extra iam mortui corpus, qualis
aliquando sub humana specie visa est. Cum dico

*'ubi ad guttur
evasit',*

non de anima loquor, sed de signo; item cum dico

*'et illa
evanuit et rex animam efflavit',*

satis utrunque separo. Volo
iterum ex vobis extorquere testimonium. Quid sententie esset
'ubi ad guttur evasit et ipsa evanuit', nisi reddatur ei altera copula?
Ergo vos decurtatis illud *'et rex animam efflavit'*, ut ambiguitas
sensus quam captabatis locum haberet. Que decurtatio
et illud probat eamque particulam

*'an convexitas aliqua corporis
adumbraverit'*

de medio vos exemisse eadem causa. Nunc
itaque sue sinceritati restituta oratio docet non de anima me
sensisse tanquam ab illo conspecta, sed vos manifestarios esse
corruptores. Ut taceam quam credibile sit me fecisse ex
medio ventre ad guttur ascendentem, qui in libris meis de philosophia
disputo sedem anime atque substantiam non nisi in
corde esse illincque ad cetera membra instar solis radios emitti.

3.9.

IX.

*«Ex Aragonia quidem delecti sunt Dominicus Ramus episcopus
Oscensis, quem postea Ilerdensem, ad extremum archiepiscopum*

Terraconensem eudemque cardinalem scimus nuper diem suum obisse, post omnes collegas illius iudicii in quo ipse sederat primus, de cuius scientia, vita, auctoritate dicere parum attinet, cum iudicia hominum, hoc est honores habiti, testimonium dicant.»

Cur tu

huius viri nomen cognomenque corruperas et pro eo quod erat verum substitueras unam litteram P sine nomine etiam dignitatis? Nempe quia dolebat tibi Ferrarium Ramum illius propinquum, virum et litteris et dignatione prestantem, qui tunc aderat, ob hoc mihi conciliari, quanquam non id erat propositi mei. Ex quo, ut scias Fatue, dum eum tui studiosum esse vis, iniuriam illi facis, domesticos hominis titulos quantum in te est delendo. Illudquoque malitie malignitatisque tue argumentum est, quod cum novem iudices brevissime a me describantur preter unum, de ceteris meum testimonium taces, de hoc quem plusculis verbis describo recitas, tanquam similis in reliquis fuerim.

«Franciscus Aranda, vestitu ac barba horridiore, quia videlicet renuntiasset rebus humanis, alioquin ita accommodatus ad domos principum, quibus diu prefuerat, moderandas, ut nusquam non et in consultandis et in administrandis rebus ac maturandis primas optinuerit partes, idque sola nature bonitate atque ingenii dotibus, citra ullam scientiam ac circa ulla propemodum litteras: ut appareat ex homine nativis bonis excellenti formari potius precepta sapientie quam ex preceptis sapientie formari hominem excellentem. In quo illud precipue admirabantur, cum quasi pater esset aut quasi tutor potentissimi cuiusque, tam modico ex quoque contentus foret. Ideoque libertatis mire ac minime obnoxius erat.

Hoc loco abs te vehementer erratum est, bone rhetor: enumeratio debet esse brevis et continuata.» Unde probas, orator eximie, hanc esse enumerationem? Nonne enumeratio locum postrum in oratione optinet? que grece dicitur ??????????????, hoc est, ut ad

verbum transferam, recapitulatio. Vrors igitur nunc ego in oratione aut in alicuius loci confirmatione, et non potius in principio? cum sic hunc locum inceperim:

*'Non ab re fuerit
et nomina iudicum et qualitates referre, ut posteritas sciat quos viros
tante rei preficiendos ex suo quosque corpore consilia tanta existimarint.
Ex Aragonia quidem'*

et reliqua. Uter ergo melior rhetor, tu qui me corripis, an ego qui te in eadem re corrigo? «Et si de moribus vel virtute iudicum commemorare propositum erat, paucis verbis id abs te faciendum fuit. Quid enim oportebat dicere

*'quem scimus nuper diem suum obisse, post omnes
collegas eius iudicii in quo ille primus sederat'?*

Quid oportebat dicere de Francisci vestitu et barba? Quid de rerum humanarum derelictione? Quid de eiusdem hominis, tot verbis, aptitudine ad res principum administrandas?» Quid sciscitaris, asine,

cur ista commemorem, cum superius reddiderim causam? Nam aliter, qua ratione fas erat posteritatem scire qui viri ac quales fuerint qui Ferdinandum declaraverunt regem? Demens ac furose, concedis a me mores iudicum atque virtutes commemorari debere et longitudinem in me sermonis arguis. Quid referri brevius potuit quam, cum superiora, tum vero ea que sequuntur?

'Berengerius Bardessinus, quo neminem, neque illius neque huius temporis, iurisconsultum in Hispania senes meminerunt maioris auctoritatis fuisse et perinde ad tantas opes perversisse. Ex Valentia vero I. Ferrarius dominus Cartusie, non tam scientia (erat enim in iure civili perdoctus) quam conscientia optima prudentiaque ac gravitate singulari insignis. Vincentius Ferrarius, eius frater, ordinis predictorum, cuius admirabilis in condonando laus ad exterias usque nationes est pervagata, princeps haud dubie sui temporis

[Page 272]

oratorum, duntaxat illiterate loquentium, et, si vera memorantur, miraculis clarus et ante et post obitam mortem. Petrus Bernardus, iuris ita peritus ut Valentie nemini postferretur, vita quoque casta et integra. Ex Catalonia autem Franciscus Zaranda, Terraconensis archiepiscopus, cum doctus sane in civili ac pontificio iure, tum vero ita facundus ut ei prime partes in eloquentia tribuerentur... Bernardus Vallissicce, quem non tanti faciebant quod in iure civili nulli suorum foret secundus et in dicendo sane admodum valeret, quanti quod pier asque causas gratis defensitaret, neque ex patrocinis potentiorum favores, neque ex humiliorum gloriola captabat. Guillelmus Guaspes, vir ut in Hispania litteris satis eruditus ac cultus atque ex omni barcelonensi populo tum prudentissimus, tum sincerissimus indicatus.'

Nonne a me velociter ista commemorata sunt summoque compendio? Nam illa de Aranda ideo narranda paulo longius existimavi quod non eadem ipsi que ceteris aderant ornamenta. Quo stultius calumniosiusque subiicis: «Quid illam sententiam interiectam quod magis ex ingenio hominis sapientia quam ingenium hominis ex sapientia conformetur? que tota contra te est, cum nullis sapientie preceptis unquam potueris institui.» Fateri me insipientem non recuso nisi tu talem te ipse confiteris. An non te insipientem confiteris et fatuum, qui hanc sententiam vis improbare, cum probas? qui eam, mutatis verbis, aliam facis? qui crimina velut sagittas sine aculeis, sine acuminibus, sine pennis emittis? (nam ut sit contra mores meos ista sententia, dum non sit contra ipsum opus, quid attinet eam nunc exprobrare?) qui, postremo, ubi caput, ubi pedes habeas nescis? Cum enim apud me scribatur

'Delecti itaque sunt novem iudices, ex singulis provinciis terni. Imparem enim numerum ad finiendas vel lites vel consultationes Hispani multo commodiorem existimant,'

ais: «Quid aliorum quos enumeras (sunt enim decem, si memini) non solum virtutum, sed etiam honorum ac factorum prope omnium ad fastidium usque prolixa

[Page 273]

commemoratio?» Tam cito ne tibi iudicum numerus excidit? Procul aberat, opinor, hic locus, diu verba mea non legeras, ut difficile esset te illorum reminisci. At enim te excusat quod inquis 'si memini': tanto inexcusatius, tanto insipientius factum tuum, qui, cum possis uno intuitu fieri certior, mavis

rem committere fortune. Et alioquin quid memoria, quid
diligentia est opus? Qua ratione fieri potest ut non cernas quod
ante oculos est, quod legis, quod accusas? O admirabilem insipientiam
et inauditam ingenii tarditatem! Vitia orationis mee
in describendis iudicibus, que latent, deprehendere te iactas;
nomina ipsa iudicum, que a me numerantur, que ordine recensentur,
que in marginibus quoque rubrica notantur nescire quot
sint aut dubitare confiteris. Nec pudet te, vanitatis furcifer,
qui cum scias a me rem breviter perstringi, tamen dicas eam
commemorari ad fastidium usque prolixe et ex Cicerone brevitatis
exemplum contra me proferas inquiens: «Habes exemplum
optimum a principe artis Cicerone nostro in Pompeiana.
Sic enim dicit: 'Quod si auctoritatibus hanc causam, Quirites,
confirmandam putatis, est vobis auctor vir bellorum omnium
maximarumque rerum peritissimus P. Servilius, cuius tante res
geste terra marique extiterunt ut, cum de bello deliberetis,
auctor vobis nemo gravior esse debeat; est C. Curio, summis
vestris beneficiis maximisque rebus gestis, summo ingenio et
prudentia preditus; est C. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis
vestris honoribus summum consilium summamque gravitatem
esse cognoscitis; est C. Crassus, gravitate, virtute et constantia
singulari.'» Quam pene totidem verbis a Cicerone
personae sue et a me mee commemorentur res ipsa declarat. Ceterum
quis accusatoris vel calumniam vel inscitiam non pervidet?

[Page 274]

Cicero ad populum romanum loquens, in nuncupandis
iis civibus qui notissimi populo essent non necesse habuit uti
longiore oratione, ut ego qui scribo iis quibus iudices noti non
fuerunt, iudices inquam vix inter se satis noti, utpote diversarum
nationum. Ille ad presentem usum contentus fuit designasse
quales ii forent quos populus ipse auctores habere deberet,
quod secus in me est qui prefatus etiam sum me posteritati hec
tradere. Ideoque aliter cum multis aliis in locis, tum vero in
Bruto facit, ubi in describendis plerisque oratoribus multo quam
hic ego diutius immoratur: que tu pro tua singulari stultitia
non cogitasti, nec quod extra rem Salustius quales Cesar et
Cato, qui sententias in senatu dixerunt, item qualis Sulla fuerit
exponit, exemplum huic facto meo simillimum; ut apud Thucydidem
de Themistocle fit et Pericle aliisque nonnullis.

«*Ille post multa verba que ad purgationem facti attinebant,
dicitur intulisse coniugii mentionem et ad ea, turbato vultu, regina
subiecisse 'hui, senex scabide!'*»

Immo vero, ne plura dicam, hui
stulte, hui barbare, qui tam barbare loqueris!» Thersites,
quem ut corpore sic animo pravo atque perverso Homerus
inducit, non adeo maligne ac stolide Agamemnoni profecionem
suadenti conviciatur ut hic mihi. Quid in sermone meo stultum?
Quid barbarum? Quid scabidum? An non Suetonius, ne
pluribus immorer, de matrona romana in Tiberium Cesarem
locuta sic inquit: 'Ac ne ream quidem interpellare desit, ecquid
peniteret; donec ea relicto iudicio domum se abripuit ferroque
transegit, obscenitatem oris hirsuto atque olido seni clare exprobrata.
Unde mora in atellanico exodio proximis ludis assensu
maximo excepta percrebuit, hircum vetulum capris naturam
ligurire.' Nisi comparandam putamus aut in facienda iniuria

[Page 275]

personam regine cum private, aut in patienda personam Cesaris
cum prefecti, aut ipsorum verborum atrocitatem.

«Dignum profecto risu spectaculum, si cui ridere in tali
casu vacaret et alienum periculum turpitudinemque spectare voluptati
foret, mulieres crinibus passis, nocturna tantum veste indutas
aut alteraque circumvolutas magis quam amictas, et inter eas
reginam ut dignitate sic celeritate precipuam, quasi pro corona currentes
divaricatasque ad femora, irrumperet in mare pene glaciatum.

Magnum cum ceteris in partibus, tum maxime hoc loco
prudentie et dicendi artis documentum edidisti, reginam a pedum
velocitate laudans: id enim solet in primis laudibus Didonis
a summo poeta ponit et ab historicis, quos credo imitatus
sis.» Assidue in stultitia proficis teque ipsum superas in
dementia. An in laudibus regine reposui quod velociter curreret?
Rem narro an in laudibus versor? Admiror celeritatem
an rideo? Et quatenus ad exemplum me revocas alterius regine
tanquam a poeta laudate, quasi ego secus faciam, agnosce utra
inducatur laudabilior. Hec fugit e latebris cubiculi et quidem
celeri cursu, ne ab amatore principe strupraretur; illa, quam
non cucurrisse vis, haud minus celeriter, adacto equo, in latebras
spelunce cucurrit ut illic cum principe magis adamato quam
amatore committeret struprum. Atqui Dido non pedibus sed
equo insidens cucurrit. O virgilianum hominem, qui nefas,
auctore Virgilio, statuis reginas currere, oblitus ne es quid
ille de regina Camilla homericis versibus dicat:
Illa vel intacte segetis per summa volaret
gramina nec teneras cursu lesisset aristas,
aut mare per medium fluctu suspensa tumenti
ferret iter teneras nec tingeret equore plantas?

[Page 276]

Aut, si horum versuum tibi non venit in mentem, illorum
certe venire debebat:
Vane ligus frustraque animis elate superbis,
neququam patrias temptasti lubricus artes,
nec fraus te incolumem fallaci preferet Auno.
Hec fatur virgo et pernicibus ignea plantis
transit equum cursu frenisque adversa prehensis
congreditur penasque inimico sanguine sumit.
Quid dicam de Harpalice et spartana virgine, de quarum
velocitate idem meminit, cum Dianam venatricem faciat
et in eodem habitu Venerem, quemadmodum Homerus Iunonem
ac Pallada, cum in preliis, tum alibi currentes? qualia multa
sunt apud Ovidium, quoniam de poetis agimus exempla.
Sed ut, omissis exemplis, rationem spectemus, si Dido non
cucurrit, num continuo dabitur vitio aliis quod current?
Currunt que timent, que coguntur, quibus denique fugere rapide
vel conducit, vel necesse est, quale nihil in Didone exitit,
quod si exitisset nimirum talem Virgilius descriptsisset. Quod
siqua unquam ratio currendi est, ea profecto est quotiens pudicitia
in discrimen adducitur, cuius integritas non fuga modo
tuenda est, sed etiam morte et eo propensius quo plus est in
persona dignitatis: ut celerrime omnium fuerit regine fugiendum
quia maxime erat (quod suspicandum legentibus dedi) de
suo pudore sollicita. At tu, prudentie alumnus, et me carpis
quia non sum mentitus et reginam quia predone insequente
cucurrit, non incesserit, ut de Didone Virgilius ait:
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
incessit magna iuvenum stipante caterva.
Addis aliudquoque genus reprehensionis: «Nec illud minori
reprehensione dignum, quod dicis 'dignum risu spectaculum':
erat enim res non digna risu, sed commiseratione videre
reginam, quam fortuna paulo ante in amplissimo statu

[Page 277]

collocarat, in tam atrocem casum incidisse. Dicendum potius sic
fuit: 'Dignum erat omni commiseratione spectaculum reginam,
cuius tante opes et dignitas fuerant, eo angustiarum et calamitatis
redactam esse ut si pudicitie et honori consultum vellet,

vel per medium mare absque navis auxilio illi fugiendum esset.'»
Antequam pro me satisfaciam, etiam atque etiam stultissimum
cerebrum tuum, me docente, intelligas, qui ait illam
ex summo in imum delapsam, quod plane mentiris, cum nihil
admodum amisisset ac ne timeret quidem amittere nisi libertatem
cui vellet nubendi. Sed eblandita sunt tibi verba Ciceronis
ad Herennium, qui libri sunt delicie tue, 'Quem fortuna
paulo ante in amplissimo dignitatis gradu collocarat' et De senectute:
'Aliquis dixerit te propter opes et copias et dignitatem'.
Adde quod ait 'si pudicitie et honori consultum vellet',
quasi integrum sit honeste feminine nolle consulere sue pudicitie,
aut nisi in mare penetret sit impudica suusque honor extinguitur.
Quis te hanc philosophiam docuit, eam cui vis affertur esse
impudicam? Nos sicut admiramus que maluit mortem sibi consciscere
ne vim pateretur, sic illam impudicitie absolvimus que
omnia citra mortem, immo adeo citra periculum mortis, fecit
ne violaretur. Adde quod ait illam fugisse per medium mare,
quod ne Polyphemo quidem, Neptuni filio, licuit dum aut
Ulyssem aut Eneam persequi vellet. Adde quod ait 'absque
navis auxilio', quod quis audivit quempiam fugere per mare
navis auxilio? Nunc respondeo emendationi. Dicere debui
'dignum miseratione spectaculum'? Erras, miser, erras. Nam
ea re inquis miseratione dignum quod illam vis ex amplissima
fortuna eo calamitatis decidisse, que si non decidit, non est
dignum miseratione. An risu? Quid ni? Cum sciamus huiusmodi
pericula, cum iis perfuncti sumus, afferre reminiscentibus quandam
iocunditatem. Unde Virgilius:
et hec meminisse iuvabit,

[Page 278]

quod quotidianis etiam liquet experimentis. Mentior nisi
testes habeo a quibus accepi sepenumero reginam ipsam familiaribus
mulieribus hunc casum cum voluptate risuque narrasse.
Eamus nunc et alienam fortunam lugeamus, ex qua illi ipsi qui
perfuncti sunt rident eaque referenda capiunt voluptatem.
Atque, ut hoc confirmem aliquo non quotidiano exemplo,
audi Ciceronem cum domum suam eversam consecratamque
conqueritur: 'O rem quam homines soluti ac cura liberati ridere
non desinunt, tristiores autem sine maximo dolore audire
non possunt! Publius ne Clodius, qui ex pontificis maximi domo
religionem eripuit, is in meam intulit?' Cicero in tam indigna
re de risu mentionem facit, ego in re prope ioculari ab risu
abstinebo? Et si non plane rideo, nec plane dignum risu
spectaculum dixi, ut tu solita impudentia mentiris, sed addidi
'si cui ridere in tali casu vacaret' et reliqua, per que satis temperavi
risum meum multoque magis quam tu accusationem tuam.
Verum, quid ita tibi venit in mentem risum mutare in commiserationem?
An ita facit Iustinus in tristissima Xersis fortuna?
cum inquit: 'Ubi cum solutum pontem hibernis tempestatibus
offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit. Erat res
spectaculo digna et estimatione sortis humane, rerum varietate
miranda in exiguo latenter videre navigio, quem paulo ante
vix equor omne capiebat, carentem etiam omnium servorum
ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terris graves
erant.' Omnino non dolentius neque miserabilius, si utrumque
casum recte estimemus, Iustinus suum locum attigit quam ego
meum, cum tantum res illa digna esset miseratione quantum
hec risu. Etiam vir verecundus et castus et tuo Panormite
similis, qui mulierum femora spectari nefas putat, adiicis: «Preterea
et illud odiosum quod reginam usque ad femora succinctam
facis. Quanto enim honestius erat hanc partem opticere
quam exprimere turpe est! Non dicam quod noctu, quod

[Page 279]

nemine inspectante preter socias fuge mulieres factum est, sed
quod quanto nudatiore corpore tanto honestius cucurrit: nam
sicut nihil interposuisse more domi ut sibi vestimenta circundaret,
argumentum pudicitie fuit, ita extra domum, quo expeditius
hostem evaderet divaricatam fugisse; quam regine laudem
pro tuo mentis stupore cum non intelligas, me carpis et
mordes et in adamante caninos dentes exerces.

3.10.

X.

«Atque ita indignabundus ad cubiculum regine perrexit
intravitque. Ubi cernens cubile turbatum, quale solet ad subitum
timorem relinquī, ‘Perdicem, ait, perdidī, sed nidum teneo’; protinusque,
depositis vestibus, ut adhuc erat tepidum subit ac per totum
se volutans ac subinde spiritum per nares trahens significabat, more
venatici canis ad lustrum fere, ipso se odore delectari. Tanta ei fuit
inter maximarum rerum conatus cura amoris, tanta etiam intemperantia,
ut quod in primis dissimultatum oportuit et quod antea
pernegaverat id nunc detegeret atque fateretur.

Hec que dictu
turpia et feda sunt brevissimis verbis preteriri decet. Aliter
enim historicus, aliter satyrus scribit. Satis erat id dicere: ‘Tanta
fuit Bernardi impudentia et quedam veluti amoris rabies ut
regine adhuc tepenti lectulo sese volutare non erubuerit’.»
Turpiloquium meum breviloquio emendas, quasi quod turpe
et fedum dictu est non sit tale cum breviter attingitur. Verum
quoniam duo in me videris reprehendere, non recuso censeri
et turpiter locutus, nisi apud sanctissimos viros hec recitari
possunt, ut taceam que Greci Latinique memorie mandaverint,
freti lege historie; et verbosius executus, nisi tu quid historia,
quid satyra postulet ignoras. Quid enim satyrorum simile hic
est? Quid dissimile historicorum? Tu vero melius, qui me
mbes, omissa luce narrandi, paucis perstringere rem totam et

[Page 280]

quodammodo cecare, ut ipse facis, qui nihil de vestimentis depositis,
nihil quod se linteaminibus inseruerit, nihil cause cur
se voluntaret significas, nihil leporis ac gratie admisces, multa
etiam stultissime commutas, ‘rabiem’ pro ‘cura’, ‘impudentiam’
pro ‘intemperantiam’, ‘lectulum’ pro ‘toto cubili’, ‘non erubuerit’
pro ‘dissimulatum oportuit’. Etiam ‘tepenti lectulo’ sine
prepositione an dicere potueris grammatici iudicent.

«Educitur e profundo lacu obscuraque testudine Bernardus,
modo Sicilie regulus, veste, capillo, toto corpore madenti, et hoc,
ut vix credibile videatur, ex pluvia.

‘Libera nos Domine de penis
Inferni et de profundo lacu et de ore leonis, ne absorbeat nos
Tartarus’, credo id dicere volueris. O exquisitam eloquentiam,
o dignam repastinatore dialectice orationem!» Festive, facete,
urbane dictum. Sed cur non dignam repastinatore orationem
si impolita est? O inconsultum hominis tenebris osumque iudicium!
qui sacerdotes omnes hac utentes predicatione derides
ac cavillaris, quid ni maurus et scytha? Cuius piaculi quas penas
luere debeas, ad ipsos sacerdotes relego. Sed nunquid tota ego
precatione utor, an duobus tantum verbis? Certe duobus verbis.
Improbe ergo totam illam precationem per derisum mihi
decantas. Que cur deridenda sit velim scire. Audeo enim illam,
non modo eatenus quo ad me contingit, verum etiam in
aliis partibus defendere, ut te doceam stultitiam tuam. An ‘ex
ore leonis’ barbarum est, quod mille in locis invenitur, aut ‘Tartarus
absorbet’, quod apud Virgilium legimus? Nam ‘e profundo
lacu’ nec minus elegans est, nec minus usitatum. Nisi
forte iccirco derides quod ea censes illinc me esse mutuatum,

[Page 281]

homo vere ridiculus, quasi ego initatus sim et illa cum sacerdotibus
cantare solitus, et eo magis ridiculus quod ipse hoc

quod obiicis admittis, inquiens: 'Magistrum te grammaticae profiteris et hec ignoras? quod ex illo videtur sumptum. Tu magister in Israel es et hec ignoras? Sumptum, inquam, non ex particula, ut ego feci, sed omnino.' Et tamen non quasi in parte, sed quasi in tota oratione peccarim, totam emendare conaris cum ait: «Experiri libet hoc loco an possim eloquentiam tuam equare, qua te omnibus prestare putas. Ego sic dicerem: 'Bernardus cui paulo ante propter opes et copias et popularem gratiam Sicilia parebat, toto corpore perfusus ac pene imbre enectus, miserando conspecto ex tenebris in lucem producitur'.» Stultitiam hominis singularem! Dum aliunde quid suffuretur, quantum id apte fiat non laborat. Superius, ut ostendi, non quia res postulabat, sed quia elegans sibi videbatur, ex Cicerone verba mutuatus est. Idem nunc facit: nam eiusdem sunt auctoris verba exque eodem quarto ad Herennium libro, sed, ne aliena viderentur, parte mutata: 'Sulpicio cui paulo ante omnia concedebant' et reliqua. Itaque verba Ciceronis sunt optima illa quidem, sed, quia huic rei non competitunt, fiunt, te recitante, deterrima. Ego dixi velociter et expedite 'Bernardus modo Sicilie regulus', tu 'Bernardus cui paulo ante propter opes et copias et popularem gratiam Sicilia parebat': que verba omnia ambitiosa, affectata, redundantia, preter id quod impropria sunt. Quid enim magis improprium quam parere homines propter gratiam popularem, cum gratia sit favor, studium amorque populi qui opem auxiliumque ferre solet, non parere? Ego 'educitur e profundo lacu obscuraque testudine', tu 'e tenebris in lucem producitur', nihil inquiens de situ loci nisi quod esset obscurus; ego quod lacus, quod profundus, quod cameratus, tu quod in lucem, quod falsum est: non enim ad solem apertumque productus est. Ego 'veste, capillo, toto corpore madenti', tu 'toto corpore perfusus': plus est madentem esse quam perfusum

[Page 282]

et per singulas partes exprimere quam semel totum dicere. At enim addis 'et pene imbre enectus'. Transeo quod prius 'perfusum' quam 'imbrem' nominas: quomodo imbre enectus est quem imber non tetigit, nec pluvia, sed aqua pluvia que per cadurcos in lacum defluxerat? tantumque abest ut aqua enectus ut nihilsum lesus fuerit et si, collo tenus succrescente aqua, prope erat ut summergetur. Ego 'et hoc, quod vix credibile videatur, ex pluvia', tu, pro hac arguta sententia, posuisti 'miserando conspecto' sive 'conspectu' (nam per o scriptum est), quod addere stultum fuit, cum hec verba istum locum precedant: 'qui miseranti similis propere succurri imperavit'.

«Proxima nocte de tertia vigilia, summisso fune, Bernardus, caligis ad genua complicatis, nulla amictus tunica, demittitur, custode, ut validius conturbaret miseri consilium, urgente ad descendendum, tanquam anxius esset ne fuga deprehenderetur.

Nec minus
hic artem et eloquentiam desidero, homo desertissime, hui,
desertissime dicere volui. Primum quod supervacua narras.
Quid enim necesse est abs te memorari utrum caligas laxas ad
genua haberet, an ligulis contentas? et utrum veste amictus esset,
an linea tantum tunica? Ubi brevis debes esse longus es,
verborum non necessariorum multitudine, quod est contra artis
precepta de brevitate.» Paulo post de brevitate, ut promisi,
satis faciam. Disertum me esse, etiam cum contumelia, negas.
Cur ita? Quia dixi 'nulla amictus tunica', quod tu mutas 'amictus
veste', quasi hec duo nomina multum differant, que quidem
ii qui Aristotelis transferunt ??????? ??? ??????? nihil differre
volunt. Sed ut differant, cur 'tunicam' sentis interiorem esse,
quam subculam' vocamus? quasi vestis esse illa non possit,
dicente Horatio:
Nocturnam vestem maculant.

[Page 283]

Ego dixi 'complicatas', tu mutasti 'laxas', quasi laxe ad

celerius fugiendum faciant; addidistique 'ligulas', quo nomine
quid significetur ignoras. Nam hec lora quibus nunc utimur
apud veteres in usu non fuere, quo tempore Martialis hoc distichon
scripsit:

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
dico ab indoctis lingula grammaticis.

Iam in illo 'ubi brevis esse debes, longus es, verborum
non necessariorum multitudine' quam disertum te prestitisti,
quam remotum a non necessariorum multitudine verborum!
cum brevius tersiusque dicturus sic fueris 'ubi brevis esse debes,
prelongus es.' Atque hic ego te emendavi et quomodo tersius
loquereris edocui; tu quomodo me emendas doceasque
videamus.

«Preterea qua elegantia ista exprimis? Multo elegantius
si sic dixisses: 'Proxima nocte de tertia vigilia Bernardus, custodis
ope confisus, per funem dimitti cepit, ipso custode simulatione
quadam pietatis ut properaret hortante'.» Tu 'custodis
ope confisus' dixisti, quod ego nec dixi, nec dictum volo. Taceo
quod non disertus sermo est 'ope confisus', sed promissis, sed
verbis, sed propinquitate et que sunt id genus: adiutus enim
ope quis dicitur, non confisus. Tu 'per funem dimitti (sive,
ut te emendem, 'demitti') cepit', ego 'summisso fune demittitur',
quod videlicet iam erat summissus funis, et totum actum descendendi
per funem complector, non tantum principium attingo
(et alioquin paulo ante sic dicitur 'e fenestra turris demissurum').

Tu 'ipso custode ut properaret hortante', ego
'custode ad descendendum urgente', quod sua luce satis apparet
quanto sit aptius accommodatusque custodem, qui conscientius videri
vult fuge captivi, induci urgentem ne ipse deprehendatur,
quam hortantem ut alius evadat, quasi ille aut non audeat aut
negligat evadere. Tu 'simulatione quadam pietatis , in quo

[Page 284]

vel impudentissime vel stolidissime mentiris, cum carceris custos
non simularet misericordiam (quam tu disertissimus scythurum
vocas 'pietatem', qui est amor in deum, in parentes, in
patriam, in pignora, sive, ut Cicero ait, iustitia adversus deum),
sed ob acceptam mercedem simularet se illum velle ex carcere
emittere; ego 'ut validius conturbaret miseri consilium': horum
tu nihil significas. Adhuc, omni conatu, vel unius loci apud
me, quem indisertum appellas, vim elegantiamque assequi nequisti :
adeo si mee sententie ac tue in illa Critolai libra que ab
Homero sumpsit originem appendantur, mee desidant, tue ut
inanis ac leves in aerem leventur.

«Cuius turpitudini hicquoque cumulus accessit ut cum ad
transitum notorum atque honestorum virorum faciem vellet avertere,
prohiberetur, ne illis posteriora ostenderet.

Et id quoque abs te
peccatum est superabundantia et turpitudinis commemoratione.
Satis enim erat id dicere: 'Cuius turpitudini hicquoque cumulus
accessit quod in eum modum fune illigatus erat ne a
pretereuntium aspectu ora posset avertere'.» Que nam hic
verborum redundantia, quam tu disertissimus 'superabundantiam'
vocas? Sed de brevitate et longitudine mox. Ego 'ad transitum
notorum hominum atque honestorum', tu nude 'a pretereuntium
aspectu': tollis que tolli non oportuit, sed que tollis
aliis supiles 'quod eum in modum fune illigatus erat'; hec
plura sunt quam que tollis verba et vere redundant, cum paulo
ante dixissem:

'Ita totum diem retibus involutus ac plane irretitus,
tanquam Mars in adulterio Veneris, ridiculum simul ac miserandum
plurimis spectaculum fuit.'

Sed preter redundantiam
sermonis, num idem quod ego aut ea cum gratia dicis? Ego

dixi illum prohibitum faciem avertere, ne posteriora ostenderet,
tu hoc solum quod ora non posset avertere, non redditia causa
cur non posset, quippe nisi ob hanc quam reddidi causam poterat.
Vides ut omnia que tollis male tollis, que addis male addis,
que mutas male mutas. Nam quod me turpiter locutum

[Page 285]

vis quia posteriora nominavi, nimirum facis ex consuetudine
male sibi conciorum, qui ob id sunt severiores ne si liberius ac
simplicius agant, fateri videantur turpitudinem suam; unde

Horatius:

Ut qui conducti plorant in funere dicunt
et faciunt prope plura dolentibus ex animo.
Etenim de quoque, demum hominum posteriora legimus.

3.11.

XI. Venio nunc ad tertiam invectivam.

«*Nam ubi ad ianuam pervenit, ex equo delapsus, ante ipsam,
ianuam genu posuit, iterum ad aule hostium, tertio ad fores conclave
in quo rex illum excepturus sedebat, postremo ad pedes regis
dextramque eius amplexatum exosculatumque ori suo admovit osculumque
mutuum dedit.*

Huiusmodi vitium superiore libro commisisti
quod quidem est contra brevitatis preceptum. Nam quod
dicas ‘ante ipsam ianuam genu posuit, iterum ad aule hostium,
postremo ad pedes regis’, id tribus verbis expediri potuit: ‘ubi
ad regem venit, ad eius genua procubuit’, aut sic ‘ad eius genua
se summisit’. Nec illud quoque magis necessarium scitu erat
quod dicas illum exosculatum et amplexatum dextram regis ori
suo admovisse, cum hoc de more inferiorum sit, eorum maxime
qui alieno parent imperio, regum dextras osculari». Accipe,
magister eloquentie quid meliores preceptores sentiant de brevitate
narrationis. Cicero De oratore: ‘Narrare vero rem quod
breviter iubent, si brevitas appellanda est, cum verbum nullum
redundat, brevis est L. Crassi oratio; si tum est brevitas, cum
tantum verborum est quantum necesse est, aliquando id opus

[Page 286]

est; sed sepe obest, maxime in narrando, non solum quod
obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem que narrationis
est maxima, ut iocunda et ad persuadendum accommodata
sit, tolli vident illa. – Nam is postquam excessit ex ephebis … –
quam longa est narratio! Mores adolescentis ipsius et servilis
percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma et lamentatio
sororis, reliqua pervarie iocundaque narrantur. Quod si
hanc brevitatem quesisset effertur, imus, ad sepulcrum venimus –,
in his fere decem versiculis totum confidere potuisset;
quanquam hoc ipsum – effertur, imus – concisum est ita ut non
brevitati servitum sit, sed magis venustati. Quod si nihil fuisset,
nisi – in ignem imposita est –, tamen res tota cognosci facile
potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis
et interpuncta sermonibus, et est probabilius, quod gestum esse
dicas, cum quemadmodum gestum sit exponas, et multo apertius
ad intelligendum, si sic constitutur aliquando ac non ista
brevitate percurritur.’ Nonne videtur Cicero prope dedita
opera contra te ista tradidisse? Et Quintilianus: ‘Non minus
autem cavenda erit, que nimium corripientes omnia sequitur,
obscuritas, satiusque est aliud narrationi superesse quam deesse;
nam supervacua cum tedium dicuntur, necessaria cum periculo
suprahuntur, quare vitanda est etiam illa salustiana (quanquam
in ipso virtutis optinet locum) brevitas et abruptum sermonis
genus: quod ociosum fortasse lectorum minus fallat, audientem
transvolat, nec, dum repetatur, expectat, cum presertim lector
non sit nisi eruditus, iudicem rura plerunque in decurias mittant,

de eo pronuntiaturum, quod intellexerit, ut fortasse ubique, in narratione tamen precipue, media hec tenenda sit via dicendi quantum opus est et quantum satis est. Quantum opus est autem non ita solum accipi volo quantum ad indicandum sufficit, quia non inornata debet esse brevitas, alioquin sit indocta; et minus longa que delectant videntur, ut amenum ac molle iter, etiam si spatii sit amplioris, minus fatigat quam durum arduumque compendium. Neque enim mihi unquam tanta

[Page 287]

fuerit cura brevitatis ut non ea que credibilem faciunt expositionem inseri velim. Simplex enim et undique precisa non tam narratio vocari potest quam confusio.' Et alia adhuc plura. Cernis quo temperamento sit utendum in brevitate narrationis, qui me omnia precidere iubes in exponendo atque confundere: qui unus tuus error est. Alter quod ad legem huius brevitatis censes esse scribendam historiam, que duo quantum differant alio loco idem auctor ostendit, inquiens: 'Historia quoque alere orationem quodam molli iocundoque succo potest; verum et ipsa sic est legenda ut sciamus plerasque eius virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis et quodammodo carmen solutum, et scribuntur omnia ad narrandum, non ad probandum totumque opus non ad intuitum rei pugnamque presentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur: ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi tedium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa salustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem et sepius ineruditum captanda nobis est; neque illa Livii lactea ubertas satis decebit eum qui non speciem expositionis sed fidem querit.' Hec tu qui totiens brevitatis inculcas precepta non legeras. Quid Plinium, Quintiliani discipulum, ita scribentem ad Capitonem? 'Habet quidem oratio et historia multa communia, sed plura diversa in iis ipsis que communia videntur. Narrat illa, narrat hec, sed aliter: huic pleraque humilia, sordida et ex medio petita, illi omnia recondita, splendida, excelsa convenient; hanc sepius ossa, musculi, nervi, illam tori quidam et quasi tube decent; hec vel maxime vi, amaritudine, instantia, illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet; postremo alia verba, alias sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, item asyntanagonisa, quorum alterum oratio, alterum historia est.' Aude posthac, si videtur, librorum ad Herennium precepta mihi repetere brevitatis.

[Page 288]

«*Rex sermonem intulit de sumptu domestico.*» Totam ad litteram subiicit ex historiis meis orationem, quod ne hic ego faciam inducor ne longior sim, cum conetur illam labefactare nugis et nenisi tantum, ut a me paucissimis ei sit respondendum.
«Nihil inconvenientius dici potest quam huiusmodi conquestio huic loco temporis, rhetor egregie. Nihil enim minus verisimile quam quod rex, prius pene quam regni habenas suscepit et cognorit qui iuste qui ve iniuste aliquid de regio patrimonio teneant, diminuta regni membra et procerum opes nimias queratur: tunc enim primum ingressus erat regnum, antea sibi ignotum et inaccessum.» Prius pene, inquis, quam cognorit: cognorat igitur qui iuste qui ve iniuste aliquid de regio patrimonio tenerent; hoc cum ita sit, cur non est verisimile imminuta eum queri regni membra? Atqui iterum negas, inquiens 'tunc primum ingressus erat regnum antea sibi ignotum', quanquam quomodo antea (et si hoc nihil ad rem), quomodo tunc sibi ignotum, qui diu vicinum Castelle regnum pro rege administrasset, qui ad avunculum consobrinumque reges in Aragoniam aliquando venisset, qui ad fines regni et intra regnum tanto iam tempore de causa sua decertasset iudiciis, studiis, armis (ut a me refertur), qui iam altero anno regnat? Etenim, o sine patrimonio natum (nescio an etiam sine matrimonio), quid prius ille debuit exquirere quam vires patrimonii sui, quod primum solet esse in rebus humanis, suarumque facultatum?

Quis enim ex magistratu aliquo aut procuratione sibi
comissa ac nondum commissa, non antea omnia vel per se vel
per alium de proventibus exquirit? Nedum rex cui belli pacisque
ratio constare debet. Sed ab hac sententia mox non recedis,
sed cadis, non negans illum vires suas scire potuisse: «Qui si
scire potuerat tam brevi spatio qui nam iniuste possiderent, illud

[Page 289]

abs te prius ostendi oportuit, ne rex avaritie simul et iniusticie
iure accusari posse videretur.» Istud et ego satis abundeque
ostendi et sua sponte credibile est et pluribus ostendi non oportebat
quam ipsius regis oratione. Verum quis te docuit, circumspicte
solersque orator, cum proponas de conjectura, rationem
reddere de qualitate? Cur enim prius ostendi a me vis oportuisse
scisse illum vires patrimonii sui et qui illud iniuste invasissent?
Nempe ut credibile esset eum de spoliatoribus suis esse conquestum:
hoc ad conjecturam pertinet. At nisi hoc ostendam
videri ais id illum avare iniusteque fecisse: hec ratio non
conjecture est, sed qualitatis. Age vero, ut sequar absurditatem
rationis tue et tibi de qualitate respondeam, quid mea si ille
avare et, quod supervacuo addis, iniuste fecit? Nunquid panegyricum
an gesta qualiacunque scribo Ferdinandi? Et
tamen quid est cur ille possit ex verbis meis iure accusari? Nempe
quia ais: «Quis vero dicat eos qui emerant iniustos possessores
esse?» Egregia ratio et iurisconsultis probanda: ut quisquis
emerit, quoquo modo emerit, suum sit. An ignoras cui in rem
competat actio et cui rei vendicatio? Consule ius civile et intelliges
quantopere erres. Nec prodest tibi quod Ciceronis
verba mutueris, licet ea tuo more corrumpas: «Rex meam pecuniam
habeat, ego rem suam nullam habeam?» An eadem causa
est eorum qui rescissa lege, qui resciuso iureiurando (nam de
rege nemini licere que regni sunt emere sanctum est), qui etiam
parvula mercede aut nulla, aut usurpis sortem superantibus, aut
rapina, aut furto patrimonium regis suum fecere, et eorum de
quibus sic Cicero ait: ‘Tabule vero nove quid habent argumenti
nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam
pecuniam?’ Transis post hec de gravissima causa
ad levissimam, de iure patrimonii regii recuperandi ad modestiam
sermonis: «Preterea presente comite Lune, cui comminari
videbatur tali querimonia, nequaquam sapientis regis videtur

[Page 290]

esse; quin etiam siquid ab illo usurpatum fuisset, dissimulandum
ab rege, illo presente, erat.» Non sentis, homo prepostere,
te intellectum rerum nature pervertere? Rex enim
laudavit adolescentem consobrini filium et ad illius exemplum
velle se ait recuperare sua. Non ergo minitari videtur, nec
significare se aliquid ab illo tanquam male possessum recuperaturum:
nam longe aberat ista suspicio. Nec video nisi per insanie
ianuam istuc in mentem tibi venire potuisse.
«Quapropter totam istam conquestionem ut ineptam et
minime probabilem reiiciendam puto; ut taceam rationes levissimas
quas afferentem gravissimum regem facis: cur qui emerint
iniuste possideant?» Et si fatuus es, non tamen malitia cares,
qui ea que confutare non potes vis credi nolle veluti manifesta
confutare.

*«Cum ad conspectum regis venit in augusta sedentis sella,
extra iactum lapidis, ex equo descendit genuque posuit, paulumque
progressus iterum adoravit; tertio non procul ab rege cum adorasset,
nec rex assureret*

et reliqua. Hic est ille creber error tuus,
qui non intelligis quam sit ista locutio brevitati contraria.»
Fateor me, fateor et hic et alibi errasse idque auctore Cicerone,
Quintiliano, Plinio. Verum prelonga locutio mea liquidius
apparuisset si hec que sequebantur subdidisses:

*'Nullumque
dum signum clementie in vultu ostenderet, erumpabant
omnibus lacrime gemitusque ac singultus, cogitantibus qua e spe et
in quam recidisset cui genua summittenti ad pedes sedentis in regia
sellae, paulo ante competitoris in tanto procerum amicorum cetu,
ne salutationem quidem aut clementem vultum impetrare fas esset:
cum presertim regis Petri filia eademque matertera ad pedes filii
sororis advoluta, muliebribus precibus veniam marito precaretur.'*

Hoc est, hoc est, perversissime nebulonum, cur semel, iterum,

[Page 291]

tertio fuit dicendum, quod, ne intelligi posset orationem, ante
legitimum finem precidisti.

*«Sed aiunt eum qui creatus est rex posse sibi suapte auctoritate
tribuere illam dignitatem. Hec est recepta hominum opinio ...*

Magnam pre te fers hoc loco prudentiam, primum qui non vides
te longius progredi quam oporteat et a suscepta narratione
de equestri dignitate disputando divertere, quod est contra
brevitatis preceptum.» Neque ex materia digressus sum, et
si digressio appellanda, certe brevissima est, et si longior foret
atque frequentior, id in historia fieri permittit ars, non quidem
ista cuius totiens mihi precepta decantas (quanquam ne ista
quidem vetat), sed altior illa atque perfectior, de qua superius
dixi. Volo hic reprehendere quod proximo libro nolui,
tanquam tunc parum apertum, quod 'pre te ferre prudentiam'
male accipis, cuius significatio est ipso ore ac tacito vultu fateri
aut certe non negare animi affectum habitumque, interdum
ipso genere verborum, ut Cicero in Oratore: 'Ac fortasse ceteri
tectiores, ego semper me didicisse pre me tuli' et in Philippicis:
'Tamen ei me debere pre me semper tuli'.
«Secundo autem loco, eam dignitatem vituperas que
semper magno in honore fuit, nec eam modo dignitatem, sed
etiam veteres a quibus instituta est contemnis. Taceo explanationem
que qualis sit nemo non videt.» Demus, ut quia
dixi *'hanc dignitatem, si hoc nomen meretur'*, eam a me vituperari!
Unde probas magno fuisse semper in honore et a veteribus institutam?
Quibus nam veteribus? An miles ille glorus apud
Plautum itemque alius apud Terentium huiusmodi fuit? Sed hec
apud Grecos externosque. Quid apud Latinos? Num Camillis,
Fabiis, Scipionibus, num denique Cesaribus hec dignitas
cognita fuit? Quid Iustinianus (cuius temporibus romanum vacillabat

[Page 292]

imperium)? Num in iure veteri enucleando, num in iis
que addenda existimavit ullam de istiusmodi militum dignatione
facit mentionem? Num ceteri, qui scriptum aliquid reliquerunt?
Et non pudet vos qui vetera nosse videri vultis, affirmare
hanc tunc, si placet, dignitatem extitisse? Quod autem
explanationem culpatis, nullo certo vitio obiecto, facitis pro
more ingenioque vestro, presertim quod nunquam disceditis a
libris Ciceronis ad Herennium scriptis, vix, ut ipse auctor fatetur,
Cicerone dignis.

3.12.

XII.

«*Disposita itaque re familiari conditoque testamento, occlusis hostiis ac fenestrī domus, extincto igni, sedentibus in pavimento uxore et filiabus, prosequentibus aliquantulum collegis ac ceteris velut damnatum destinatumque spectantibus ac miserantibus, ad regiam pergit.*

Credo nunquam preceptum ullum de iis que
ad brevitatem narrationis pertinent videris, tam frequenter in
eo peccas: de quibus, si nihil unquam traditum esset, tamen
(siquid valeres ingenio) iudicares ista superflua esse que narras.
Quid enim oportebat sciri utrum condito testamento an secus,
utrum occlusis fenestrī an apertis, utrum extincto igni an
excitato, utrum sedentibus uxore et filiabus in pavimento an
stantibus in balneo, is de quo loqueris ad regem se contulerit?»
Dii deeque, quacunque ex materia facti, bene faxint tibi,
belle preceptor! Tam graviter prudenterque me admones ut a
magistris meis, qui me nihil scire docuerunt aut potius dedocuerunt,
recedam, Cicerone, Quintiliano, Plinio. Verum, ut fatear,
hoc mihi vitium est ut nunquam me prolixitatis accuses quin
prolixius mea verba repetere libeat. Itaque sequitur:

*'Iam
magis ac magis tumultus invalescebat, iam vulgus passim fremere
audiebatur, et se invicem acuebant, nec exhortator es ex primoribus
usque deerant.'*

Quare, mi preceptor, animadverte quid agas:

[Page 293]

cum me breviorem esse vis, longiorem reddis. Illudquoque
velim me edoceas, cur in rebus que nec due, nec contrarie sunt,
dicas 'utrum', quasi non possent alio in loco esse ille feminine
quam aut in pavimento sedentes, aut in balneo stantes.
«Preterea quis credat tantum terrorem et metum huic
homini iniectum, quoniam ab rege vocaretur propter tumultum
a plebe excitatum, presertim a quo ille abfuisset?» O te vino
ligustico temulentum! Propter tumultum ne excitatum hic vocatus
ab rege est? An propter hunc vocatum tumultus excitatus
est? qui esset princeps senatus, ut ex verbis appetat que modo
repetii. Edormi igitur (ut Cicero in Antonium inquit) crapulam
et exhala. Quid ergo metuebat? Nempe ne se, qui pro sua
dignitate causam publicam et defenderat adversus regem et
defensurus erat, ille, ad terrendum contumacem populum,
multaret atque interimeret, quod adeo regibus usitatum est ut
frequentius a mortibus quam a minis incipient. Ideoque
stulte subiicis: «Num ad leonem, num ad tigridem ibat?» O
rerum imperitum! Quid irato truculentius rege, quem populi,
quem nationes, quem armati exercitus tremunt? Sed video,
ut es religiosus, fame regis caveri vis, inquiens: «Non vides
regem truculentie ac feritatis abs te latenter accusari, qui erat
humanissimus? Quomodo plus timoris et desperationis ostendere
potuisset si regem occidere vel prodere conatus esset?»
Stolide, qui tibi putas bene cedere mendacium! Unde
probas illum fuisse humanissimum? Hoc tu, ut me refelleres,
finxisti ad tempus. Ego, qui diligentissime mores Ferdinandi
regis exploravi, ita in finem libri tertii scripsi:

*'In contumaces
nocentesque vehemens, sed erga eos qui allegarent necessitates, paupertatem,
morbum, etatem aliasque misericordie causas clementissimus.'*

Sed fac minus severum. Quid ni timeat qui sciat
regem ira percitum, et se unum vocari quasi principem senatus,
ducem populi contumacis, cuius unius nece cum populo decidatur?

[Page 294]

O te extra humanos sensus positum, omnis civitas,
quod velut regem invasura ad arma discurrit, nullo an aliquo
timore fecit? Cur tantopere trepidabat? Quid minabatur illo
die? si in principem populi male consultum esset, neminem
eorum qui cum rege essent incolumem fore. Adeo non minor
in armata civitate quam in inermi cive significatio timoris
pro huius vita erat. Ignoras ne hec ita gesta esse? Atqui non
debes ignorare, cum a me narrentur. Non credis vera? Atqui
sciscitari potes eos qui interfuerunt, prope innumerabiles. Falsa
esse probare vis? Testibus convince, non nugis. Sed quid
hec? Videris enim concedere ita rem se habere, cum aīs regie
hoc truculentie ac feritatis argumentum esse. Libentius te de
piscatoribus loquentem sutoribusque audirem quam de regibus
ac civitatibus: quasi vero non plurima sint exempla vel popularis
vel castrensis seditionis adversus regem ducem ve iniuste
et ob hoc ipsum concitate, quod is in aliquem sontem vellet
animadvertere. Non repetam longius exempla et que fortassis
ignores, sed quod ad manum est quodque legisti in primo
libro historiarum mearum: ipse idem Ferdinandus in Setanilliano
bello decurionem qui, multis hominibus interfectis, fidem
publicam lesisset, subiicere pene non potuit, simili quadam seditione
impeditus.

«Satis itaque id fuerat dicere: ‘Cevillerius cum ab rege
vocaretur, rebus primum compositis, veritus ne per iram rex in
se male consuleret, in regiam profectus est’.» Recte tu quidem
et probe, sed Ciceroni ceterisque prudentibus brevitas ista non
placet ac minime probatur.

«*Ubi pervenit Cevillerius ad ianuam conclavis, ubi ab rege
expectabatur, pulsat ianuam (nam ministros in prima aula, ut moris
est, reliquerat). Ianitor, semiaperto hostio, quis esset interrogat,
an Ioannes Cevillerius. Hic aliquid favoris ex nomine magistratus*

[Page 295]

acquirere volens, ‘Consiliarius sum, inquit, civitatis.’ ‘An Cevillerius?’
‘Civitatis inquam consiliarius.’ ‘Responde an Cevillerius.’
‘Respondeo quod consiliarius.’ ‘Responde quod rogo, nam alium
quam Cevillerium intromittere iussus non sum’ ‘An me intromittas,
an exclusas in tua est manu. Ego consiliarius unus, sed pro
omnibus sum, ideoque parvi refert interrogare de nomine.’ Hec
cum ille ad regem detulisset, ‘Aperi, rex inquit, Cevillerio: ex pertinacia
enim se Cevillerium esse confitetur, et contumaciam qua
mecum usurus est, in verbis que dixit hactenus prefert’.

Ecce alterum
errorem insigniorem tuum contra brevitatem. Nam si reprehendit
Cicero ‘qui dixit aut dicat Accessi ad edes, puerum
vocavi, respondit, quesivi dominum, domi negavit esse
quanto magis reprehendendus es tu qui eadem repetis et replicas
sepius? Cum id dici eleganter his pauculis verbis potuerit:
‘Ubi Cevillerius ad ianuam cubiculi pervenit, ianitor quis
esset interrogat, ille se consiliarium civitatis esse respondit; cum
autem ille nomen requereret, sepius interrogatus, nunquam se
nisi nomine dignitatis appellare voluit; tanta fuit hominis sive
constantia sive pertinacia’.» Cur tu qui Ciceronis in rhetorica
affers exemplum, non alterius in libris De oratore meministi?
‘Ut iucunda, ut venusta, ut festiva, ut ad persuadendum
sit accommodata narratio ... distincta personis et interpuncta

sermonibus.' At idem tibi vitium videtur in meis et in iis que reprehendit Cicero verbis? An maius? An tantum? Perverse atque impudens, qui me sepius eadem repetere plane mentiris: que ego longius etiam quam tu feceras, ubique dolo utens, in recitando persecutus sum ut appareret a me venustati probabilitatique servitum. Quod si tantopere tibi amica est brevitas, qui te stupor tenet ut non intelligas non attinuisse narrare accessum ad ianuam, interrogationem, responsionemque

[Page 296]

sepius repetitam, presertim non redditia ratione cur nomen et ianitor interrogaret et consiliarius celaret, cum satis fuisse fecisse hominem ad regem qui expectabat introgressum? Afferrem infinita ex Cicerone huius generis exempla, nisi et vererer longus esse et id Terentianum quod ille attulit satis esset abundeque. Hec pro me. Illa contra te, primum quod nulla nec constantia nec pertinacia est si quis sepius interrogatus quis sit, non neget unquam responsum, sed nomine magistratus se appelle; deinde quod aīs 'ecce alterum vitium', quasi non nisi semel hoc pro vitio superius obieceris; tertio quod inquis 'illum se appellasse nomine dignitatis', quasi se is aliter quam consiliarium nominarit, quod non dignitatis sed hominis dignatione prediti nomen est, ut consul, pretor, tribunus, censor, senator: at consultatus, pretura, tribunatus, censura non hominis est, sed dignationis nomen, et senatus conventus senatorum, ut consilium interdum conventus consiliariorum, qui iidem sunt senatores, quo nomine se nequaquam hic appellavit. Verum hec duo vitia magis sunt verborum, sed commodius hic quam superiore libro, quia apertius reprehenduntur.

«Non afferam e regno patris mei, non ex aliis huius etatis exempla. Certe Lacedemonii, apud quos bini reges erant et magis perpetui consules quam reges (ita parum in urbe, multum in bello poterant), voluerunt illos huius contumelie exortes esse. Taceo gentilia. Quis unquam Illebreorum regum aliquem vectigal audivit peperdisse, et non potius regi vectigalia esse pensitata? Non id nunc postulo ut mihi illa pensitentur, quanquam et possem, sed ut regie dignitatis ratio constet.

Exempla placent, validissimo inniteris argumento: Lacedemonii et Hebrei nullum vectigal

[Page 297]

suis populis pendebant, igitur omnes reges a vectigalibus immunes ac liberi esse debent. Recta conclusio: si dixisses superiores reges aragonicos non esse solitos vectigal pendere, consequens erat quod nec ei quoque solvendum vectigal esset. Nunquid qua lege unus aut duo non tenentur, ceteros omnes solutos esse dixeris? Si hac conditione regnum acceperat ut maiorum leges servaret et maiores ea vectigalia pensitarant, iniustum regem facis qui leges non servet quibus erat obstrictus. Si vero nulla lege tenebatur, ostendi oportebat non esse solvendum». Taceo quod idem vocas 'argumentum' et 'exemplum'. Taceo quod rursus unam rem duas facis, cum nullum hic assit argumentum, sed exempla. Taceo quod ubi dixisti 'recta conclusio' addidisti 'consequens erat'. Quis te cogitari potest fingi ve stultior ac negligentior? Nonne in superiore Ferdinandi regis oratione itemque in proxima memoratur paulo superiores Aragonie reges comitesque Barcelone non modo non pensitasse vectigalia, verum etiam exegisse, culpaque quorundam regum huc indignitatis deuentum, rescissis legibus violatoque iureiurando, quas leges iusque iurandum restituere rex Ferdinandus in integrum nitebatur? Et tu morionum vecordissimus sic loqueris, quasi rex pro se nihil in tanta lite afferret. Nec minus stulte subiicis: «An nescis aliis regibus plus licere in populos, aliis minus? Esse quosdam populos immunes a tributis, esse alios qui gravia persolvant?» Scio aliis regibus plus licere in populos, aliis minus, quod nihil ad rem. Illud nescio aliis populis plus, aliis minus licere in reges, quo de agimus.

Scio item esse populos et vectigalium immunes et non immunes (nam de tributis somnias). Illud nescio reges esse qui vectigalia populis et tributa persolvant: hoc tu me doce, gregis patrona, ha, regis patrona dicere volui. Licet ne mihi tuis verbis in te iocari, hominem nec iocis nec seriis aptum? ut prudentius ille efferato ingenio Polyphemus cum duce gregis ariete locutus

[Page 298]

sit quam tu gregalis atque gregarius cum hominibus loqueris.
«Si equum est ut iusta regi solvantur, cur iniquum fuerit
reges quod debent populis persolvere?» Hanc rationem vel
Polyphemus ipse damnaret. Nam ut taceam quod duabus orationibus
probatum est nihil servitutis debere populo regem
quid hoc aliud est quam si quis dicat ‘si libertus patrono prestat
operas quas equum est, cur iniquum sit patronum prestare
vicissim liberto operas?’ At enim addis ‘quod debent’, quasi
vero patronus liberto operas, dominus servo obsequium, pater
filio reverentiam, rex populo vectigalia tributaque debeat. Ille
vero nihil aliud populo debet quam munus suum, iustum legitimamque
gubernationem: itaque eius est non parere sed iubere,
sicut populi non imperare sed optemperare; que duo officia ubi
promiscua sunt ambo pereunt. Plurima in hanc rem dici queant,
sed parvo conatu opus est ad imbecillum prosternendum.
«Iniuste itaque regem loquentem facis.» Immo vero
iustissime, fortissime, sapientissime. Tu potius, tu pro adversariis
regis in ipsum peroras, cum pro eo loqui vis, regie cause
defensor.
«Ad quod quidem nulla te historie lex cogebat. Vitia in
oratione non tribuuntur regi sed tibi, sicut ars et elegantia non
his qui loquuntur, sed historiographis, a quibus orationes confecte
sunt, dari solet.» Agnosce quam improprie, inculte,
laxe loquaris. Sic enim dicere debueras: ‘Vitia orationis ut virtutes
non iis qui loquentes inducuntur, sed scriptoribus tribuuntur.
Sed quando intelliges quid loquaris? Esto, rex locutus
sit iniuste, insipienter, ignave. Nunquid continuo vitia orationis
erunt? hoc est, protinus historico assignabuntur? Num omnes
reges fuere sapientes atque moderati et non sepe loquendo peccavere.
Et ais ‘ab historiographis confecte sunt orationes’,

[Page 299]

quasi idem sit ‘confecte’ quam ‘conficte’. Omnes ne censes tui
similes in historia mendaces atque impudentes? Nulla ne oratio
apud historicos vera est, duntaxat in sensibus? Omnes ne illorum
vere orationes quorum acta scribuntur in falsas sunt a
scriptoribus commutatae? O dignum qui ab historicis cum tuis
mendacissimis historiis vivus exuraris! Nam quod ad meas
attinet, extat apud Catalanos in publicis monumentis omnis hec
inter regem populumque controversia, ut scias ex maxima parte
esse et verba mea et sensus veritatis.

«Quibus rebus cum vos adversemisi, quid aliud nisi cupidos
vos esse significatis nostre turpitudinis, dedecoris, infamie, sine
ulla vestra, si saperetis, laude ac dignitate?

Nec minus hic quam
ceteris in locis tuam requireo prudentiam, qui turpitudini regi
esse dicas et infamie, si vectigal pendat. Utrum infame et turpe,
regi an populis, qui velint regem vectigal pendere? Quod nulla
culpa, nullo regis vitio admittitur, id regi turpe et dishonestum
argues. Turpitude et infamia est eius qui infert, non qui patitur
aliquid indignum.» Dii te tui omnes omnibus malis exemplis
perdant, ita preposterus es ac vecors, qui, quod vix asperrimi
Stoicorum audeant, ais dedecus, turpitudinem, infamiam
non patientem, sed facientem ledere. Si me vulneres, si torqueas,
si trucidies, non mea erit pena, sed tua? Item si me infames
ac dehonestes, tua, non mea erit infamia ac ignominia? Sicut
e contrario laudatio et gloria. Nam quod Aristoteles ait
honorem esse in honorante, non ita sentiendum est quemadmodum
vulgo dicitur, ut honor sit honorantis non autem honorati

(nam est utique honorati), sed quod est in manu et arbitrio
honorantis ut illum tribuat. Etenim quid magis a sensu
communi abhorrens? Quid magis respuant aures? Quid a regis
et populi vel oratione vel opinione alienius quam infamiam eius
esse qui illam inferat, non qui patiatur iniustr? Et pro nihilo

[Page 300]

proque non malo ducere quantacunque se iactura, infamia,
iniuria affici, dum sciat se illa indignum, cum soleat hoc ipso
acerbitas doloris increscere quod iniuste patimur (ut apud
Quintilianum: ‘Innocentia opus est ut miserum faciat dolor’),
sicut e diverso decrescere quod iuste (ut in eodem loco apud
eundem: ‘Nescit profecto, nescit quantam patientiam paret
merori, quantum animo membrisque rigoris inducat quod patiaris
agnoscere’). Hoc nihil ne cogitari quidem dici ve stultius
potest, nisi quod sequitur: «Precipue si ei qui patitur non
liceat eam indignationem iure repellere.» Si non licet iure
repellere, quo pacto indignitas est? Et tamen quis est qui infamiam,
dedecus, turpitudinem que iure ac merito patiatur, non
propulsare studeat? que a quounque illata, cum gravia sunt,
tum vero ab iis a quibus minime decuit. Ideoque rex queritur
talia quedam a populis suis, quasi ad hoc incumbentibus, pati.
Multa mihi suppeditaret oratio si stolida hominis verba exagitare
pergam.

«Fac igitur reges sapienter et iuste loqui ac dicere que
illis convenientia et decora sint, si vis laudem ex scriptis tuis
assequi.» Si non omnes reges sapientes et iusti fuerunt, quomodo
omnes sapiens ac iusta decet oratio? licet hec oratio tam sapiens
ac iusta est quam tu iniquus et fatuus.

«Que facta sunt narrari oportet quo ordine facta sunt.»
Quid attinet hic de ordine loqui? tam et si non eodem semper
quo gesta sunt ordine narrantur.

«Que vero dicta, ab historico componi possunt.» Egregium
preceptum, ut semper in orationibus mentiamur: quod
quia tu semper facis, vel voce vel scriptis, reris id aut consuetum
aut equum ceteris facere.

«Sed quis expectet regem abs te moderatum et iustum induci

[Page 301]

qui ipse immoderatus, preceps inconsultusque sis?» Expectemus
ergo regem loquentem que non dixit, idest mendacia
loquentem, abs te induci, qui ut constat mendacissimus es.

«Nec ullum delectum rerum in oratione tua habeas?»

Ego vero delectum habendum censeo inter probos et improbos
reges, qui apud te omnes sunt probi, quod fieri nequit, et tamen,
quod monstri simile est, mendaces.

«Neque enim potest quis dare quo ipse careat.» Quomodo
tu ergo das orationem mendacissimam regibus non mendacibus
et, ut tu fateris, iustis ac sapientibus?

«Non magis quam ego digito celum tangere.» Scelerate
et tuo similis Panormite, pro ‘celo’ aliud scripsisti, prioris syllabe
vocalem pro tertia ultimam, licet docti non una, sed duabus
scribant, alii per **æ**, alii per **oe**, ??? ??? ??????. Vide vita pessima
quid faciat? Nec ego deprehendissem nisi quia tritus sermo
est te ‘celum’ velle dicere. At tu, cum ‘celum’ nominare vis,
barathrum nominasti, locum profecto digito tuo dignum atque
adeo lingua: nam tuis digitis cum scripsisti et tue lingue cum
protulisti adhesit.

[Page 303]

4. LIBER QUARTUS

4.1.

I. Satis ut spero historias nostras et nonnihil preter historias ab infanda teterrimorum accusatorum calumnia defendimus. Reliquum est ut que adversus ceteros libros meos ac mores effuderunt diluam, non servato ipsorum, qui nullus est, ordine: nam nunc in mores, nec eos distincte ac disposite, nunc in libros, atque iterum in idem redeentes, invehuntur. Tam et si que in vitam meam evomuerunt plus furoris habent quam roboris, vix digna quibus respondeam, qualia vulgo a procacibus petulantibusque in quemvis oblatrari solent: me imprudentem esse, qui nec alios nec me ipsum cognoscam, impudentem, qui mihi nimis arrogem, temerarium, qui alios carpam, et que sunt id genus. Quorum que nixa esse aliquo testimonio videbuntur refellam. Et ante omnia satisfaciendum illi loco qui superiori materie finitimus est ac precipue coniunctus et totius huius tragedie fomes, de quo me promisi dicturum, quod Antonium Panormitam video lacessisse causamque prebuisse ut is in superioribus magna, hic maxima ex parte suum in me virus evomeret. Nam et testibus exquisitum habeo et ipsa que Bartholomeo ignota erat materia, ut postea ostendam, indicat hunc pariter adversus me cum Fatuo scripsisse. Scribunt igitur: «Quotiens ego te vidi, legente Antonio Panormita, eruditissimo viro, Livium apud hunc excellentissimum regem nostrum, ceteris qui aderant per summum silentium audientibus, illum abs te interpellari et molestas disputationes abs te inferri nec tempori certe nec loco consentaneas? ut sepe miratus sim tam patientes esse regis aures quin te sublimem rapi ac loris cedi, tanquam loquacem ac molestum interpellatorem, iusserit.» Antequam accusationi respondeo, quia se eruditissimum Bartholomei verbis Antonius appellat, ostendam ex hoc ipso loco quam sit uterque eruditus et qui laudatur et qui laudat (nam ut dixi ambo scripserunt). Primum 'te' unde regatur non habet, sive supervacuum

[Page 304]

est; deinde insuetum est apud oratores historicosque tale sermonis genus 'quotiens ego vidi legente Antonio abs te illum interpellari', cum dicendum sit 'quotiens ego vidi Antonium legentem abs te interpellari', de quo in Elegantissimi precepi; postremo 'quin' pro 'quod non' positum est. Respondeo nunc accusationi. Miramini quod non iussus sum rapi et loris cedi, quia legentem interfatus sum. Ecquis hoc tempore legit? Certe ego, non tu Antoni. Centesima lux est ex quo ab rege sibi aliquot libros prelegere iussus sum, interque legendum multa ab eo, multa ab aliis vel magnis viris vel minoribus proposita, ut tibi sepe contingebat, solvere soleo multo quam tu doctius. Adeo, quantum intelligere possum, nihil illi iocundius cadere solet quam quotiens lectio cum erudita aliqua questione transigitur, sive ut aliquid discat sive ut admirabile ingenium quo nullum cognovi prestantius admirabilemque rerum copiam quas expertus est ostendat. Nihil enim gratius apud optimas mentes est quam res egregias cum gloria vel discere vel docere. Non est igitur iniustum, non insuetum, non regi, non mihi ipsi legenti molestum aliquem auditorum interfari. His ego de causis voluntati regis seu voluptati nonnunquam cum lectioni assum inservio. Neque vero vos improbissimi potestis usque adeo tegere lumen veritatis quin illud per obstantia erumpat. Vesta oratio satis docet quid de me sapientissimus rex iudicarit, qui interpellantem, si vobis credimus, odiose ac moleste, tamen patienter audierit, tantumque non addidistis, etiam libenter. Cuius quod sit de me iudicium vel ille dies indicio est, cum ad eum egrotantem scripsi animal quod ei dono datum esset castorem esse (multi enim multa dicebant) idque testimoniis probavi; sicut aliquot antea annis de capite crocodilli feceram, quod Panormita draconis apud illum esse asseverabat (velim autem oratos qui hec legent ne me iactantie gratia ista loqui existiment, sed necessitate: non enim invidiosa est

[Page 305]

de se laus, que nihil aliud quam pestifere infamie medicina est). «Plane, inquit, cunctos qui mecum sunt Laurentius ut facundia sic scientia antecellit.» Que verba illustris vir Simon Corellia, Valentie preses, gratulabundus ad me detulit cum in magno hominum cetu essem. Quare non est quod regium mihi nomen opponas, quod cause mee favorem, non odium parit. At cur non sileo, ut ceteri faciunt? Ego vero facio et quidem plus ceteris. Nam si nemo procerum, quotiens aliquid auditu dignum excogitavit, silet isque ab rege auscultatur, nec procerum modo, verum etiam qualiuncunque quos tu pro tua consuetudine solitos silere mentiris, quo tandem modo mihi silere integrum est? quem loqui ceteri cupiunt, rex invitat, adversarius cogit. Omittam quam sepe me alii adhortati sint quid sentiam dicere. Referam unam regis ex multis invitationibus itemque unam ex adversarii provocationibus; et quod ad primam partem attinet repetam aliquanto altius, magis ut spero iocundam quam verbosam narrationem. Fere tertius annus agitur cum die quodam subiratus quod a Panormita, ut est malignus et mordax, quibusdam in versibus Iesus essem, de quibus etiam postea dicam, me in regiam contuli affuique illi, ut solebat, Livium legenti et casu hec inter cetera verba: 'ire in sententiam pedibus', sic exponenti: favere pro viribus et omni conatu. Ego nihil interfatus loquentem regem cum iis qui affuerunt,

[Page 306]

immo adeo (deum testor) cum finem legendi fecisset, negavi eam esse verborum illorum significationem et que nam esset subieci. Aderat Scensus quidam, vir non indoctus, mihi nondum cognitus, qui cum Antonio, cui notissimus erat, se sentire dicebat. Ego pro copia exemplorum que occurrebant meam sententiam tutari nitebar. Que controversia nescio cuius interventu dirempta est. Paucis post hec diebus, et rex in expeditionem exivit et Scensus Romam missus est: ubi sciscitatus eruditos viros, cum redisset apud me ingenue se errasse confessus est, quod diceret mecum sentire doctos omnes quos interrogasset. Igitur proxima estate, cum Antonius illum apud Livium locum legeret 'Octavo ferme post damnationem anno M. Claudius Marcellus et M. Valerius Levinus consules reduxerunt eum in urbem. Sed erat veste obsoleta capilloque et barba promissa, pre se referens in vultu habituque insignem memoriam ignominie acceperit. P. Veterius et L. Licinius censores eum tonderi et squalorem deponere et in senatum venire fungique aliis publicis muneribus coegerunt. Sed tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati eum hominis causa M. Livii Macati, cum de fama eius ageretur, stantem coegit in senatu sententiam dicere', rex, non expectata expositione Antonii, ad me conversus, «Nunc, inquit, intelligi plane poterit quid sibi velit 'ire in sententiam pedibus'.» Nescio utrum sim in eo miratus magis, memoriam tam veteris questiuncule an discendi aviditatem. Tum Antonius audacter confirmare opinionem suam nec esse aliam dicere et quem ego sensum alias protulisse haud dubie falsum esse. Tunc universi cum antea, tum post illius verba, in me oculos intenderunt, rexque in primis et se ad audiendum toto vultu in me,

[Page 307]

qui ad levam eius eram, converso composuit. Hic ego quid agerem? Tacerem ne? aut inimico assentirer et falsum sentienti et me falsum sentire dicenti, presertim adeo perverso ac pervicaci ut cum tanto iam tempore veritatem questionis aut invenire potuerit aut invenerit, tamen tam audacter accuset vera sentientem? Respondi itaque, prefatus quodam velut proemio quod ideo rex (ad eum enim me converti) de ea re percuntatus esset, quod memorie sue hereret aliquando inter nos de ipsa fuisse disputatum, que disputatio a me esset orta. «Post hec, inquam, nostra iam controversia ab optimis iudicibus finita est, Cincio, Ranucio aliisque nonnullis, ut Scensus, qui tunc interfuit quique nunc Neapoli adest, mihi renuntiavit. Est autem, optime rex, hoc loco isse in sententiam pedibus Salinatorem, in alterius sententiam non verbis, sed pedibus isse. Etenim quotiens in senatu dicebantur sententie que probari possent,

fiebat discessio, hoc est senatores discedere iubebantur in utram partem volebant, utputa dicente consule 'Qui assentiuntur sententie Fabii concedant in dexteram partem, qui dissentient in sinistram', atque ita quisque quam sententiam probabat in eius se partem pedibus conferebat. Quod probat Suetonius qui in Vita Tiberii ait: 'Cum senatus consultum per discessionem fieret, transeuntem eum in alteram partem secutus est nemo', Cornelius quoque Tacitus: 'Et postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere paucis exceptis.' Accipite etiam ex ipso Livio non alienum a nostra questione exemplum, ex libro septimo: 'Ubi sententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt in dexteram partem taciti transibitis: que pars maior erit, eorum stabitur consilio', pauloque post: 'Agitedum in dexteram partem pedibus transite. Omnes transierunt.' Quid plura exempla? Cum Aulus Gellius hoc pene precipiat dicens quosdam senatores opinione quorundam vocatos pedarios, quos prave nonnulli pedaneos vocant,

[Page 308]

quod pedibus non verbis sententiam dicerent.» Hac ego oratione regem ceterosque cum persuasissem, Panormita, quo apertius imperitiam suam pertinaciamque indicaret, unum tantum testimonium pro se attulit ex Quintiliani Declamationibus, edoctus id a conterraneo quodam, illius auctoris studioso, dicentis: 'Pedibus, manibus ivimus in sententiam necessitatis'. «Opinor, inquit, ambulabant manibus interdum, levatis in altum pedibus, aut pedibus simul et manibus, veluti quadrupedes.» Hec et huiusmodi cavillatus, ubi finem fecit et rex cum reliquis in me oculis animoque conversus esset (loquebar autem ego litterate, Antonius illitterate), «Debuerat, inquam, quod boni advocati est, Antonius infirmare testimonia mea, idest ad suum intellectum exponere; sed eum videlicet excusat quod infirmare adversarii testimonia non solum boni advocati est, sed etiam bone cause, qualis antoniana non est: ideoque a seriis ad ioca transfugit. At ego in eius testimonio ostendam non eum sensum quem ipse vult esse, sed meum. Quintilianus iccirco prius nominavit pedes, cum fere priores nominentur manus (ut apud Terentium: Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia facturum et in eadem Andria: Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo conari manibus pedibusque), quod prius est pedibus in sententiam ire quam manibus. Imus autem in sententiam manibus, non levatis in sublime pedibus aut in morem quadrupedum officio pedum fungentibus: sed, quomodo Xenophon ait, cum milites loco discedere non possent, iussi sunt qui sententiam orantis probarent manus tollere, quod instar erat itionis in sententiam pedibus, quoniam pro pedibus quibus itur manibus fungebantur, et ideo ?????????? apud eos dicitur eligere, a tendendis manibus in signum approbationis. Atque ut idem ex auctore latino probem,

[Page 309]

ait Flavius Vopiscus in Aureliani vita: 'Hec interrogati plerique senatores sententias dixerunt, quas longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus conditum est senatus consultum' et iterum in eiusdem vita: 'Pedibus in sententiam transitum faciens ac manum porrigens.' Hoc modo Quintilianus inquit de populo frequenti, qui ex omni sexu et etate constabat, cum fame laboraret, eos qui pedibus in sententiam ire non poterant manibus isse, quas porrigebant ad declarandam animi voluntatem.» Omnes mihi hec locuto palam assensi sunt testatique idem fieri solere hoc tempore, cum alibi, tum vero in re militari. Et Antonius, ut victus ac damnatus, obmutuit, cum respondere et appellare tam nequiret quam vellet. Atque eo tacente addidi: «Quia de discessione dixi, dicam breviter de divisione sententie. Est in senatu sententie divisio quotiens in sententia plura continentur ut tota nec probari nec improbari queat ideoque iubetur in partes dividi, ut de singulis consultetur. Hoc si neget Antonius, probabo, non exemplis modo, sed etiam preceptis.» Sub hec cum ille ad convicia erumperet, rex utrumque

silere iussit. Hoc est ad quod ego, rege volente ac causa postulante, ut loquerer inductus sum. Quod sequitur, ad id me adversarius provocavit. Interrogatus Panormita a scholastico quodam qui sensus esset tertii illorum quatuor apud Iuvenalem versum:

Arpinas alius Volscorum in monte solebat poscere mercedes alieno fessus aratro, nodosam posthec frangebat vertice vitem, si lento pigra muniret castra dolabra, respondit Marium solitum frangere vitem a vertice, hoc est ab imo, cum nodosior erat ferro quod dicitur dolabra. Hac responsione tanquam non contentus scholasticus, forte nobilem et genere et litteris virum Franciscum Salimbenum idem illud interrogat (ita enim ab utroque post nostram controversiam

[Page 310]

accepi) tulitque longe diversum responsum, esse enim, ut est apud Vegetum, insigne quo milites verberarentur: quam sententiam protinus ad Antonium scholasticus detulit, sed male perceptam peius docuit, sive hic peius percepit quam doceretur. Itaque respondet se diligentius veram sententiam exquisitum; iubet post aliquot dies ad se redeat; interea, si doctior abire velit, hanc rem communicare cum aliquo vetat. Quid ita? An ne ignorasse quod ignoraverat videretur? Immo vero ut scisse, immo ut alios docuisse, immo ut, quod iocundissimum erat, me imperitie argueretur idque apud reges atque illam frequentiam procerum. Quod si nunquam a natura sua recedit falso gloriandi, quid facturum credamus ubi etiam spes ebulandiatur inimicum et glorie sue hostem hoc velut laqueo strangulandi? Igitur non procrastinat et cum primum nactus est locum ubi fascium consularium mentio fieret, converso in prelustrem virum Egnigum Davalum qui erat mihi ad sinistram (nam rex sedebat ad dexteram), «Qua nam, inquit, ex arbore virge fascium erant?» Ego, et si me precipue illa percontatione peti videbam, hesitabundus tacebam. Et Egnigus: «Quid ni ex granato?» «Nequaquam», inquit Antonius, suspensoque responso, ut ignorantie confessionem a me exprimeret, oculisque hilaribus gaudium iam suum probebat. Cum universi quid sentirem ut dicerem, tanquam ab adversario rogatus, expectarent, ingenu me nescire professus sum nec usquam, quod meminerim, legisse, existimare tamen pro locorum natura, nunc ex hac, nunc ex illa arbore esse, non ex certa, cuius generis est qua legati utebantur, sagmina, unde sancti sunt dicti, ut quibusdam placet, licet aliqui herbam eam velint esse. (Neque

[Page 311]

vero mihi veniebat in mentem ita Plinium reliquise scriptum: 'Gaudet frigidis sorbus sed etiam magis betulla gallica. Hec arbor mirabil candore et tenuitate, terribilis magistratum virgis, eadem circulis flexilis'; et Plautum, qui nonnunquam ulmeas virgas vocat quibus servi cederentur: quodam loco lictores et genus virgarum nominat, sed in servo flagellando a domino, non autem magistratus iussu, inquiens: Lictores duo, duo viminei fasces virgarum; et si qua sunt alia exempla). Tum Antonius: «Haud ita est, inquit, sacra maiestas: ex certa virge ille arbore fiebant. Hoc perquam pauci et prope nulli sciunt ac res in primis digna scitu, vel propter historiarum notitiam, vel quia versus Iuvenalis eloquentissimi poete aliter nequit intelligi: quales plurimi alii sunt, quos cum a nemine intelligi viderem, multo labore desuadavi ut intelligerem et alios docerem.» Et cum multis sibi verbis fecisset audientiam, prorsus, quasi de Laurentio victo triumpharet, subiicit versus atque exponit, inquiens: «Ex vite virge erant, hoc est ex sarmentis que sunt vitium virge: ex quibus fasces consulares fiebant quibusque delinquentes, qualis fuit Marius, verberabantur» et alia plura. Ubi peroravit, et si videbatur omnibus vere dixisse, tamen sive arbitrantes aliquid a me verius dici posse, sive cupientes ut aliquid responderem, saltem illi assensurus, tanquam non habentes pro certo nisi ego id confirmasset, in me omnes (et ego iam me ad respondendum parabam) conversi sunt miroque cum silentio prestolabantur quid in contrarium

(ita enim videbar) dicturus essem. Atque ego:
«Absurdum sit, inquam, optime rex, arbitrari virgas fascium
consularium ex sarmentis fuisse et fasces vitem vocari solitos,
quasi una vitis fuerit aut spoliata sarmentis aut illis dependentibus;

[Page 312]

multumque aliter figuratos in vetustis operibus cernimus,
veluti Rome in arcu quodam.» Hic me interpellans Antonius,
ut qui sibi iam timeret quemque provocasse hostem (sicut
de Hectore Homerus scribit, cum ad singulare certamen fortissimum
quenque Grecorum eliciisset, progresso in medium Aiace)
iam peniteret, «Est, inquit, Rome arcus quidam ubi consul
et lictores cum fascibus sculpti visuntur» et fabulam aliam,
ut me dicentem inhiberet, ordiebat. Ad quem ego: «Quid tu
plura de arcu? cuius tibi ego fui monstrator.» «Tu ne, inquit,
mihi?» «Ego, inquam, tibi et Leonardus Arretinus mihi.» Rediens
in memoriam, paululum hesit. Et rex: «Revertere,
inquit, Laurenti, ad fasces et perage quod institueras.» Et ego:
«Erat, inquam, optime rex, insigne consulatus non una vitis aut
unus sarmentorum fascis, sed fasces duodecim ex quacunque
ut reor arbore, ausim dicere vite excepta. Nam vitis ipsa centurionis
insigne est: ille virge consuli preferebantur, hec a centurione
gestabatur, illis per lictores nuda terga damnatorum ad
palum deligatorum cedebantur, hac centurio per se non certam,
sed quancunque vestiti corporis partem solutorum militum qui
deliquissent verberabat. Et hoc est quod luvenalis de verberato
Mario ait, adeo quidem ut vitis que difficile frangitur in
illius etiam capite frangeretur. Multa dici possent quare potius
ad hoc electa sit vitis quam aut fustis, aut virga, aut flagellum;
sed malo testimonia proferre auctorum quod vitis fuerit centurionis
insigne et sic luvenalem intelligendum. Lucanus,
septimo:
Sceva viro nomen: castrorum in plebe merebat
ante feras Rhodani gentes; ibi sanguine multo
promotus latiam longo gerit ordine vitem.

[Page 313]

Hunc Scevam centurionem fuisse et commentarii Cesaris et
Valerius et auctores alii multi testantur. Plinius libro XIV:
'Quid quod inserta castris sumمام rerum imperiumque continet,
centurionum in manu, vitis et opimo premio tardos ordines
ad lentas perducit aquilas atque etiam in delictis pene ipsam
honorat?' Martius iurisconsultus Digestorum libro undequinquagesimo,
de re militari: 'Is qui centurioni volenti se castigare
restiterit, si vitem tenuit, militiam mutat, si ex industria
fregit vel manum centurioni intulit, capite punitur.' Hec
cum ab omnibus summa cum approbatione essent excepta, Antonius
nihil hiscere in contrarium ausus est, iandudum penitentiam
in vultu preferens quod me lacesisset. Nec tamen unquam,
cum se offert vel minima occasio, lacesere omittit. I nunc
et dic cur eum interloquar, sive, ut ais, interpellem, quem ipse,
quem rex, quem cuncti qui assunt non tacere compellunt: nisi
velim in conspectu regis procerumque non apparere idque inimici
demerendi gratia. A quo si he cause non subessent,
optimo iure possem expetere ultiōnem quod inter legendum me
sepe carpsisset, ut alios multos, «Hoc, inquiens, nescivit Leonardus,
in hoc erravit Guarinus, hoc male tradidit Gasparinus,
hoc ego docui Carolum, hoc ignorat Laurentius.» Aliquando
cum in gratiam redissemus et lecturus Livium a me
permulta doceretur adesseisque legenti fautor, semel apud infantem
Petrum, bis apud regem dixit 'in sacra ago' pro 'in sacra
facio' lapsum esse Aurispam. At quem virum? Nempe et siculum
et amicum et preceptorem suum: de quo ille a conterraneo
quodam qui interfuerat edoctus litteris questus est. Ceterum
absentes rarius, me vero presentem, etiam cum familiares essemus,
malignissime momordit, prius quidem clanculum, postea
autem apertius.

[Page 314]

4.2.

II. An ulcisci me non debui vel propter versus de quibus
paulo ante feci mentionem? Referam et hoc breviter, ut qualis
hic in me semper provocator extiterit intelligi possit, quemadmodum
Virgilius inquit:
et crimen ab uno disce omnes.
Ioannes Carrapha, strennus decurio neapolitanus, cum in
arce que dicitur Capuane imaginem regis armati quoque insidentis
pingendam curasset et circum eam quatuor virtutes,
Iustitiam Caritatemque, sive Largitatem, Prudentiam ac Temperantiam,
sive Fortitudinem (est enim ambigua pictura), a
me contendit ut versus totidem facerem, singulos in singularum
libellis quos manu tenebant scribendos; addiditque ut duos saltem
eo biduo, qui superioribus imaginibus, iam prope absolutis,
ascriberentur: a pictore enim se deceptum, qui non premonuisset
scribi debere superiores versus antequam ad inferiores
pingendas descenderet imagines, ideoque tempus componendorum
versuum spe sua brevius esse, alioquin non ita commode
postea scribi. Ego, et si febrire incipiebam, tamen me facturum
recepit ac plus exsolvi quam promisi; tres enim versus, Iustitie,
Largitatis, Temperantie eodem die ad hominem misi, quos
cum pictor esset descripturus et plurimi homines lectitarent
(est enim locus ille totius urbis celeberrimus), nescio quo pacto
Antonius audivit lectosque mirum dictu quantopere carpsit.
Denique hominem deterret ne versus impolitissimos egregie
picture atque illi loco quem ad suum et regis decus elegisset inscriberet,
iubet biduo expectare et familia Carrapha et castello
Capuane et regia pictura dignos. Itaque octavo ab his verbis
die totidem suos tradit, nihil dum me harum rerum per valitudinem
resciscente. Eos versus Ioannes ad me mittit, et iam convalescebam,
nondum tamen domo prodire ausus, remque omnem
gestam exponit. Ego meos postridie absolvo, ille suos
septem ferme diebus serius, utri que ostenduntur: uterque nostrum

[Page 315]

suos defendere, alterius impugnare, sui cuique fautores
adesse.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus,
ut in eodem loco Virgilius ait. Ioannes, ut incertus quid ageret
utrosque mittit ad regem in expeditionem agentem, velut
iudicem atque arbitrum. Isquaque, nequem damnare videretur,
rem in medio reliquit, tantum utrosque commodos esse respondit;
seorsum autem meos (ita duo mihi secretarii rettulerunt)
plus succi habere confessus est. Ex quo factum est ut neutri
scriberentur. Quos hic ego ceteris iudicandos subieci et si quis
tales imagines alicubi pingere velit, ut habeat utros eligat.
In suis ille loquentes facit aut lectores, quod et absurdum et
obscurum est, aut virtutes tanquam non de se, cum tamen de
se loquantur. Ego virtutes ipsas non modo aperte loquentes
de se singulas, sed etiam ita ut versus in eum ordinem possint
redigi quo pingi imagines debent, ut a Prudentia incipient, cum
versus Antonii, ut nemo prudens sic imagines pingere velit, nequeant
a Prudentia incipere. Qui hi sunt:
Iustitia. Te, bone rex, sequitur victas Astrea per urbes.
Caritas. Te pietas et amor reddunt per secula notum.
Prudentia. Agnoscit sociatque suum prudentia gnatum.
Fortitudo. Te dignum celo virtus invicta fatetur.
He laudes, ut cetera taceam, nisi fallor, nihil habent nisi vulgare
et quod singulis virtutibus datur id omnibus dari potest.
Quid mei? Certe non tales ut, quod dicebat Antonius, ad
suos nihil sint; quos in illum naturalem quem dixi ordinem redigo,
Prudentia preposita.

[Page 316]

Prudentia. Prima ego virtutum, peragunt mea iussa sorores.
Iustitia. Per me stat regis thronus et concordia plebis.
Caritas seu Largitas. Celsius est dare nostra suum quam reddere cuique.
Temperantia. Corporis illecebras plus est quam vincere bella.

Fortitudo. In gemmis adamas, in moribus ipsa triumpho.
Sed ut in his rex non tulit aperte sententiam, sic in aliis
pro me pronuntiavit, cum propter alia, tum vero quia indecens
sit loquentem facere dormientem. Est enim signum quoddam
marmoreum quod quidam Parthenopes virginis volebant esse,
iacentis habitu dormientisque, cui distichon epigramma iussi
aliquot docti viri facere sumus. Aliorum tacebo. Antonii
hoc fuit:

Parthenope, multos bello vexata per annos,
nunc, opera Alfonsi parta iam pace, quiesco.

Meum hoc:

Parthenope virgo, diurno exercita Marte,
martius Alfonsus dat requiesce tibi.

[Page 317]

Sumus etiam nunc de alio carmine ad marmoream statuam
scribendo in controversia, de quo nondum attinet facere mentionem.
Denique, ipsius versus nusquam videntur inscripti,
cum mei et pro Salamanchis Panormi et Caiete pro antistite
Normanno et Neapoli pro Caracciolo magno Senescallo apud
augustissima templa in marmore incisi visantur. Hoc ideo dico
quod neminem pre se poetam dicit. Ex hac versuum mentione
redeo in memoriam illorum qui nuper ab imperito quodam
inscripti sunt ad marmoream statuam, capite tamen afficto,
ut aiunt, Scipionis, apud Traiectum oppidum, iuxta Minturnas,
cis Lirim: ibi enim in villa sua Scipionem excessisse e
vita. Ab hac ego opinione cum homines revocarem, quod
dicerem nec illum habitum, nec ibi villam illius viri fuisse, sed
apud Linternum, trans Lirim Vulturnumque, Antonius semper

[Page 318]

apud imperitos me in hoc errare predicabat; in crypta quoque
neapolitana, quod negarem eam a Virgilio factam, ut vulgus ait,
sed a Lucullo, ideo autem a Virgilio creditum quia illic sepultus
est; item quod in eodem loco negarem Posilipum esse
ubi Palepolis olim fuisset et pro Palepoli dici Posilipum, quod
putant qui apud Livium legunt ‘Palepolis fuit haud procul inde
ubi Neapolis sita est’, sed villam dicerem esse, ut olim fuisset,
que in libris scribitur Pasilippus. Et huius generis plurima in
quibus ille mihi adversatur. Ex quo, si non propter expectationem
hominum, propter iussum regis, propter ipsius adversarii
provocationem, certe ut satisfacerem ire mee interloqui
atque interpellare debui, presertim quod non fuit fraudandus

[Page 319]

nec auctor emendatione operis sui, nec rex vero librorum intellectu.
Sepe enim sinceritate carebat codex, nonnunquam male
ipse accipiebat lector: quorum utrumque cum emendarem, profecto
et de auctore atque studiosis bene merebar et gratam rem
admodum regi ceterisque faciebam. At cur non alibi quam
in publico faciebam, inquires? cur non Antonium premonebam?
Quasi vero ad eum ipse docendi gratia ire debuerim: venisset
ad me, quesisset, rogasset, nemine audiente, nemine rescituro.
At non ferebat id eius stomachus. Quid, meus hoc stomachus
ferebat? Discat ergo cum rubore in aperto quod domi discere
noluit, aut desinat incessere ne incessatur. Hoc itaque est
quod Panormite dolet, quod nunc illius verbis Fatuus accusat,
dicens: «Cantantem in compitis nemo est qui interpellat, nemo
qui maledictum arguat. Tu doctissimum hominem de seriis
ac maximis rebus legentem interrumpes.» Hoc apud multos
Antonius ipse conquestus est ne possit negare se ista aut scripsisse
aut dictasse. Nemo, inquis, cantantem in compitis
interpellat: et si nulla comparatio est inter eum qui ex superiore
loco clamitat et eum qui inter consessores librum exponit, tamen
non dicam me id aliquando vidisse et circulatoribus fuisse
reclamatum, sed Ciceronem ita scribere: ‘Poeta si versus syllaba
longior aut brevior fuerit exsibilatur, exploditur.’ Tu poeta non
in syllaba, sed in toto versu peccans, non exploderis? non
exsibilaberis? non saltem te patieris admoneri? Athenis si

orator in accentu peccasset, ab universo protinus cetu corrigebatur:
unde admiranda illa Demosthenis astutia, qui in causa
Ctesiphontis interrogavit auditores utrum eis videretur Eschines
esse hospes Alexandri an mercenarius, idest ???????,
accentu qui esse debebat in ultima syllaba mutato in primam;
auditores tanquam non consulto, peccantem ut corrigerent,
recto accentu dixerunt ????????. Tum Demosthenes ad adversarium
conversus, inquit: «Audis que dicunt», quasi illi non
ipsum emendassent, sed de Eschine ut mercenario respondissent.

[Page 320]

Quod igitur in oratorem, ex superiore loco et in medio
foro, de rebus maximis et ad incolumitatem rei publice pertinentibus
disserentem cuilibet licuit, id in lectorem de verbis
auctoris alicuius, in cubiculo, inter considentes agentem nemini
docto licebit? Et addis: «Nescis, imperite, nescis astantis
officium esse per silentium audire? Aut discere certe vis, aut
docere: si discere, silendum est, si docere, ridiculus es, qui eum
docere velis qui regem doceat.» Ego vero non semper asto,
sed sepe assideo regi. Verum quis isto modo nisi tu, hoc est
Fatuus, argumentetur? Si discere, inquis, volo, silere debo.
Immo e contrario frequenter interrogare: unde Horatius:
Inter cuncta leges et percuntabere doctos,
quanquam stultum est dubitare an nolim discere ab eo quem
reprehendo. Si docere volo, ridiculus sum. Ita ne? Regem,
qui hoc ipso quod audit ac docetur, plane confitentem
se non satis doctum esse, docere magnum est? (si modo docere
dicendus est qui male docet, ut postea ostendam, et si non solus
hic eum docet). Non est magna regie persone dignitas cum
litteras ille discit, sed cum fungitur regio munere. Uter, queso,
ridiculus, tu an ego? Nec minus ridiculus es, quod adicis:
«Qui ve ut illum doceas nihil postulet.» Non ut ‘illum’ rex, sed
ut ‘se’ doceam postulat atque efflagitat. Nisi ‘qui’ ad Antonium
refertur, quod si ita est, ut barbare (nam ‘se’ dicere debebas),
sic ridicule inepteque locutus es, quasi illum aut ego docere
velim, aut rex velit ut doceam et non potius se. Cuius rei fides
est (ne de superioribus temporibus loquar) quod postea voluit
a me doceri sibique ut legerem iniunxit. Tu tamen opinor
non de rege, sed de Antonio docendo agis, utens cornuto, ut
aiunt, enthymemate: at ego ista tua cornua confregi, nunc etiam
convellere volo. Convelluntur enim quando probantur non esse

[Page 321]

contraria et pariter negari possunt, quod ego facio, qui nec
docere Antonium volo, nec ab eo discere. Nunquid tibi video
in te tanquam in Acheloum plus esse quam Hercules? Acheloo
enim unum Hercules cornu evulsit, tibi ego utrunque.
«Huius temerarie loquacitatis et intempestive interpellationis
tue, quando per imprudentiam peccares, admonere te
saltem debuit reliqui conventus taciturnitas. Quem nam enim
vides in toto consessu et circumstantium cetu, nisi interrogante
rege, preter te unum, lectorem interpellare? Disce igitur ex aliis
modestus esse, quandoquidem, rationis inopia, per te modestus
esse non potes, atque ubi maior te loquatur, silere disce et lingue
frenum adhibe. Sed certe hoc nunquam mihi concedes propter
innatam arrogantiam tuam.» Fatue, quomodo quis
interpellat lectorem, si ab rege interrogetur? Fatue, quomodo
interpellat qui respondet? nisi multo magis regem interpellatorem
voces, qui interrogat. Fatue, quis non per se discit, si non
admoneatur ab alio? Fatue, quomodo me hortaris ad coercendam
linguam et tanquam non optemperaturum castigas, cum
tuum sit officium adversarium confutare atque convincere, non
tanquam convictum admonere? Fatue, qui ais reliquos tacere,
cum bis ter ve aut ad summum quater Antonio legenti affueris.
Fatue, qui inquis ‘nisi rege interrogante’: rex ne interrogat?
et quem primum quem ve potissimum interroget? Ita,
opinor, inter senatores ille velut consul sedet, ut rogare singulos
sententiam debeat. Semel data libertas ab eo est quod quisque
illi, ut sic dicam, rei publice conducere existimat proloquendi;
itaque nunc medici, nunc iurisperiti, nunc militares viri, pro
sua quisque facultate, quotiens dicendi materia succurrit, rege

volente, dicunt quod sentiunt et eis tum rex, tum lector respondet
et in longum alteratio et colloquium tenditur. Scio
me legente contigisse ut decem interfati sint et ego auditorem
me, non lectorem prestiterim; et tamen Antonio legente, qui de

[Page 322]

Livio eruditius me disserere possit, nullum eorum esse qui
solent adesse. Ne livor quidem atque malignitas inficiari potest
ut ego potissimum loqui debuerim, presertim ab omnibus expectatus
quotiens aut sincera scriptura esset obscura, aut emendanda
corrupta. Ubi tanta extitit Panormite pervicacia ut,
convictus ac condemnatus, tamen manus nollet dare, vel ob
hoc, ne me ad imprimendum altius pectori suo mucronem
compelleret. Instigat enim in se adversarium pertinacia et contumacia,
placat autem et prope erubescere cogit facilitas ac
probitas.

4.3.

III. Quid dico manus dare? Immo tanquam vicisset insultat,
nec solum verbo, sed etiam scripto sub histrionis persona, inquiens:
«Quid nam illud est, o arrogantissimum hominem?
Ausus es profiteri apud regem, dum legeretur, et apud quem
regem? regem, inquam, summe sapientie summique iudicii,
te emendaturum omnes depravationes que in operibus Livii,
librariorum vitio, ceciderunt. Quod nec Arretinus, nec Guarinus,
nec ante eorum etatem Franciscus Petrarcha, nec multi alii
nostre etatis doctissimi viri corrigere ausi sunt, id tu, homo indocte,
corrigere audebis? Si corrigi liceret proprio arbitratu
atque iudicio, quod abs te fieri intelligo, quot censes esse qui te
hac parte superarent, a quibus ingenio et eloquentia vinceris,
qui pudore ac modestia id facere desinunt? Sed nescis adhuc,
ut video, qua ratione textus corrigendi sint. At ego illud ostendam
et gratis. Oportet enim in emendando aliquo depravato
ut similitudo et numerus litterarum conveniat. Sed quid ego ad
te qui cum nihil recte scias, omnia te rectissime tenere non solum
putas sed etiam gloriaris?» Fateor me, ex animi sententia,
gloriatum omnia rectissime tenere, musicam, geometriam,
astronomiam, medicinam, ius civile, grecas litteras et
alia infinita, gloriatum item omnes mendas in livianis editionibus
emendaturum; si in ceteris, recte ac vere locutus es, sin
minus, tuo more mentitus es calumniatusque. Ais me indoctum,

[Page 323]

tu qui, preter illa verborum vitia que in hoc loco superius
reprehendi, dixisti ‘corrigi proprio arbitratu atque iudicio’!
Quis, o doctissime, non suo arbitratu atque iudicio corrigit,
preter te qui me corrigere vis non tuo, sed Panormite arbitratu?
O Panormita preceptor, quo pacto quis potest sine suo iudicio
libros corrigere? Ais hos multosque alios nostre etatis id non
esse ausos: num protinus nulli, si nec hi, nec alii multi ausi
sunt? Minime. Ergo non negas aliquos esse ausos. At nullos
alios dicere volebas: immo dicere debebas, indocte, qui me tuo
nomine appellas. Ais nullos esse ausos, aut certe multos cumque
iis Arretinum, Guarinum, Petrarcham: et quomodo tu corrigere
me doces et corrigendi legem tradis? Hoc nihil aliud est
nisi non omnem correctionem reprehendere, sed malam. Vides
ut veritas te etiam invitum ad vera loquendum retorquet?
ut tibi ipse non constas? ut contraria proposito tuo loqueris?
ut me non dehortaris a corrigendo, sed magnopere adhortaris
ad corrigendum? Doces qua ratione libros corrigam. Audio,
si modo ratio ista satis docet. Sed unde tu istud scis, quod nunquam
expertus es, quod nemo facere est ausus, aut certe multi
et doctissimi quique? Quid mihi vitio vertis si nondum scio
quod audere non debo exemplo doctiorum? Nec scire possum
quod expertus non sum. Ais illos non fuisse corrigere ausos:
unde id probas? Inspexisti ne illorum livianos codices? Negas?
Maligne ergo affirmas quod ignoras. Ais? Mendacem te mox testimentiis
convincam; prius ratione volo. Nam si experiri noluisse

eos vis utrum emendare possent (ut non dicam, si ita fuisse, dignos esse quos improbemus citius quam sequamur), nimis tu illos quales non fuerunt facis. Quis enim credit optimis viris ac prestantissimis ingenii ad rem honestissimam defuisse animum ut summos auctores quasi in patriam restituerent? Si experti sunt, falso negas fuisse ausos, cum eos isto pacto facultas

[Page 324]

defecerit, non voluntas; neque vero ego dico facultatem defecisse, sed id te significare ostendo. Tu utrumque defuisse ait, ego neutrum. Et id minus, quod tu magis vis, defuisse, et in hoc te magis, cum in utroque mentiaris, esse mentitum testimonio est (ut ad testimonia veniam) manus Petrarche, qui diligentissime codicem suum, qui nunc Neapoli est quemque uterque vidistis, emendare conatus est, in nonnullis emendationibus felix, in nonnullis lapsus, in nonnullis se remedium non invenire confessus. Testimonio est manus Guarini in Plinio De naturali historia, quod opus cum sciamus mendosissimum, tamen totum velut immensum vastumque edificium resarcire conatus est et, scriptis ad marchionem Estensem litteris, id se prestitisse gloriatus; quod non minoris negotii est quam Livium emendasse: in quo et ipso hunc elaborasse, cum alii, tum filius suus Hieronymus, illo patre dignus, affirmat. Testimonio est manus Leonardi Arretini que et in Livio et in Cicerone aliisque operibus ostenditur; testimonio est manus Caroli, Cincii, Pogii, Flavii aliorumque multorum qui Florentie, ut audio, rogatu cardinalis Columne, una cum Leonardo, Livium, quoad potuerunt, emendarunt (manus enim omnium

[Page 325]

censenda est, quod omnium consensu scribitur). Aiunt etiam Pogium dictitare se quadraginta iam annos in emendando Livio, cum per alias occupationes licet, occupari. Testimonio denique est, o incredibilem confidentiam, manus vestra ac Iacobi Curii. Vos enim communiter codicem regium, quem dono ei vir primarius Cosmus Medicus Florentia misit, emendastis, duntaxat de secundo bello punico: quod quam recte fecistis mox videro. Et postea non pudet ad me deterendum atque ideo infamandum negare id fecisse quempiam peritorum, cum non modo illi, sed vos imperitissimi feceritis: ut improbare factum meum nequeatis nisi et illorum quos laudatis et vestrum ipsorum improbetis, aut, si vos cum illis improbari non vultis, ne me quidem improbare possitis. Quare vestra quoque confessione vestroque exemplo, velitis nolitis, crimen temeritatis absolvor vicissimque vos calumnie convinco. At multi sunt qui me ingenio et eloquentia superent: ut ita sit, vos ii certe non estis, quominus decuit istam vos corrigendi provinciam suscepisse, cum nequaquam vestrum ceterorum ingenio et eloquio anteponatis, et si meo anteponitis. Quod an recte faciatis nunc superest ut inspiciamus et an unus ego, an vos tres, et si plures fuistis, antecellueritis, idque in ipsis quos emendastis libris, et si non affui legenti Antonio nisi a secundo, ut opinor, ad exactum usque sextum; ultra quem tamen progrediendum mihi non censeo, cum Antonius legendo

[Page 326]

non ultra progressus sit, ne meam ingratus sibi vendicet laudem. Nec me fugit ex hoc facto non modo tecum, Antoni, tuisque assertoribus rem mihi esse de palma doctrine, ingenii, eloquentie, verum etiam cum iis quos et vos nominasti et ego, quosque nolim equidem a me offendti. Non tamen sic eis satisfacere debo ut dicam ab inquis impositam hanc esse mihi necessitatem: indigna enim sit cause dignitate talis satisfactio, quoniam in tam honestum opus certatim debemus incumbere. Certabo itaque cum illis tanquam in palestra de laude et gloria, vobiscum vero tanquam in acie de vita et libertate. Quanquam de hac causa iam factum quoddam pro me contra Antonium preiudicium est. Siquidem Egnigus, cuius habui superius mentionem (referam autem hoc paucis), dedit Antonio ex primo libro

belli punici locum illum emendandum: 'Ventum deinde ad multo angustiorem rupem atque ita rectis ac si istud egre expeditus miles temptabundus manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset.' Hunc aiebat Mediolani a Candido viro perdocto ad pristinam sinceritatem reductum et se, magni muneris loco, edoctum, sed ea lege ut neminem doceret. Antonius quanto acerrimo studio potuit, ut qui sciret sibi cum inimico luctandum (est enim ipsi Candidus inimicus, ut plerique boni), plus quindecim dies in eruenda veritate se maceravit ac quid illi responderit nescio; in regio codice cum Fatuo et Curio aliisque nonnullis ita corredit: 'Atque ita rectam ac si istud egre expeditus miles' et reliqua. Tradidit mihi postea (quantum postea incomptum habeo) Egnigus eundem locum emendandum, quem manu sua scripserat, prefatus a Candido (ne forte deterrerer) iam esse emendatum, et tradidit vesperi. Postridie mane ad eum detuli multis modis

[Page 327]

emendatum, quorum primus erat ille ipse, ut aiebat, Candidi: 'Atque ita rectis saxis ut egre'; hactenus corruptio erat. Vix inspecta prime linee scriptura exclamat, frequenti proceribus honestisque hominibus regio conclave, «O admirabilissimum ingenium!» (quid pigeat me pro defensione innocentie mee promere veritatem?) addiditque: «Hunc nodum Antonius Panormita nunquam potuit solvere». Ac festinus ad regem in alterum conclave concendit, hoc velut miraculum nuntiaturus et (ut a multis accepi qui affuerunt) pene eadem exclamatione orsus, rem exposuit illumque in eandem admirationem adduxit, quod vitium libri nullidum (ut Candidus affirmabat et ipse, cum in aliis, tum vero in Antonio proxime erat expertus) emendatum, ego tam brevi emendassem. In quo calumniam accusatorum meorum cerni licet, qui aliorum exemplo tanquam id non ausorum, me ab hoc munere etiam cum convicio deterrent. En Candidus ausus est et feliciter ausus quodque magis mireris assecutus quod assequi Petrarcha non potuit, ut manus ipsius docet. Hic vos, deterrimi sycophante, convenio: adest ne similitudo? Constat numerus litterarum in menda et emendatione? Quid igitur, tanquam id a me non fiat, sed procul aucuper scripture veritatem, me incessitis? Talia quoque erunt que sequuntur, aut, sicubi id non fiet, non reprehensione dignum erit, sed maiore miraculo. Sed iam omnem emendationum classem ex portu emittamus, hanc quam emisimus speculatoriam navim suo ordini reddituri.

4.4.

IV.

*Ex primo libro he sunt.
Gener inde ob altam indolem ascitus et, quia gener erat, factionis
Barchine opibus, que apud milites plebemque plus quam modice*

[Page 328]

*erant, haud sane voluntate principum, in imperio positus. Ego sic
reor emendandum ut pro 'gener erat' ponatur 'genere erat',
pro 'opibus que' 'opibusque que', pro 'in imperio positus' 'imperio
potitus'.*

*Deinde brevi effecit ut pater in se minimum monumentum
ad favorem conciliandum esset.*

Credo 'momentum' esse
scribendum.
Nec tuto eos adituros inter tot effrenatorum gentium arma.

Vos emendastis ‘effrenatarum’, ego ‘efferatarum’ emendo.
Sed *interiora tuendo minorem in diem urbem Saguntini faciunt.*
Credo legendum ‘in dies’, ut in Elegantii.

*Turris diu quassata prociderat perque ruinam eius cohors
Penorum impetu facto, cum signum imperator dedisset nudatam
stationibus custodiisque solitis hostium esse urbem, non cunctandum
in tali occasione ratus Hanibal, totis viribus aggressus urbem momento
cepit.*

Credo legendum ‘imperatori’.
Partitis divendendisque reliquis prede. Credo
'divenditis'.

*Deinde cura humani ingenii cum, quid nam id esset quod respicere
vetitus esset, agitante animo, temperare animo nequissime eum.*

Vos emendastis ‘temperare animum’, ego reor sic emendandum
'agitaret animo temperare omnino'.

*Qui tumultus repens postquam est Romam perlatus et punicum
insuper gallicum bellum auctum patres acceperunt.*

Ita scriptum
est in codice regio, quod emendare debueratis ‘punicum
super gallicum’ vel ‘punicum insuper gallico’.

[Page 329]

*Et ipsi traiici exercitum levarique quam primum regionem
suam tantam omnium urgente turba cupiebant.*

Legendum est
'tanta hominum'.

*Ibi raptim cesa materia ratesque fabricate in quibus virique
et alia onera traiicerentur.*

Vos sic emendatis ‘equi virique’, quasi
consuetum sit equos viris anteponi. Ego vel non emendandum
reor, perinde ac si scriberetur ‘in quibus et viri et alia onera’,
vel sic emendandum ‘in quibus equique et alia onera’ vel ‘viri
equique et alia onera’.

*Ut quenque timentem altitudinem destitueret vado, impetu
ipso fluminis in alteram ripam rapiente.*

Credo
'destituerat'.

*Neque ante Hispania excessisse quam omnes gentes que et
terras eas quas duo diversa maria amplectuntur Carthaginiensium
esse.*

Sic reor emendandum ‘terre ee ... Carthaginiensium essent’.
Item non relative, sed copulative scribi debere ‘que’,

perinde ac si dicatur 'omnes et gentes et terre'.

*Nunc postquam multo maiorem partem itineris emensam
cernant, Pyreneum saltum inter ferocissimas gentes superatum,
Rhodanum iam tum amnem, tot milibus Gallorum prohibentibus,
domita etiam fluminis vi traiectum, in conspectu Alpes habeant.*

Legendum est 'Rhodanum tantum amnem'.

*Ambigebant fratres, maior et qui prius imperitaverat, Braneus
nomine, minor erat fratre et cetero imiorum qui iure minus, qui
plus poterat pellebatur.*

Vos sic emendastis: dictionem 'iure' delestis
rubra sive violacea linea, addidistisque alias dictiones sic
'qui minus ab eo qui plus poterat pellebatur'. O lippi, o aliis
que nulla est lippitudinem exprobrantes! Est ne istud servare
similitudinem, servare numerum litterarum in coniectanda scripture

[Page 330]

veritate alias dictiones eximere, alias adiicere? Videte
quanto id a me sincerius custoditur: 'Ambigebant fratres, maior
et qui prius imperitaverat, Braneus nomine, minore a fratre et
cetero iuniorum, qui, vel quia, iure minus, vi plus poterat,
pellebatur'.

*Homines intorsi et inculti, animalia inanimaliaque omnia
rigentia gelu.*

Debuisti mutare 'inanimalia', quod non reperitur,
in id quod consuetum est 'inanima'.

*Deinde postquam interrumpi agmen vidit periculumque esse
exutum impedimentis exercitum nequ quam incolumem traduxisse,
decurrit ex superiore loco et, cum impetu ipso fudisset hostem,
equis quoque tumultum auxit. Sed is tumultus momento temporis,
postquam liberata itinera montanorum fuga erant, sedatur.*

Vos
mutatis unam tantum dictionem, eamque indocte, pro 'equis'
ponentes 'ipse', cum fuerit ponendum 'suis'. Preterea sic mutandum:
'periculumque ne exutum impedimentis exercitum
nequ quam incolumem traduxisset'.

*Castellum inde quod caput eius regionis erat vicosque circumiectos
capit et captivo ac pecoribus per triduum exercitum aluit;
et quia nec montanis primo percussis nec loca magnopere impediebantur,
aliquantulum eo triduo vie conficit.*

Hic vos nihil aliud
quam 'loca' mutatis in 'locis'. Ego vero sic: 'et captivorum pecoribus
per triduum exercitum aluit et quia nec montanis prelio
percussis nec loco magnopere impediebantur.'

*Quid enim adhortari referret aut eos equites qui equitatum
hostium ad Rhodanum flumen egre vicissent, aut has legiones quibus
hunc hostem fugientem secutus.*

Vos pro 'egre' substituitis 'audacter',
ego autem 'egregie', vere audacter non egregie emendantes,
ego egregie non audacter.

[Page 331]

*Hanibal nec temere credendum nec aspernandos, ne repudiati
hostes aperte fierent, benigne cum respondisset.*

Credo legendum
'nec temere credendo, nec aspernandos eos ne'.

*In eos versa peditum acies haud dubium fecit quin, nisi firmata
extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades
fuerat.*

Emendare debuistis 'fuerit'.

*Inde montani pauciores iam et latrociniis magis quam belli
more concursabant modo in primum, modo in novissimum agmen,
ut cuique aut locus aut oportunitatem daret, aut progressi morati
ve aliquam occasionem fecissent.*

Vos emendatis 'prout cuique aut
locus aut oportunitas apud eos erat', cum nihil sit mutandum
nisi quod ex tribus 'aut' secundum est eximendum sic 'ut cuique
aut locus oportunitatem daret'.

*Ventum deinde ad multo angustiorem rupem atque ita rectis
ac si istud egre expeditus miles temptabundus manibusque retinens
virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset.*

Vos, ut
dixi, emendastis 'atque ita rectam ac si istud'. Ego sic: 'atque
ita rectis saxis ut egre'.

*Natura locus iam anteprecepis recenti lapsu terre impeditus,
dum ille admodum altitudinem abruptus erat.*

Vos emendatis 'dum'
mutantes in 'tum'. Ego sic: 'lapsu terre in pedum mille admodum
altitudinem abruptus erat.
Molli nec peralte nivi. 'Prealte' scribendum est.

*Ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur iumenta,
secabantur interdum etiam infima ingredientia nivem.*

Mutastis
'infima' in 'femina', quasi sola iumentorum femina searentur.
Legendum est 'infimam ingredientia nivem'.

*Decem milia equitum in Italiam magis adducta verissimum
est.*

Credo legendum 'verisimile est'.

*Cum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent et deiecta
esset in id sors, se quisque eum optabat quem fortuna in id certamen
legeret et cuiusque sors exciderat, alacer, inter gratulantes gaudio
exultans, cum sui moris tripudiis arma capiebat.*

Scribendum est
'ut cuiusque' vel 'et ut cuiusque sors exierat'.

*An me in pretorio patris clarissimi imperatoris probe notum,
certe educatum, domitorem Hispanie Gallieque, victorem.*

Scribendum
est, opinor, 'prope natum', quod probat locus ille libri
decimi: 'Sed cum Hanibale, prope nato in pretorio fortissimi
ducis, alito atque educato inter arma.'

*Ne transieris Hiberum, nequid tibi rei sit cum Saguntinis.
Ad Hiberum est Saguntum. Nusquam te vestigio movearis.*

Vos
mutatis 'nusquam e vestigio movearis', ego 'nusquam te vestigio
moveris', accentu in antepenultima, ut sit verbi activi subiunctivum,
non passivi indicativum.

*Nullum contemptum ad vincendum homini a diis immortalibus
acrius datum est.*

Credo scribendum 'nullum incitamentum'.

*Quibus procuratis Scipio cum equitatu iaculatoribusque expeditis
profectus ad castra hostium ex quo propinquo copias, quante
et cuius generis essent, speculandas obvius fit Hanibali.*

Petrarcha
emendavit 'ex loco propinquo', vos emendare omisistis; quod
sic fuit emendandum: 'exque propinquo'.

*Malimus equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere
auctores, secundum fama optimuit.*

Vos emendatis 'M. Linius',
pro 'Malimus' ponentes, ego 'servum' pro 'secundum'. Nam
servus fertur Scipionem ab hostibus eripuisse, filius a pluribus
auctoribus traditur.

*Tamen quarta vigilia noctis in sequentis tacito agmine profectus,
ad Trebiam iam loca altiora locusque impeditiores equites
castra locat.*

Vos tollitis 'iam', ego pro 'iam' substituo 'in', pro
'locus' 'colles', pro 'equites' 'equiti'.

*Delige centenos viros ex omni pedite equiteque, cum viribus
ad me vigilia prima venias. Nunc corpora curare tempus est.*

Ego
'viribus' reor mutari debere in 'quibus'.

*Ceteris ducibus peditum equitumque preceptum ut prehendere
omnes iuberent, armatos deinde instratisque equis signum
expectare.*

Cur in codice regio non emendastis 'prandere' pro
'prehendere'?

*Postremo omnes copias ad destinatum iam ante consilio avidus
certaminis eduxit.*

Vos 'consilio' mutastis in 'consilium', quasi
ad consilium, non ad locum consilio destinatum ierit, cum sic
dicatur substantive 'destinatum', ut 'propinquum', quale fuit
illud superius 'exque propinquo speculandas copias'.

*Tunc utique egressis rigere omnibus corpora, ut vix armorum
tenendorum potentia esset et similitudine et procedente iam die fame
etiam deficere.*

Credo sic legendum: 'potentia essent et lassitudine'
vel 'simul uredine'.

*Duodeviginti milia romana erant, socium nominis latini
viginti, auxilia prete Cenomanorum.*

Vos emendastis 'preter', cum
fuerit emendandum 'preterea'.

*Pedestris pugna par animis magis quam viribus erat, qua
recentis Penus paulo ante curatis corporibus in prelum attulerat.*

Vos emendatis 'quam recentis', cum fuerit emendandum 'quia
recentis Penus', hoc est Hanibal, vel 'quas recentis (pro 'recentes')
Penus', idest 'milites Peni'.

Extemplo haud dubiam fecere fidem quoque additus terror

[Page 334]

*Romanis, ut fusa sua auxilia viderunt. Vos mutatis 'quoque' in
'estque', ego tantum locum muto, sic: 'additus quoque terror'.*

*Ceterum ne hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus
possim numidis equitibus, eaqueque his impeditiora erant Celthiberis
Lusitanisque.*

Vos emendatis 'aequeque', tantummodo adiecta
diphthongo, cum sic fuerit emendandum: 'et queque' vel 'et
que' vel 'queque'.

*Omnes igitur clausi undique commeatus erant, nisi quos
Pado naves subvehere. Temporium prope Placentiam fuit et opere
magno munitum et valido munitum presidio.*

Vos nihil aliud quam
dempsistis illud T, ut 'Emporium' tantum esset, non intelligentes
litteram illam ad precedentem pertinere dictionem et,
quia figure maiuscule erat, fuisse apicem cum littera coniunctum
scriptumque reliquise auctorem 'subvehement'. Preterea 'munitum',
quia iteratum est, mutastis in 'firmatum', ego muto in
'militum'.

*Deinde ut tandem agitando sese movere ac recipere animos
et raris locis fieri ceptus est ignis ad alienam quisque opem tendere.*

Vos quasi mendosa scriptura sit, mutastis 'recipere' in 'accepere',
opinantes esse preteriti temporis 'movere', cum sit infinitivum
aut referendum ad illud 'ceptus est', ut sit 'sese movere
ac recipere animos ceptum est', aut accipiendum pro 'movebat'.
Ite nunc et me reprehendite tanquam nescientem tali infinitivo
uti, qui vos hoc ipsum doceo. Taceo mille in locis vestrum in
orthographia errorem.

*Pugna raro ulla magis ea et cum utriusque partis pernicie
Clarior fuisset, si extendi ea dies in longum spatium quivisset.*

Vos
[Page 335]

tollitis 'ea', ego muto in 'seva': opinor enim s que ultima est in
'magis' fecisse ut sequens s excideret, sicut factum est in illo
superiore 'rectis ac si istud' pro 'rectis saxis ut'. Preterea mutastis
'quivisset' in 'sivisset', quia quidam codices habent 'si extendi
eam': si vero scribendum est 'ea die', ut est apud codices
alios, nihil ista mutatione opus est.
Postquam perditas res amissaque castra accepit, iter ad
mare convertit. Haud procul Terracone classi Cn. milites navalesque
socios vagos palantesque per agros, quod ferme fit ut secunde res
negligentiam creent, equite passim dimisso cum magna cede, maiore
fuga ad naves compellit. Vos emendastis pro 'classi' 'classis',
supraque scripsistis minutis litteris has duas dictiones 'ubi erat',
quasi sic obscure loquatur Livius ut duo verba subaudiri oporteat,
cum sic emendandum esset: 'classicos milites'.

4.5.

V. Secundus sic incipit.

Iam vero appetebat que Hanibal ex hibernis metuit, et neque eo qui iam ante conatus transcendere Appenninum intolerandis frigoribus et cum ingenti periculo moratus ac metu. Vos tanquam 'appetebat' activum sit, et non impersonale, pro eo quod est 'appropinquabat' sive 'incipiebat', sic emendasti: 'iam vero appetebat que ex hibernis Hanibal que et metuit', neque hoc amplius. Petrarcha sic: 'iam vero appetebat que Hanibal ex hibernis metuit, ut neque eo qui ante conatus transcenderet Appenninum intolerandis frigoribus et cum ingenti periculo moraturum ac metu', glosa supra 'moraturum' posita 'se esse', sicut superiori dictioni 'conatus' suprascripserat 'fuerat'. Ego sic emendandum puto: 'iam ver appetebat quo (vel 'cum') Hanibal ex hibernis movit et nequ quam ante conatus transcendere Appenninum et cum ingenti periculo moratus ac metu'.

[Page 336]

Hec si quis leget non habens in promptu Livium, volo sciat Hanibalem ante conatum fuisse ex Gallia Cisalpina, ubi se parum credebat tuto moraturum, transcendere Appenninum, sed fedis celi tempestatibus repulsum et interea sepe eisdem Gallis insidiantibus, in ultimum discrimen adductum. Hunc locum Pogius, ad quem Antonius et Bartholomeus suas in me invectivas miserant, cum superioribus diebus has emendationes ostenderem, dixit se aliquot iam annis Florentie sic emendassem, una cum Leonardo et Carolo Arretinis, 'iam ver appetebat, cum Hanibal ex hibernis movit'; cetera negabat egere correctionis (sicut illumquoque communem mihi cum Candido locum et alia multa), quod vellet sic accipi 'neque eo metu qui (pro 'quo') iam ante conatus erat': solere namque Livium dure ac scabre loqui. Ego, et si magis Livii quam meam vicem dolebam, tamen nihil dixi nisi ut ad reliqua pergeret. Cuius quam docta sit expositio et quam vera de Livio opinio, docti iudicent.

Dum consul placandis Rome distrahendoque delectu operam dat, Hanibal ex hibernis profectus.

Vos sic emendatis: 'dum consul placandis diis Rome distrahendoque delectu', nescientes 'distrahendo' duo verba esse, 'dis', quod fere veteres non gemina scribebant, et 'trahendo', idest differendo: nam 'distrahere delectum' nusquam legimus. Palam ergo est quomodo emendare debuistis.

Senatum pretores per dies aliquot ab ortu ad occidentem solem in curia retinent.

Opinor auctorem 'ab orto' scriptum reliquisse, idest 'ab orto sole', idque aliquos vestri similes mutasse.

Tibur, quo die ad conveniendum edixerat novis militibus, venit. Inde Preneste adversis militibus in viam Latinam est egressus, unde itineribus summa cum cura exploratis ad hostem dicit.

Vos

[Page 337]

emendatis 'inde Preneste versis itineribus', ego 'transversis tramitibus'.

*Sed ubi aperta omnia apud hostes nec castra ullo tumultu
mota videt, increpans quidem victos tandem quos martios animos
Romanis debellatumque et concessum quod quis propalande virtute
ac gloria essent, in castra rediit. Ceterum tacita cura animum
incensum.*

Vos emendatis ‘propalande’ in ‘propalanda’, quod
vocabulum non reperitur a ‘palam’ neque, ut opinor, a ‘pala’,
sed a ‘palus’, ‘pali’, ut ‘propalare vineam’ apud Lucium Columellam;
et ‘incensum’ in ‘incessit’. Ego sic: ‘increpans quidem
victos tandem martios animos Romanorum, quia debellatum
atque concessum eis propalam de virtute ac gloria esset. Ceterum
tacita cura animum incensus’; vel, quia quidam codices
habent ‘increpans victos, quid tandem?’, sic: ‘quid tandem quo
martios animos Romanis? debellatum ne et concessum propalam
de virtute et gloria esset?’

*Sed vir ac vere romanus, quo die dictatorem ex auctoritate
patrum iussuque populi Veios allatum, cum esset satis alium laniculum
ubi sedens prospectaret hostem, descendit in equum.*

Vos sic:
‘Veios allatum esset S. C. statim laniculum ubi sedens’, quasi
‘veni laniculum’ possit dici, sicut ‘veni Romam’. Sed nihil ex
sententia intelligitis, quam vos aperiam, ‘alium’ mutato in ‘altum’
(nam ‘laniculum’ non masculini generis est, sed neutri).
Exprobrabant Fabio Maximo quod cunctaretur, iactantes Camillum,
qui simul ac dictatorem se factum accepit (satis altum
est laniculum unde sedens prospectaret hostem gallum sicut
nunc ex montibus Fabius hostem penum: estque parentesis),
non hoc ille fecit, sed in equum planumque descendit.

*Quo repente discursu, haud secus quam silvis montibusque
accensis, omnia circum virgulta ardere; carptim querit atque ratio
excitans flamam hominum passim discurrantium speciem prebebat.*

[Page 338]

Vos sic emendatis: ‘ardere cuperunt excitataque dama’, in quo
grammatice ratio non constat. Ego accipio ‘ardere’ pro ‘ardebat’,
ut intelligatis mihi an vobis hoc genus sermonis notius sit,
emendoque sequentia ‘capitumque inquietatio excitans flamam’:
erant enim boves quorum capita alligate cornibus faces dolore
fatigabant.

*Ut plus consilio quam fortune confidat et se potius ducem
quam Sempronium Flaminiumque imitetur, ne nihil actum esse
cerneret extracta prope estate per ludificationem hostis; mediaquoque
plus interdum quippe quam movendo atque agendo proficere.*

Vos sustulisti ‘media’, ego sic emendo: ‘medicinquoque plus
interdum quiete quam movendo atque agendo profecere’ vel
‘medicos plus interdum quiete quam movendo atque agendo proficere’.
Quod probat Hippocrates cum inquit: '?? ???? ??????
???? ??????, ?????? ??????? ???????, ?? ?? ??????????? ??????,
??????.' Huncquoque locum Pogius cum non admitteret
ut probe correctum, deditus sum expectare de reliquis

[Page 339]

iudicium hominis qui nihil, nisi quod ipse invenisset, bene inventum

iudicaret. Itaque eum valere iussi, non ita magni referre existimans in litteratorum senatu si unus, et is pro sua dignitate retinenda, album mihi calculum non dedisset: nam ceteri omnes hec, qui liberi emulatione et invidia erant, universa summopere comprobarunt. Quorum unus fuit ille ipse, cuius memini, cardinalis Columna, vir non minus ingenio moribusque quam genere nobilis, qui has plerasque emendationes suo codici addi a me mea manu voluit. Hec ideo dixi ut intelligar a nemine fuisse hac in re invenienda adiutus.

*Et cum universi adnisos lato agmine et nonnullis simul venientibus
haud sane intrabiles essent, in latus possim naves egerunt.*

Sic emendandum puto: ‘et cum diversi ac diviso late agmine a tam multis simul venientibus haud sane penetrabiles essent, in litus passim naves egerunt.’

*Ceterum omne incensum est, nec continentis modo periectas
oras, sed in Herbesum insulam transmissum.*

Vos mutatis ‘periectas’
in ‘periunctas’, ego in ‘projectas’, hoc est prominentes.

*Eo vinculo Hispaniam vir unus, solerti magis quam fideli
consilio ex societate dux erat Sagunti, nobilis hispanus, fidus ante
Penis; tum, qualia plerunque sunt barbarorum ingenia, cum fortuna
mutaverat fidem.*

Vos ita mutastis (cum dico mutastis, erasisse
vos aio atque induxisse), mutastis autem facientes ex binis
dictionibus singulas, de ‘ex societate’ ‘exolvendam’, de ‘dux
erat’ ‘duxerat’. Ego sic: ‘exolvit’, estque finis superioris sententie;
tum sequitur altera: ‘Acedux erat Sagunti, nobilis hispanus’.
Siquidem Acedux nomen hominis est, ut in sequentibus
patet.
Convenerat inter duces romanos penumque ut, que pars prius

[Page 340]

*reciperet quam daret, argenti pondo bina et sex libras in milite
prestaret. CCXLVII cum plures Romanus quam Penus recepisset
argentumque pro eis debitum sepe.*

Vos mutatis ‘prius’ in ‘plus’,
ego in ‘plures’ et ‘milite’ in ‘militem’ et ‘sex libras’ in ‘selibras’,
idest in singulas libras cum dimidia: ut semodius unus modius
et dimidiatus, et sescuns uncia et media. ‘Pondo’ idem quod
libre plurali numero significare videtur, nonnunquam esse singulare
ac significare ‘pondus’, ut apud Columellam ‘Scylle aride
pondo, libram et quadrantem adiici oportere’.

*Hanibal pro Gerionis menibus, cuius urbis capte atque incense
a se in usum horreorum pauca legi qua erat tecta, institui
senserant; inde frumentatum duas exercitus partes mittebat.*

Vos
sic: ‘pauca reliquerat tecta’, quod ego non damno quodque ego
per me animadverteram; id si vos non conceditis, nec ipse concedam
vobis istud vos invenisse, sed aut e libro, aut ex homine
didicisse. Et alioquin aliter ipse et plura quam vos emendavi,

sic: 'in usu horreorum, si qua reliqua erant, tecta restitu*ui*usserat'.

*Patrem lanium fuisse, ipsum institutorem mercis, filioque
hoc ipso in servili eius artis ministerio. Is iuvenis utrum ex eo genere
questus pecunia a patre relictam animum ad spem liberalioris fortune
adiecit.*

Ego reor non 'institutorem', sed 'institorem' legendum et
pro 'utrum' 'multa' sive 'grandi'. Vos 'utrum' erasistis, cum tamen
necessarium sit suum adiectivum habere pecunia: non enim
quantacunque pecunia a patre relicita facit animos, sed multa.

*Non celerius quam timui deprehendit fortuna temeritatem.
Fabii equatum imperio Hanibalem et virtute et fortuna superiorem
videt.*

Hoc vos in regio codice reliquistis inemendatum, quod sic
emendandum erat: 'Fabio equatus imperio'.

[Page 341]

*Itaque prius quam ad coniectum teli veniret aut manum consereret,
suos a fuga effusa et ab animis feroci pugna hostis continuit.*

Emendare debuistis 'et ab nimis feroci'.

*Progressus ante alios magister equitum, cum patrem Fabium
appellasset circinfusosque milites eius patronos totum agmen cum
salutasset, 'Parentibus, inquit, dictator, mediis, quibus te modo
nomine, quo fando possum equavi, vitam tantum debeo, tibi cum
meam salutem, tum omnium horum.'*

Vos emendatis: 'parem,
inquit, dictator, te diis modo nomine'. Ego sic: 'parentibus,
inquit, dictator, meis, quibus te modo'.

*Neapolitani legati Romam venerunt. Ab iis quadraginta
patere auree magni ponderis in curiam illate atque ita verba facta
ut dicerent scire res esse populi erarium bello exhausti.*

Opinor
sic legendum: 'scire sese populi' vel 'scire se rei publice
erarium.'

*Gratum sibi patres romanos populumque facturum si omnes
res Neapolitanorum suas duxissent, dignosque indicaverint a quibus
donum animo ac voluntate eorum qui libenter darent quam
rem maius ampliusque acciperent.*

Emendare debuistis 'quam re
maius'.
Ab eodem populo romano ex S. C. littere ad consules misse.
Debuistis emendare 'ab eodem pretore ex S. C. littere'.

C. Terentius Varro, nequem sui generis hominem plebs insectationi principum popularibusque artibus conciliatum a Quinti Fabii opibus ex dictorio imperio concussum aliena invidia splendentem vulgus extrahere ad consulatum nitebatur.

Emendare debuistis
'C. Terentium Varronem quem sui generis hominem
plebs insectatione principum'.
Nihil inclementer in Varronem dictum nisi id modo mirari

[Page 342]

se, quod, nequis prius quam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset, iam nunc locatus in urbe sciret que sibi agenda armato forent.

Credo sic legendum: 'mirari' se quomodo' vel 'quemadmodum' vel 'quod aliquis prius quam'.

Dubitas ergo quin eum sedendo superaturi simus qui senescat in dies, non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat? quandiu pro Gerionis castelli Apulie ignobilis tanquam pro Carthaginis menibus sed ne adversus te quidem ego gloriabor.

Petrarcha
addidit 'pugnatum est', ut esset 'tanquam pro Carthaginis menibus pugnatum est'. Vos addidistis 'pugnabimus'. Ego 'sed' muto in 'sedet', ut sit 'quandiu pro Gerionis, castelli Apulie inopis, tanquam pro Carthaginis menibus sedet?'

Duobus ducibus unus resistas oportet. Resistes autem adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris, si te neque college vana gloria neque tua falsa infamia moverit a veritate. Laborare nimis, is sepe aiunt, extingui nunquam; gloriam qui spreverit, veram habebit.

Petrarcha sic distinguit hunc locum ut putet gloriam laborare, nunquam extingui; deinde incipiat sententia sequens 'Qui spreverit, veram habebit'. Vos, nonnihil interlita scriptura, sic emendatis: 'veritatem laborare nimis sepe aiunt, extingui nunquam'. Ego vero sic: 'si te neque college vana gloria, neque tua falsa infamia moverit a virtute. Laborare enim ius sepe aiunt, extingui nunquam'. Est autem etiam hac estate tritum hoc vulgi sermone proverbium, ut pinguioribus verbis efferam: 'Egrotat quidem ratio, sive ius aliquando, sed nunquam moritur'.

[Page 343]

Omnia audentem contemnet Hanibal, nihil temere agentem metuet. Nec ego ut nihil agatur, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna.

Petrarcha, videns hoc in loco deesse verbum, addidit 'moneo' sic: 'nec ego ut nihil agatur moneo'; sed hec additio supervacua est tantumque mutandum 'ego' in 'eo', quod significat in eum finem.

Gallis Hispanisque scuta eiusdem forme erant, dispare ac dissimiles gladii, Gallis prelongi ac sine mucronibus, Hispano, punctim magis quam cesim assueto petere hostem, brevitate habiles et cum mucronibus. Ante taleus animatus gentium harum, tum magnitudine corporum, tum specie terribilis erat: Galli super umbilicum erant nudi, Hispani linteis pretextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus, constiterant.

Vos sic emendatis: ‘talis habitus gentium illarum’, ego sic: ‘ante alias habitus’ sive ‘inter alia ipse habitus’.

Hec exagentis prius turba civium, deinde hostes oppressere consulem, ignorantes quis esset, obrueruntque telis.

Vos emendatis
‘hec exigenti’, ego ‘hec exigentem’ idest postulantem a Lentulo consulem.

Hec pugna Alliensi cladi nobilitate par, ceterum utilis; que post pugnam accidere leviora, quia ab hoste cessatum est, sic strage exercitus gravior fediorque fuga. Namque ad Alliam fuit, sicut urbem prodidit, ita exercitum servavit.

Taceo quo nam modo Petrarcha
conatus hunc locum sit emendare. Vos unum verbum
addidistis sic: ‘que post pugnam accidere, sicut leviora’. Ego sic
emendo: ‘ceterum ut illis que post pugnam accidere levior, quia
ab hoste cessatum est’, hoc est quia Hanibal cessavit petere
urbem ut Galli fecerunt superatis ad Alliam Romanis. Preterea
‘namque’, que est una dictio, debet dividi in duas, ut sit relativum
‘que’: refertur enim ad illud ‘fuga’. Ita tota emendatio

[Page 344]

erit singulis dictionibus in binas separatis: ‘utilis’ in ‘ut illis’
‘namque’ in ‘nam que’, et ‘leviora’ mutato in ‘levior’.

*Maharbal prefectus equitum, minime cessandum ratus
‘Immo ut quid hac pugna actum sit scias, die quinto, inquit, victor
in Capitolio epulaberis; sequere cum equite, ut prius te venisse quam
venturum sciant.’ Precedant Hanibal inimici letales et via maior
que quam ut eam statim capere animo possent. Itaque voluntatem
se laudare Maharbalis ait, ad consilium pensandum tempore (vel
temporis) opus esse.*

Ita in ceteris fere exemplaribus. In regio
autem, quod Florentie emendatum est, sic: ‘precedant Hanibal
lenta res et nulla maior’, quod vos sic emendatis: ‘precedat
Hanibal inimicus leta res et nulla maior.’ Scilicet vultis ut
hec sit oratio Maharbalis, que est auctoris ideoque sic emendanda:
‘preceperat’ sive ‘perculerat’ sive ‘pervaserat Hanibalem’ sive
‘incesserat Hanibali nimia letitia’ sive ‘nimia scilicet letitia’ sive
‘nimia tante rei’ sive ‘rei talis’ sive ‘victorie letitia maiorque
quam ut eam statim capere animo posset.’ Non muto autem
‘que’ extensum in contractum, sed diptongatum sive longum
in non diptongatum et breve. Hanc meam emendationem probat
veram esse conclusio que sequitur:

*Itaque voluntatem se
laudare Maharbalis ait.*

*Spoliis ad multum delectis, Hanibal ad minora ducit castra
oppugnanda.*

Opinor legendum 'spoliis ad multum diei' vel 'ad
multum diem lectis'.

*Si tam duriores esse velitis, quod nullo nostro merito facietis,
cui nos hosti relicturi sitis.*

Opinor 'iam' legendum, etiam si 'tam'
scribitur: siquidem Quintilianus ait usu receptum ut sic 'iam'
ut 'tam' scribatur.

[Page 345]

*Quo in tempore ipso adeo magno animo civitas fuit ut consuli
ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti et obviam
itum frequenter ab omnibus ordinibus sit et gratie acte quod de re
publica non desperasset. Qui Carthaginiensium ductor fuisset, nihil
recusandum supplicii foret.*

Opinor legendum 'cui si Carthaginiensium
ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret' vel
'qui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil ei recusandum
supplicii foret'.

4.6.

VI.

Tertius liber sic incipit.

Hec Hanibal post Cannensem pugnam capta ac direpta confestim ex Apulia in Samnum moverat, accitus in Hirpinos a Statio pollicente se Compsam traditurum.

Vos additis ‘castra’ sic: ‘castra
capta ac direpta’, quanquam poterat sic mutari sine ulla additione
‘castraque direpta’. Sed non improbo additionem, sive sit
ea ex vobis, sive ex aliquo exemplari (nam multa conquisistis).
Ceterum quid sibi vult primum illud verbum ‘hec’? Ego supervacuum
existimo et hac de causa quod ii qui Hanibal sine aspiratione
scribunt, ipsam figuram aspirationis in principio libri
non nihil distare a sequenti vocali et forte maiuscule scripta
videntes, non partem huius nominis, sed aliud esse putaverunt:
igitur ‘hec’, quod vicinum scriptura erat, interpretati sunt.

*Celiusque et alii ita ut sine causa pretermiserant scriptores
ponere pro certo sum veritus.*

Vos sic emendatis: ‘Celiusque et
alii ut non sine causa pretermiserant’, quod grammatica non
consentit. Ego sic: ‘Que’ sive ‘quod Celius et alii haud sine
causa pretermiserant’. Nam quidam ‘haud’ per t scribunt hincque
fuit erroris causa.

*Hec pacta, illa insuper quam que pacta erant facinora Campani
ediderunt.*

Deinde subiungitur imperfectio prefectorum civiumque

[Page 346]

romanorum. Vos ita hoc emendatis ut duo prima verba
tollatis, tertium mutetis in ‘alia’. Ego nihil in iis nec tollo, nec
muto, sed ‘facinora’ in ‘fediora’ sic: ‘hec pacta (id est fuerunt):
illa insuper quam que pacta sunt fediora Campani ediderunt’.

*Eo Pacuvius Calanius, de quo ante dictum est, princeps
factionis eius que attraxerat rem ad Penos, filium iuvenem adduxit,
abstractum a suo cum Decio ait latere, cum quo ferocissime pro
romana societate adversus punicum fedus steterat.*

Vos sic emendatis:
‘abstractum a sinu ac latere Deci’, ego, quia Livius illum
semper duobus nominibus appellat, sic emendo: ‘abstractum a
suetu Deci Magi latere’.

*Ceperunt epulari de die et convivium non ex more punico aut
militari disciplina esse, sed ut in civitate atque etiam domo diu
ad varias omnium voluptatum illecebras instructum. Unus nec dominorum
invitatione, nec ipsius interdum Hanibalis Calanii filius
per olla vinum potuit ipsique valitudinem excusans patrem animi
quoque aut mirabilem inter turbationem causa ante solis ferme occasum
patrem Calanium filius ubi in secretum hortus erat posticis
edium pervenerunt.*

Vos sic emendatis: 'permolliri potuit ipsiusque valitudinem excusans pater', ego sic: 'pelli ad vinum potuit cibumque valitudinem excusante patre, animiquoque eius haud mirabilem turbationis causam', vel 'animiquoque eius atram bilem interpretabatur esse causam', vel 'amiciquoque casum miserabilem interpretabatur causam', vel 'haud miram ait perturbationem paulo ante solis occasum'.

'Consilium, inquit, affero, pater, quo non veniam solum peccati, quod defecimus ad Hanibalem, impetrari ab Romanis, sed in multo maiore dignitate et gratia simus Campani quam fuimus unquam.'

Non 'impetrari' scribendum reor, sed 'impetraturi'.

Pauce hore sunt intra quas iurantes per quicquid deorum est, dextras dextre iungentes, fidem obstrinximus, ut sacra fide mansissemus;

[Page 347]

digressi a colloquio extemplo in eum armamur iurgiis ab hospitali mensa ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Hanibale es: eam ipsam mensam cruentare vis hospitis sanguine.

Credo
legendum non 'iurgiis', sed 'periuriis'.

Et legatione missa ad repetendum eum ne aut negando rem quam primum peterent offendi sibi novi socii, aut tribuendo habendus Capue esset seditionis ac turbarum auctor.

Legendum opinor
non 'offendi', sed 'offendendi'.

Mihiquoque, quoniam respondi Himilconi, interrogare ius fasque est, velim seu Himilco respondeat.

Legendum credo 'seu
Mago seu Himilco respondeat'.

Ergo si quis de pace consultet, seu deferenda hostibus seu accipienda, habeo quid sententie dicam. Sed de iis que Mago postulat repertis, nec victoribus mitti attinere puto et frustrantibus nobis falsa atque inania multo minus censeomittenda.

Sic legendum
puto: 'sed de iis que Mago postulat nec repertis victoribus mitti attinere puto'.
Cupidus marini oppidi potiundi. Opinor legendum 'maritimi'.

Ceterum postquam Neapolim a prefecto romano teneri accepit (M. Iulius Silanus erat ab ipsis Neapolitanis accitus), Neapoliquoque sicut Nolam amissa, petit Nuceriam.

Opinor legendum

'Nola omissa'.

*Instrui deinde utrinque acies Romanorum cepte pro menibus
Nole, Penorum ante castra sua. Prelia hinc parva inter urbem
castraque.*

Obscurus sensus qui fiet apertissimus, si loca duarum
dictionum contiguarum mutaverimus sic: 'instrui deinde utrinque
acies cepte Romanorum pro menibus Nole'.

[Page 348]

*Media porta robora legionum et romanos equites, duabus
circa portis novos milites levemque armaturam ac suorum equites
statuit.*

Opinor legendum 'sociorum', non 'suorum'.

*Non vinci enim ab Hanibale vincentibus difficilius fuit quam
postea vincere.*

Opinor legendum 'non vinci enim ab Hanibale
vinci solitis' sive 'vinci suetis', vel 'vincere solito' sive 'sueto'.

*Hanibal Acerris direptis atque incensis, cum a Cassilino
dictatorem romanum legionesque nimis accipi nuntiatum esset, ne quis
tam propinquis castris.*

Vos mutatis 'nimis' in 'Cumis', ego
in 'novas' et 'accipi' in 'acciri', quod ita debere legi, qui verba
ipsa auctoris de duabus novis legionibus legerit, animadvertis.

*Ibi cum dies aliquot, suscepti Campanis timentesque, cavendis
ac struendis invicem insidiis traduxissent.*

Vos sic emendatis:
'ibi cum dies aliquot suscepti Campanis suspectis timentibusque,
cavendis ac struendis'. Ego tantum muto 'suscepti' in
'suspecti'.

*Ita enervaverunt corpora animosque ut magis deinde preterite
victorie eos quam presentes tutarentur vires manusque. Id peccatum
ducis apud peritos artium militarium haberetur quam quod
non ex Cannensi acie ad urbem romanam duxisset.*

Vos sic emendatis
(cum dico vos, de quatuor in primis loquor, duobus quidem
contra quos, ut nefandissimos mei accusatores, hec scribo,
totidem autem absentibus, Iacobo Curio – quem Bartholomeo
antepono et Antonio Panormite –, rhetore quem proxime perisse

[Page 349]

audio, non modo latinarum sed grecarum litterarum sane
perito, qui suas Genua emendationes ad Curnum miserat), vos
igitur regium codicem, quo nullus in omni Italia est augustior,
vel emendatis vel depravatis: 'id peccatum ducis apud peritos
artium militarium habetur, maius quam non ex Cannensi

acie'. Ego sententiam superiorem sic claudio: 'quam presentes tutarentur vires' et sequentem, mutato 'manus' in 'maius', sic inchoo: 'Maiusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur' et reliqua. Dixi incohari sequentem sententiam, sed ita volo dixisse ut sciamus eam a superiore pendere ideoque scribendum 'haberetur', non 'habetur', sicuti vos emendatis.

Nec muribus alio ve animali abstinerent et omne herbarum radicumque genus aggeribus infimis muri eruerent; et cum hostes exarassent quicquid herbi terreni extra murum erat, raporum iniecerunt.

Vos mutatis 'herbi' in 'herbidi' et 'raporum' in 'raparum', ego 'infimis' in 'infimi', de ablativo plurali in genitivum singularem, et 'herbi terreni' in 'herbidum' vel 'herbis tenerum'.

'Raporum' autem in 'raparum' cur mutaveritis non video, cum Cato, Varro, Columella, Plinius, Martialis, Palladius aliique complures 'rapa' neutro genere appellant.

Fulvius Flaccus in locum P. Seantini demortui. Vos emendatis 'in locum P. Scauri indemortui', quasi dicatur 'indemortuus' et non semper 'demortuus'.

Cum de ea re M. Emilius pro dictatore post Cassilinum amissum, profecto tam ad exercitum, exposcentibus cunctis rettulisset.

[Page 350]

Vos mutatis 'tam' in 'tum', nescii 'tam' pro 'iam' scribi, ut iterum admonuimus.

Accirique C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum iusserunt; qui ex eo ex Apulia, relicto ibipresidio, cum magnis itineribus Romam redisset.

Vos emendatis 'qui consul ex Apulia', ego 'qui mox ex Apulia'.
Idque sacrum vasis erat, quo solemnibus libarent. Opinor legendum 'sacrum vas iis erat' vel 'sacrum vas erat'.

Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset a peritis quesitum est ne secundo consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur inibatur ratio.

Vos sic emendatis: 'quesitum est duo ne consulares exercitus'; ego sic: 'nec quomodo consulares exercitus' et reliqua.

Eodem exin dictatoris legionibus relici militem minimi quenque roboris.

Opinor scribendum: 'eodem ex tribus dictatoris legionibus': tot enim habuit dictator legiones et binas consules.

Cum decreta senatus mandataque exposuisset atque edocuisset ipse invicem quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit, nulla re quam celeritate tutior, quod undique abierat antequam consentirent.

Vos hec ultima verba
sic emendatis: 'antequam eum sentirent'; ego sic: 'antequam
consules sentirent'. Siquidem duo consules tunc in Hispania
erant, quos ille fecellit Carthaginiensis, et consules una syllaba
scriptum erat, ut in plurimis verbis fit. Porro illud inemendatum
reliquistis 'atque edocuisset', quod est ita emendandum
'atque edidicisset' vel 'atque eductus fuisset', videlicet quomodo
ille ad quem venerat tractare bellum vellet.

*His anxii curis ad Hiberum convertunt copias et transito
Amne, cum diu consultassent utrum castra castris conferrent, si*

[Page 351]

*satis haberent sociis Carthaginiensium oppugnandis morari ab itinere
proposito hostem, urbem a propinquuo flumine Hiberam appellatam,
opulentissimam ea tempestate regionis eius, oppugnare
parant.*

Vos sic emendatis: 'utrum castra castris conferrent an
tum haberent': que sententiam non habet exitum. Ego sic: 'an
satis haberent'.

*Absumptis enim frugum alimentis carnisque omnis generis
quadrupedum suetemque postremo coriis herbisque et radicibus et
corticibus teneris strictisque rubis.*

Ego opinor legendum 'scutorum'
pro 'suetemque', que verba vos quia emendare nesciebatis
erasistis.

*Senatus decrevit ut T. Sempronius, consul designatus, cum
ibono inisset, ad populum ferret ut Fabium sive duumvirum esse
iuberent edis dedicande causa. Et M. Emilio Lepido, qui bis consul
augurque fuerat, filatres Im (sic) que ludisse funebres per triduum
et gladiatorum paria duo et viginti per triduum in foro dederunt.
Ediles curules C. Lectorius et T. Sempronius Gracchus, consules
designati, qui in edilitate magister equitum fuerat, ludos romanos
fecerant, qui per triduum instaurati sunt. Plebeii ludi edilium M.
et Aurelii et M. Claudi Marcelli ter instaurati sunt. Circumacto
tertio anno belli punici, T. Sempronius consul designatus idibus
martiis magistratum iniit.*

Vos hic nihil emendatis, nisi mutantes
'cum ibono inisset' sic: 'cum magistratum inisset', quod falsum
esse ex posterioribus coarguitur, quia ante fuerunt editi ludi
quam Sempronius inisset magistratum, ut ipsa que posui verba
indicant. Preterea mutatis 'filatres' in 'simul III imperatores',
hoc est tres imperatores, que nulla sententia est. Ego sic
arbitror emendandum: 'senatus decrevit ut T. Sempronius consul
designatus cum bono omni ad populum ferret'. Ideo autem

[Page 352]

prefati sunt cum bono omni, quia post motum bellum nunquam
fecerant ludos aliis super alias cladibus nuntiatis. Perago
cetera: 'ut duumviros esse iuberent edis dedicande causa. Cn.
Emilii Lepidi, qui bis consul augurque fuerat, filii tres, Lucius,
Marcus, Quintus ludos funebres per triduum et gladiatorum
paria duo et viginti per triduum in foro dederunt. Ediles curules
C. Lectorius et T. Sempronius Gracchus, consul designatus,
qui in edilitate magister equitum fuerat, ludos romanos fecerunt'

et reliqua.

*Consules exercitus inter esse iusserunt (vel inter se divisorunt).
Fabio exercitus tradi, cui M. Iunius dictator prefuerat, evenit;
Sempronio eos volonumque fierent et sociorum XXX milia.*

Opinor emendandum ‘Fabio exercitus tironum, cui M. Iunius dictator prefuerat, evenit; Sempronio volonum quod fuerat et sociorum triginta milia’. Sunt autem ‘volones’ servi quibus pro re publica arma tradebantur, sic appellati quod ulti vellent militare pro dominis.

*Subducte naves dum refiguntur aliquantulum temporis trivere.
Sic legitur in regio codice per vos emendatum, cum emendare debuissetis ‘reficiuntur’: nam ‘refigere’ est quod fixum est educere.*

Campanis omnibus statutum sacrificium ad Hamas. Legendum est ‘statum’, de quo fuit illa inter nos apud regem controversia quodque ego multis rationibus atque exemplis probavi.

*Iam Campani eo frequentes ex composito convenerant, nec
procul inde in occulto Marius Alpius edixit uti, cui summus magistratus
erat Campanis, cum XIII milibus maiorum habebat*

[Page 353]

castra. Vos sic emendatis: ‘Marius Alpius et ipse uti cui summus magistratus erat. Ego sic: ‘Marius Alpius medixtuticus, qui summus magistratus erat Campanis, cum XIII milibus iuniorum’ vel ‘militum habebat castra’. Est autem ‘medixtuticus’ nomen magistratus, ut aliis in locis apud Livium patet. Siquis tollendum relativum putat, ut sit ‘medixtuticus, summus magistratus erat’, tollat licet.

*Ipse ad Hamas vacua hostibus castra nequiquam preter
recentis vestigia cedis strataque passim corpora sociorum invenit.*

Legendum est ‘nec quicquam’; cum dico legendum, dico vos emendare debuisse.

*Adversus ligneam ingentem admotam urbi aliam turrem
ex ipso muro excitavit consul romanus aliquanto altiore, quia
muros satis per se altos subiectis validis supplicatis pro solo usus
erat.*

Vos tantum in margine ex purpureo colore fecistis pro ‘supplicatis’ aliter ‘sublicis’. Opinor, Antoni, nonnihil reminiscebaris correctionis mee apud regem: quod si prorsus reminisceris quomodo hunc locum emendarim, nec me auctorem in emendando codice regio habere voluisti, nihil est te pertinacius; sin oblitus es, nihil te obliviousius atque hebetius. Ego sic emendandum esse librum te admonui, rege approbante et, ut reor, etiam nunc memoria tenente: ‘quia muro satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo usus erat’. Est enim ‘sublica’ genus trabis, unde dictum est pons Sublicius, quod non ex lapidibus esset sed ex sublicis structus, non solum Rome et in Tiberi, sed in aliis etiam fluminibus.

*Ad mille CCC Carthaginiensium cesi et inde LX vivi capti.
Opinor legendum ‘et undesexaginta vivi capti’, hoc est uno dempto ex sexaginta, qui sunt quinquaginta novem.*

Captivis in vincula conditis comitibusque eorum sub hasta venditis.

Opinor legendum ‘in vincula coniectis’.

[Page 354]

Itaque ignarus ex iis que cum Hanibale legatis suis convenissent.

Vos emendatis ‘legati sui’, quod nec fuit emendandum et sic emendare grammatica vetat.

Nec te nec exercitum tuum norim si, a quo tot acies romanas fusas stratasque sciam, ei facile esse dicam opprimere populatores nostros vagos sine signis palatos quo quenque trahit quamvis vana prede spes.

Opinor legendum: ‘nec te, nec exercitum tuum norim nisi’ vel ‘ni a quo tot acies et reliqua’.

Si modo, quos ut socios haberes dignos duxisti, ad id indignos iudicas quos in fidem receptos tuearis.

Vos emendatis ‘nisi quos modo ut socios haberes’, cum sic fuerit emendandum: ‘si modo quos ut socios haberes dignos duxisti, haud indignos iudicas quos in fidem receptos tuearis’.

Exercitum esse non in agrum hirpinum sociorum ve. Opinor legendum ‘exercitum misisse’.

Sed quid inter Capue Nucerieque fortunam inter esset ipsos prope in medio sitos Nolanos scire; nolo minari que capte urbi cessura forent.

Vos emendatis ‘nolle’ pro ‘nolo’, ego ‘ominari’ pro ‘minari’.

Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua iactabatis. Enim minor res est: hic experiri vim virtutemque volo.

Opinor legendum ‘en minor’ vel ‘en nunc minor res est’.

Sed Nolanis etiam per clamorem favores indicem accendentibus ardorem pugne.

Vos emendatis ‘favorem invicem accendentibus’, ego ‘favoris indicem’, ut apud Ciceronem Pro Rabirio: ‘Quin comprimitis istam vocem, indicem stultitie, testem paucitatis’.

Taurea, verbis ferocior quam re, ‘minime sis, inquit, canterium in fossa’.

Vos emendatis ‘minime scis’, cum eodem modo

[Page 355]

hic dicatur 'sis' adverbialiter quo 'agesis', quod exponunt 'si vis', cuius generis sunt plurima exempla.

Huic pugne equestri rem, quam etatis communis certa existimatio est, mirabilem certe adiiciunt quidam annales.

Vos emendatis

'huic pugne equestri quam vera sit communis certa existimatio est'; ego sic: 'quam satis certam communis existimatio est'.

Litteris recitatis nemo omnium erat qui nec vera scribi et postulari equa fateretur.

Opinor sic legendum: 'nemo omnium erat quin et vera scribi'.

Quorum duo postulata fuere, unum mihi Tarentum in eo publico essent.

Vos sic emendatis: 'quorum duo postulata fuere ut talentum in eo publico esset', que sententia nec cum re convenit, nec ullius est usus. Ego sic: 'quorum duo postulata fuere, unum ne alii triennio eo publicani essent': publicanorum enim hec postulata erant, qui rei publice presentem pecuniam et quidem gratuitam mutuabant, sed sub spe quia tunc nec in erario quicquam, nec in vectigalibus foret.

Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic summa fide prebuit, nec quicquam si ex opulento erario, ut quondam, aleretur.

Opinor legendum 'nec secus quam si ex opulento'.

4.7.

VII.

Ex quarto he sunt.

*Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca
preterfluebat et agros procul qui habitabantur. Sex milia aberat.*

Opinor legendum ‘preterfluebat muros procul iis qui
habitabantur’.

In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis regnumque

[Page 356]

*ad Hieronymum nepotem eius translatum, puerum vixdum
libertatem, nedum dominationem modice laturum etatis. Id ingenium
tutores atque amici ad precipitandum in omnia vitia acceperant.*

Ego accipio ‘modice’ adverbialiter, pro eo quod est ‘temperate’
et ‘modeste’; ideoque superiorem sententiam sic claudio:
‘nedum dominationem modice laturum’, sequentemque sic incipio
mutoque: ‘Letati id ingenium tutores atque amici’.

*Que ita futura cernens Hiero ultima senecta voluisse dicitur
liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili per ludibrium
bonis artibus partum firmatumque interiret regnum. Huic consilio
summa ope obstitere filie, nomen regium penes puerum futurum rate,
regimen rerum omnium penes se virosque suos Andranodorum primi
relinquebantur.*

Ego sic emendandum reor: ‘penes se virosque
suos, nam ii tutorum primi relinquebantur’ vel ‘nam ii duo primi’
vel ‘ii enim duo primi’.

*Deinde ceteros tutores summovet Andranodus, iuvenem
iam esse dictans Hieronymum ac regni potentem; deponendamque
tutelam, ipseque cum pluribus communis erat, in se unum omnium
vires convertit.*

Legendum opinor ‘deponendaque tutela’ idest
‘deponendo tutelam que ipsi cum pluribus communis erat, in
se unum omnium vires convertit’.

*Hunc tam superbum apparatum habitumque convenientes
sequebantur contemptus omnium hominum, superbe aures, contumeliosa
dicta, aditus non modo alienis, sed tutoribus etiam, libidines
nove, inhumana crudelitas.*

Ego emendo ‘convenientes’ in
‘convenientia’, ‘etiam’ in ‘rari’; quidam addunt ‘difficiles’, ut
sit ‘difficiles aditus’.

Clamore et tumultu auditu indigeminem tam haud dubie

[Page 357]

obstantem tela coniiciunt. Vos emendatis ‘tam’ in ‘tamen’, ego

pro 'iam' puto legendum, ut bis iam dixi.

*Inde Romam comitiorum causa veniens in eum quem primum
diem comitialem habuit comitia edixit atque edixit inire preter urbem
in campum descendit.*

Vos sic emendatis: 'comitialem habuit
eo die, comitia dixit atque edixit inire'; ego sic: 'comitia edixit
atque ex itinere preter urbem in campum descendit'. Quod probatur
ex illo non longe post loco: 'Et quia urbem non inierat,
protinus in campum ex itinere profectus'. 'Comitiale' a 'comitiis'
dixit, qui sunt actus creandorum magistratum, non a
'comitio', quod, ut ait Pedianus, est locus prope senatum, quo
ire equitibus et populo romano licebat; itaque aliud singulare,
aliud plurale significat.

*Ob eandem causam ut multis annis post fuisse non negaverim,
cum M. Valerio non diffideretur adversus similiter provocantem
arma capienti Gallum ad certamen.*

Hic ego reor mutandum 'ut'
in 'haud' commutandaque aliorum verborum loca sic: 'ob eandem
causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cum
M. Valerio non diffideretur arma capienti adversus provocantem
ad certamen Gallum'.
Fontem sub terra tanta vi aquam fluxisse. Opinor legendum
'aquarum' vel 'fonte'.

*Tacta de celo atrium publicum in Capitolio, edem in campo
Vulcani, vocem in Sabinis publicamque viam, murum ac portam
Gavisiam.*

Vos mutatis 'vocem' in 'arcem', ego in 'nucem'.

*Incohaeta vestra gloria, nondum perfecta est periculumque
ingens manet, nisi faciem concordie consulitis ne libera efferatur
res.*

Vos sic emendatis: 'nisi facte concordie consulitis', ego sic:

[Page 358]

'nisi civium' vel 'publice' vel 'communi concordie' vel 'nisi paci
et concordie consulitis'.

Esse etiam monenti aliquid ad consilium. Opinor legendum
'momenti'.

*Ipsi cum paucis equitibus Herbesum profiscuntur spe territis
omnibus per proditionem urbis potiunde.*

Vos sic emendatis:
'spe fretis omnibus', quod longe abest a vero; nam ideo proficiscebantur
cum paucis equitibus Herbesum quod erat eis
spes urbis potiunde per proditionem, omnibus qui Herbesi
erant iam territis. Nescistis distinguere hanc clausulam, ergo
nec sensum eius percipere.

*Prima forte signa DC Cretensium erant, qui apud Hieronymum
meruerant.*

Vobis quid venit in mentem emendare 'prima fronte'?

*Inter hoc colloquium signa constiterant tenebaturque agmen,
necdum que more causa foret pervenerat ad duces. Postquam Hippocratem
et Epidicem pervasit rumor.*

Hic quoque vos additis
'advenire', quasi non subintelligatur verbum substantivum sic:
'Hippocratem et Epidicem esse'.

*Velut interceptas litteras quas ipse composuerat, recitat.
Pretores syracusanos Marcello secundum salutem, ut assolet, scriptum
erat recte eum atque ordine fecisse.*

Opinor scribendum 'syracusani':
est enim principium epistole. Hoc tamen esse principium
epistole tenes ne memoria, Antoni, te non pervidisse
cum legeres, regemque ac ceteros qui aderant, cum te emendassem
'secundum' pro 'post' accipi multaque exempla protulisset,
mihi assensos? Ita opinor memoria tenes, qui nihil eque
memoria tenes atque iniurias, duntaxat tibi factas, etiam si nulle
sunt; nam quas ipse facis, earum non minus cito te capit oblivio
quam beneficiorum acceptorum. Ne hunc quidem locum qui
sequitur intellexisti.

[Page 359]

*Murum ab imo ad summum crebris cubitalibus caveis aperuit,
per que cava pars sagittis, pars scorpionibus ex occulto petebat hostem.*

Legendum est 'cavis', cuius nominativus est cava, id est
foramina, ut apud Plautum in Menechmis:
Etiam nunc concede audacter ab Ieronino cavo
et Cornelium Celsum in VII: 'Deinde totum id cavum, sicut in
fistulis dixi, usque ad os excidendum'; quanquam apud Columellam,
si tamen vera scriptura est, reperitur genere masculino:
'Deinde cavum quem feceris surculo opturato'.

*Sed postquam ab Hippocrate occupate Syracuse erant, profectus
Carthaginem aditusque ibi et a legatis Hippocratis.*

Vos
mutatis 'aditus' in 'accitus', quasi non sit multo satius illum
fuisse aditum a legatis quam accitum.

*Quod ubi Hennensium principes, iam pacti cum Himilcone
de proditione presidii, animadverterunt nulli occasione patere, placuerat
agendum: urbem arcemque sue potestatis aiunt debere esse,
si liberi in societatem, non servi in custodiam traditi essent Romanis.
Itaque claves portarum reddi sibi equum censerunt.*

Opinor mutandum
unum verbum 'placuerat' in duo 'palam rati'.
Sequiturque:

Ad ea Romanus se in presidio impositum esse dicere ab imperatore suo, claves portarum et custodiam arcis ab eo accepisse, que nec suo, nec Hennensium arbitrio haberet, sed eius qui commisisset presidium. Decedere apud Romanos capitale esse et nec liberum etiam suorum eam parentes sanxisset. Marcellum haud procul esse.

Hoc vos emendare non estis ausi, ne Petrarcha quidem.
Ego sic opinor emendandum: 'presidium' sive 'presidio'

[Page 360]

decedere apud Romanos capitale esse et hoc' sive 'et quod liberum (pro 'liberorum') etiam suorum crurore parens sanxisset', vel 'liberum etiam sanguine parentem sanxisse'; videlicet de Torquato qui ob hoc filium occidit loquitur.

Utinam reliquum tempus nec patiendo infanda in faciendo traduci potest. Hec occulta fraude cautio est, quam si adhuc sumus; cui quoniam parum procedit, aperte et propalam claves portarum reposcunt.

Opinor sic legendum: 'nec patiendo infanda, nec faciendo traduci posset ab occulta fraude cautio est, qua vivi' sive 'qua usi adhuc sumus' vel 'sed occulta fraude petiti ab Hennensibus sumus'.

Itaque crastino die aut nostro aut Hennensium sanguine Henna inundabitur. Nec occupatis peculium, nec occupantes periculi quicquam habebitis.

Opinor legendum 'nec preoccupati spem ullam' vel 'nec occupati presidii' sive 'subsidiī neque occupantes periculi quicquam habebitis'.

Postero die alii aliis ad obsidēndis itineribus claudēndosque obſiti exitus; pars maxima super theatrūn cirque assueti et ante spectaculūm contionem consistunt.

Opinor sic legendum: 'ad obsidēndā itinera claudēndosque oppositi exitus' vel 'claudēndos oppidanis exitus' vel 'claudēndos obſessis exitus, pars maxima super theatrum cirque ad suetūm ante spectaculūm' vel 'super theatrum ad assuetūm autē spectaculūm contionem circūsistunt'.

Nihilo remissiore militūm ira quod iure turbam inermem cedeant quam si periculum par et ardor certaminis eos irritaret.

Vos tollitis 'iure', quod aut non tollendum aut sic mutandum: 'militūm ira quamvis turbam inermem'.

[Page 361]

Legati eo Apollonia venerunt, nuntiantes in obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse neque sustinere ultra vim Macedonum posse, nisi presidium mittatur romanum facturos se que vellent pollicitos, co delectorum militum navibus longis mittat ad hostium fluminis cum prefecto socium Q. Nevio Crista, viro impigro et perito militie. Iis expositis in terram militibus navibusque unde venerat.

Ego sic emendo: ‘Romanus facturum se que vellent pollicitus LX electorum militum naves longas mittit’ vel ‘decem milia electorum militum navibus longis mittit’; preterea ‘is’ nominativi casus est: refertur enim ad prefectum, non ad naves, scribendumque una i.

Sed gens nata instaurandis reparandisque bellis, fratre misso brevi replevit exercitum animosque ad temptandum de integro certamen fecit. Alii plerique milites, sique pro parte totiens intra paucos dies victa, iisdem animis quibus p. r. orta eodemque eventu pugnavere; plus octo milium cesa et non multo minus quam mille capta et signa militaria LVIII. Et spolia plurima gallica fuere, aurei torques armilleque magnus numerus; duo etiam insignes reguli Gallorum, menia cepta et civis maro nomina erant, eo prelio ceciderunt.

Opinor sic emendandum: ‘Galli plerique milites, iique pro parte totiens intra paucos dies victa, iisdem animis quibus priores eodemque eventu pugnavere’. Hoc quoque, Antoni, potes dicere te non reminisci a me in illo ceto correctum? Etenim si quis dies unquam tibi acerbus illuxit, haud dubie is fuit quo bis uno in loco fuisti condemnatus, semel in eo quod emendavi, cum mihi pertinacissime obsisteres, iterum quod ‘menia cepta’ pro ‘menia capta’ exponebas et nescio quem Maronem civem dici volebas, cumque ego subridens dixisse esse duo regulorum nomina, ‘Meniacepta’ et ‘Civismaro’, ac

[Page 362]

se delectari rex mea expositione cum quadam admiratione significasset etiam magis quam in superiore fecerat tuque ex tua consuetudine tuereris opinionem tuam, «Tace, Antoni, Egnigus inquit, nihil verius quam et ‘Galli pleri que milites’ scribendum et hec esse nomina Gallorum regulorum». Non exequar quid ille, et si amicus tuus, tamen ingenue libertatis vir in laudem mei adiecerit, rege confirmante; tantum dico non modo bis te peccasse, sed accidente pertinacia etiam ter, terque reprehensum. Nunc, quod gravissimum est, quarto reprehendi potes quod in pertinacia perseveras, ne a me doctus esse videare. Sed, o demens, non est ut magnopere doleas tarditatem ingenii tui: ne Petrarcha quidem veritatem scripture deprehendit, sed ut loco obscuro et inexplorato notam apposuit. Quis tamen tantus te furor tenuit ut in animum induxeris codicem regium emendatione fraudare? immo regem ipsum prodere, si modo proditio tua celari poterit. Reminiscetur ille, reminiscetur emendationis mee cum codicem suum leget.

Fabius pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. Cum obviam filius progrederetur lictoresque verecundia maiestatis eius anteirent taciti, preter undecim fasces equo prevectus senex, ut consul animadvertere proximum lictorem iussit et ut is descenderet ex equo inclamavit.

Vos sic emendatis: ‘ut consul animadvertis, ire proximum lictorem iussit’; ego sic: ‘equo prevectum senem ut consul animadvertis stare proximum lictorem iussit’.

*Tum demum desiliens ‘Experiri, inquit, volui, fili, satin
scires consulem te esse’. In ea castra Cassius Altinus Arpianus clam
nocte cum tribus servis venit, promittens, si sibi premio foret, se
Arpos proditum esse. Eam rem cum ad consilium retulisset Fabius,
aliis pro transfuga verberandus necandusque videri ancipitis
animi communis hostis, qui post Cannensem cladem, tanquam cum
fortuna fidem stare oporteret, ad Hanibalem discessisset traxissetque
ad defectionem Arpos; tum quia res contra spem votaque*

[Page 363]

*eius resurgeret turpius (vel turpitudinibus) videatur, novam referre
prodictionem pollii VII.III. viralii (vel septemvirali) iudicio
est et semper aliunde sentiat infidus socius, vanus hostis ad Phaleriorum
Pyrrhique prodictionem tertium transfugis documentum esse.
Contra ea consulis pater temporum oblitos homines in medio ardore
belli tanquam in pace libera de quoque arbitrari agere aiebat et cum
illud potius agendum atque eos agitandum sit, si quo modo fieri
possit ne qui socii a populo romano desciscant et non vocent, documentum
autem dicatur statui oportere, si quis resipiscat et antiquam
societatem respiciat.*

Opinor sic emendandum: ‘nunc
quia res contra spem votaque eius velut resurget rursus’ vel
'resurgere rursus videatur' vel 'turpius audeat novam referre
prodictionem proditis polliceri puerili iudicio et temporali unde
sentiat' vel 'proditi spolium proinde in tali iudicio esse statuendum
ut se sentiat' vel 'pollicentem mobili iudicio' vel 'pollutum
virum levemque et semper alium se sentiat infidus socius, vanus
hostis ad Phaleriorum Pyrrhique proditorem tertium transfugis
documentum esse. Contra ea consulis pater Fabius
temporum oblitos homines in medio ardore belli tanquam in
pace libera de quoque arbitria agere aiebat, cum illud potius
agendum atque cogitandum sit si quo modo fieri possit ne qui
socii a populo romano desciscant' vel 'desciverunt etiam novo

[Page 364]

metu dubitent' vel 'novo metu redire dubitent, documentum
haud dicatur statui oportere si quis resipiscat'. Nequis tamen
miretur quod multis modis eundem locum emendamus, cum
verus nisi unus esse non possit: nam facimus more illius apud
Plautum senis qui complures ex preda servos coemit, unius
certi postea in iis reperiendi gratia.

*Legati, quoniam Siphax se Romanis iunxit ut potentior
societate eorum adversus reges populosque Africe esset, donec melius
fore Galequoque Carthaginiensibus iungi quam primum antequam
Siphax in Hispaniam aut Romani in Africam transeant;
opprimi Siphacem nihildum preter nomen ex federe romano habentem
posse.*

Opinor legendum ‘docent melius fore’.

4.8.

VIII.

Sequitur liber quintus.

Incusati graviter a senatu ediles triumque viri rei capitales quod non prohiberent commoveri eam multitudinem ex foro ac disiicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit quin violarentur.

Vos cum in regio codice foret ‘cum emoveri’, sustulitis ‘cum’. Ego sic emendo: ‘cum movere’ sive ‘cum emovere eam multitudinem’.

Cn. Fulvius Flaccus Apuliam, C. Claudius Nero Suessulam, M. Junius Silanus creatus consul.

Opinor legendum ‘Silanus Etruriam’.

Testibus datis tribuni populum summoverunt si te illa que lata est ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent.

Vos sic emendatis:

‘scitoque lex lata est’, quasi lex sit lata per plebis scitum. Ego sic: ‘testibus datis tribuni populum summoverunt sitellaque lata est ut sortirentur ubi laturi suffragium forent’. Que sententia talis est: sitellam allatam, in qua suffragia populus de approbanda lege poneret. Solitum autem afferri sitellam cum lex ferenda esset probat Cicero De natura deorum libro primo: ‘Ut

[Page 365]

igitur Ti. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre de M. Octavio deferentem sitellam’. Fit autem ‘sitella’ a ‘situla’: nam et apud Plautum in Casina coniectio sortium in situla fit; nisi volumus alio vocabulo emendare quo utitur idem Cicero ubi ait: ‘Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus latus esset, Q. Cepio qui per id temporis questor urbanus erat, docuit senatum erarium pati non posse argitionem tantam; senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus rem publicam eum videri facere. Saturninus legem ferre cepit, college intercedere, ille nihilominus cistellam detulit. Cepio, ut illum contra intercedentibus collegis adversus rem publicam vidi ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deiicit.’ Quare dubium est an ‘cistella’ scribi possit, quod fit a ‘cista’. Sed quomodo cistula una dicitur et cistule multe, si eadem significatur res? Verum, ne hic agamus pluribus, ‘situlam’ nunc legendum puto, si quis volet ‘cistellam’ legat, me non repugnaturo.

Cum in eo parum presidii esset, turbande rei causa publicani per vacuum in summoto loco irruperunt, iurgantes simul cum populo tribunisque.

Opinor sic emendandum: ‘publicani per vacuum vi summoto eo cuneo’ vel ‘vi summoto inde cuneo irruperunt’.

Postumius vadibus datis non affuit. Tribuni plebis vocaverunt plebesque scivit.

Opinor legendum ‘tribuni plebem rogaverunt’.

Ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cetegus habuit. Res ingenti certamine petiverunt, M. Fulvius Flaccus, qui ante et bis consul et censor fuerat, et T. Manlius Torquatus, et ipse duobus consulatibus et censura insignis, et Licinius Crassus, qui edilitatem curulem petiturus erat.

Manifestus est error ex precedenti littera
t: nam ‘tres’ legendum est, non ‘res’, quod miror a nemine animadversum.

[Page 366]

Nihil unquam dicam de imperatore eo, cui presertim sciam gratias a senatu actas quod non desperaverit de re publica, qui post fugam actam nisi per omnes annos prorogatum imperium.

Vos sic
emendatis: ‘cui post fugam actam’, ego sic: ‘quod non desperaverit de re publica consul post fugam actam’ vel ‘factam’ vel ‘profligata acie’.

Tamen tantum abfuit ab eo ut illa ignominia tribus exercitibus quereretur ut ea urbs Roma per eum exercitum qui ab Allia in Veios transfugerat recuperaretur.

Opinor legendum ‘ut ulla ignominia tribus exercitibus quereretur ut etiam urbs Roma’ et cetera: fuerunt autem tres exercitus qui rem publicam ante hoc bellum Ieserunt, duo ad Furculas Caudinas, tertius ad Alliam; vel ‘ut ulla ignominia iis exercitibus quereretur ut etiam urbs Roma’.

Neve dono militari virtutis ergo donaretur. Tu, Antoni, qui te docere regem iactas, sic eum docebas ut mutares ‘ergo’ in ‘gratia’, nesciens ‘ergo’ ultima acuta legendum, quod significat ‘causa’, ut apud Virgilium:
illius ergo venimus.

Tum duo milia Gallorum Penus in tres divisa partes per urbem dimittit; Tarentinos et infra quam maxime frequentia occupare iubet.

Opinor legendum ‘Tarentinos interiora quam maxime frequentia’.

Siquis in hospitio civis romani (vacuas autem tenebat domos) nomen inscripsisset, eum se pro hoste habiturum.

Opinor legendum
‘sciebat’ vel ‘petebat’ vel ‘volet domos’.

Ex huius Martii duobus carminibus alterius postea est acta dediti curato auctoritas eventu, alteriquoque, cuius nondum tempus

[Page 367]

venerat, afferebat fidem. Opinor legendum ‘alterius post rem actam editi cum rato auctoritas eventu’.

Flavius Lucanus fuit, caput eius partis Lucanorum, cuius pars ad Hanibalem defecisset, que cum Romanis stabat; et iam Hanno in magistratu erat, ab ipsis illis creatus pretor.

Opinor hic perturbatum verborum ordinem ideoque sic restituendum:
‘Flavius Lucanus fuit eius partis Lucanorum que cum Romanis stabat, cuius pars’ vel ‘cum pars ad Hanibalem defecisset’.
‘Hanno’ autem superfluam habet aspirationem, quod non proprium nomen est, sed ablativus.

*Fideque ab eo accepta, si romanum is imperatorem tradidisset,
liberos cum suis legibus venturos in amiciciam Lucanos dedit
Penus in locum pacis Gracchum adducturus. Mago ibi pedites equitesque
armare et capere eas latebras ubi ingentem numerum occuleret.
Loco satis inspecto atque undique explorato, dies composita
rei gerende est.*

Vos sic emendatis: ‘in amiciciam Lucanos hunc deducit Penum in locum quo sit Gracchum adducturus’, ego sic: ‘in amiciciam Lucanos dedit spem se illo cum paucis Gracchum adducturum’; ‘illo’ adverbialiter pro eo quod est ‘in illum locum’.

Pugnatum tamen ut in nulla pari re duabus amplius horis concitata et donec dux stetisset romanam aciem.

Opinor legendum
‘etiam donec dux stetisset romana acie’.

Et Hanibal quidem haudquaquam simili sua neque simili exercitu.

Legendum est, opinor, ‘simili via’.

Et in vase magnitudinis partium sensu non satis pertinente in omnia.

Opinor ‘pertingente in omnia’.

Marcellus Euryalo recepto presidioque addito una cura erat libera nequa a tergo vis hostium in arcem accepta inclusos impeditosque

[Page 368]

menibus suos turbaret. Opinor ‘una cura erat liber’ vel ‘tenebatur’ vel ‘turbabatur’.

Accessit et ad pestilentiam, commune malum, quod facile utrorunque animos averteret a bellorum consiliis.

Puto legendum
‘accessit ad hec pestilentia’.

*Itaque non ducibus facilius quam multitudini persuasum est.
Similis ne metus quidem ab romanis ducibus erat, quippe tam paucis
sibi retinuerunt.*

Puto legendum 'quod per tam paucos ibi retinerentur'
vel 'quippe tam paucis ibi retineri'.

*Ibi naves in flumine Vulturno comprehensas duci gladio
quod iam ante presidii causa fecerat castellum iussit.*

Puto sic
emendandum: 'duci ad id quod iam ante'.

*Auditaque vox Ibanibalis fertur potiunde sibi urbis Rome
modo mentem non dari, modo fortunam minuere. Etiam per melius
et alie parve magneque res, magna illa quod cum ipse ad menia
urbis Rome armatus sederet milites sub vexillis in supplementum
Hispanie profectos audivit, parva autem quod eum forte agrum
in quo ipse haberet castra venisse. Regius codex habet: 'et iam
per me divos et alie parve magneque res.*

Ego non infinitivi 'minuere'
penultima correpta accipio, sed producta, preteritum
indicativi, nec finem superioris, sed initium sequentis sententie,
ideoque sic emendandum reor: 'minuere etiam spem eius' vel
'illius et alie parve magneque res'.

*Namque et Lucanos in Brutium agrum ad fretum et Regium
se occursu contendit ut prope repentina adventu incautos oppresserit.*

Opinor legendum 'Reginos hoc cursu' vel 'eo cursu' vel
'Reginos cursu contendit'.

[Page 369]

4.9.

IX.

*Restat sextus.
Diem posterum Hasdrubal colloquio petivit ut Romam leges
conscriberentur de trahendis arcibus urbium.*

Opinor legendum
'ut Romani leges conscriberent de tradendis arcibus urbium'.

*Silentium subito ortum est et tacita cogitatio quid nam egissent;
novi favor plus valuisset quam ratio. Eatis maxime penitebat.*

Opinor legendum 'quid nam egissent novi' vel 'nam quod favor
plus valuisset'.

*Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis
Siculisque Romam prebuit clarissimarum urbium excidio a celeberrimis
viris victos bello accusatores in urbem adducentes.*

Hunc ego
locum, duobus hinc annis ab Iacobo Curio rogatus, egre duobus
diebus emendare potui emendatumque homini tradidi, cum
pridie eidem petenti alterum, sed facilius, emendassem, qui cur
regium codicem ex mea correctione non emendarit nullam aliam
reperio causam nisi ab Antonio, ne me recte corressisse fateretur,
impeditum. Ex quo datur intelligi acriorem esse odii
quam amoris affectum: citius me destructum vellet Antonius
quam Alfonsum Cesarem. Sic autem emendavi hunc locum:
'hac circumfusus multitudine simul Siculis obviam egressis,
nonnullis' vel 'emulis querimoniam prebuit clarissimarum urbium
excidio a celeberrimis viris victos bello accusatores in
urbem adducentis'.

*Affirmantes non modo suam quisque patriam, sed totam Siciliam
relicturos.*

Opinor legendum 'suam quenque patriam'.

*Argenti qui curuli sella sederunt equi ornamenta et libras
pondo, ut lignum patellamque deorum causa habere possent.*

Nescio
an legendum sit 'salinum patellamque'. Est autem 'salinum'

[Page 370]

salis vas, ut 'acerra' turis, inde diminutivum 'salillum', quod
ego Antonium docui, qui pro minuto accipiebat sale.

*Ipse ut ei nuntiatum est estum decedere, quod per piscatores
tarragonenses nunc levibus cymbis, nunc ubi ea siderent vagis per vagatos
stagnum, compertum habebat facilem ad murum transitum
dari, eo armatos duxit.*

Opinor scribendum 'nunc ubi ee siderent',
idest ubi cymbe fundum maris nacte essent, 'vadis pervagatos',
hoc est per ea ipsa loca ubi sidebant cymbe, per que
vadere pedibus homines poterant. Hic est alter locus quem
Iacobo Curio correi.

4.10.

X. Hactenus Antonio legenti, et si non assidue, affui quotiensque mihi videbatur dissentendum, velut in senatu quodam, sententiam dixi, non quotiens potui, ideoque pauciora dixi quam scribo: rem haud dubie utilem iis qui sua Livii exemplaria hac in parte emendare cupient. Contraxistis frontem, quasi superbe locuto irascentes et de mea ipsius causa iudicanti: emendabunt illi per me exemplaria sua multo fidelius quam vos, regis vestri proditores, regium codicem, nec erubescens studiosi et liberaliter erudit Laurentium habere auctorem. Audeo enim, audeo de mea causa iudicare: quid enim de eo quod luce est clarus pronuntiare dubitem? An cuiquam dubium sit vos plurima que conatis estis emendare nescisse, multa a me edoces, tamen per importunitatem mentis emendare noluisse, et quantum in vobis est Livium vulnerasse, lacerasse, trucidasse? Illud tantum dubito an aliquid aut vos recte aut ego non recte emendarim: id quoque, quo magis irascamini ac doleatis, accipite ex fiducia sui dictum non longe a Livio abesse qui verba illius, veluti in tabula colores ac lineamenta ob vetustatem alio ve quo casu abolita, sic reponit ut veritatem representet. Utrobi igitur arrogantia est, spurcissimi delatores, penes me, qui ut necessario

[Page 371]

sic vere glorior, an penes vos, qui et falso et cum alterius vos offensione iactatis?
Aperui causas cur Antonius hominem qui accusatoriam vitam vivit ad me accusandum subornavit. Nam unde hic nisi ab Antonio didicit quid Papie, quid Florentie, quid Caiete egerim, ubi ego et Antonius sine Fatuo fuimus? Ait enim:
«Librum de summo bono te scripsisse gloriari, qui quidem a patruo tuo, docto homine, ut accepi, conditus fuit: quem tanquam

[Page 372]

fucus labores apum devorans, in alvearia tua, mutatis quibusdam verbis, furtim coniecisti, quanquam in furto deprehensus es, cum forte Antonii Lisci, qui in eo opere a patruo tuo inducebatur, nomen delere forte oblitus es.» Habeo gratias, quoquo tu istud animo facis, quod in eis libris (sunt enim tres et quidem duplo maiores quam totidem tui de felicitate) nihil reprehendis, reprehensurus si meum opus esse confiteris. Sed non tam hoc gratum est quam illud molestum quod me impium facis, qui avunculum (nam patruum nunquam habui) gloria sua fraudaverim. At quomodo istud probas? Nempe quia nomen Lisci delere oblitus sum. O me non luscum, sed cecum si istud non vidi! Sed tu, qui me non vidisse vis, nisi probes, ipse luscus fuisti et cecus! Quis igitur hoc, quo in codice, ubi, quando deprehendit? An non potuit a me Antonius Luscus induci, qui multos annos non modo post avunculum meum fato functum, sed etiam post hoc opus a me editum decessit? Quanquam quid necesse est de non deleto nomine agere? Proba ab avunculo compositum, vel manu sua vel aliquo teste qui viderit aut certe audierit, et omnia probasti. Quid ais? si ille cuius tu ne nomen quidem nosti hos libros condidit, edidit necne? Si non edidit, unde scire potuisti ab eo conditos? Si edidit, cur non exhibentur aut ubi visi sunt indicatur? Si modo credibile est editos alterius libros quenque velle suos facere. Adde quod non missem eos ex urbe Papia Romam, ubi ille et plurimos propinquos reliquisset et notissimus fuisse, qui non ut nunc fuerant inscripti De vero bono, sed De voluptate ac dimidio quam modo sunt pene breviores. Mentior nisi titulus, qui ex duabus lineis constat, cum littera initiali cumque principii parte, maiusculis litteris scriptus est manu Antonii Panormite; in quibus, ut codex ipse testis est, alias collocutores induxeram, quos postea perfidia Panormite mutavi. Sic

[Page 373]

enim incipit illa narratio: 'Nam cum venissent aliquando in curiam quam apostolicam vocant quatuor in secretariatu college Antonius Luscus, Cincius, Pogius, Melkior Scribanus, avunculus meus, quos honoris causa nomino, recepit se eo Leonardus Arretinus, tunc pro legato a Florentinis ad summum pontificem missus, statimque post Antonius Panormitanus, qui se mavult appellari Panormitam.' Itaque non intelligo nec cur videar oblitus delere nomen Antonii Lusci, quod et in illa prima editione totiens et in posteriore nunquam legitur, nec quomodo potuerim oblivisci. Nam si de scriptura mea non delevi, ergo non alterius id fuit quod remansit, sed meum; si de aliena, ergo nihil aliud de opere illo remansit, alioquin ipsum opus pro testimonio, et quidem longe locupletiore, afferres. Nunc non opus illud erit, sed litura, quod quis nisi insanus dixerit? Et quatenus nolentem me et invitum facis impium, veritatem aperiam. Avunculus meus in moribus quidem patre suo dignus, in litteris autem is fuit qui magis officio suo satisfecit quam ut condendis operibus vires sibi suppeterent, qui me sibi, ut ego ipsum mihi, semper anteponebat, et quo vivente comparationem Ciceronis et Quintiliani Florentiam ad Carolum misi, rem profecto quam ille nunquam fuisse ausurus. Itaque persuade istud Pogio, si potes, qui solus ex eius collegis superest, persuade aliis qui hominem neverunt, persuade iis qui laurentianum filium characteremque discernunt! Convicta calumnia vestra, nunc ostendam, et si satis ostendi, amborum imperitiam, ea ipsa in re in qua magnum vos creditis specimen prebere peritie. Nam que apes quis ve fucus tam stolide loquatur (si sermone quemadmodum in fabulis traditur uteretur) fucus labores apium in alvearia sua coniicere? Alvearia ne sua fuci habent? Saltem vespe me scabroni ve similem fecissetis, qui ceras imitantur

[Page 374]

et mella! Quis tantam verborum inscitiam satis digna prosequatur insectatione? fucum, et hunc unum, habere favos, habere alveum, habere alvearium, quod ex pluribus alveis constat, habere alvearia? Singuli apium reges singulis tantum alveis presunt: hic fucus, qui favos facere nescit, non unam alvum nec unum alvearium sibi fecisse contentus; si modo aut cera devorari potest, sine qua non sunt alvei, aut mei, quod devoratur ab ape vel fuco, alveis reddi solet. Verum me non fucum esse, sed apem vel ex hoc intelligere debetis quod aculeum seu spiculum habeo quo vos vere fucus et nullo aut optuso aculeo preditos fugo ac trucido. Pergamus ad reliqua.
«Quod idem de Homeri traductione effecisti. Cum enim opus illud latinum factum scisses Florentie esse, ubi iam supra centesimum annum est, et in Nicolai bibliotheca visum, paucis quibusdam permutatis (permutatis ne dicam, an perversis?), tuum efficere voluisti. Sed tibi parum est creditum, presertim cum sint qui intelligent quam minimum litterarum grecarum teneas. Crede mihi, crede inquam mihi, Laurenti, sunt iudices qui tuam insolentiam non ferunt.» Idem hoc quod superius stultitie genus. Quam credibile est me sperare tale furtum iri celatum? Ego vero nuper audivi Mediolani esse translationem Homeri ad verbum eamque barbarum, Florentie quoque esse videor

[Page 375]

audisse, sed apud Nicolaum fuisse modo primum ex te audio. Siquis tamen probare potest me aut hanc aut illam aut aliam ullam vidisse, non recuso quin pro te mendacissimus iudicer. Sed, o meri, non Homeri cultor, fac me scisse illam Florentie esse, fac in bibliotheca Nicolai vidisse, licet tu non dicas a me visam, sed scisse visam, num protinus in Campania habui? acceptam ne commodato cum huc veni? an per litteras impetratam? quorum neutrum factum esse credibile est: ut sese refellit omne mendacium. Saltem dixisses me illinc transcripsisse, quod, licet plus quam temerarius es, dicere non es ausus: illud tamen audes, pauca quedam a me immutata. Qui scis, ebrie, me immutasse, qui utrunque non contulisti, nec illam ad verbum translationem inspexisti? Et ais 'sed parum tibi est creditum': qui nam sunt qui mihi non credunt? Cur non ii furta mea palam faciunt? Addisque 'crede mihi, crede inquam

mihi': ergo clandestini isti sunt iudices et in lucem prodire
non audent coramque damnare insolentiam meam; nam si propalam
hoc faciunt et me presentem reum peragunt, quid ita,
quasi ego nesciam, ais 'crede mihi, crede inquam mihi'? Hoc
ad illos dici solet qui non credunt: at nemo est qui non se credat
accusari cum sciat.

«Cum in aliquo ceto es ubi nullus sit grecarum litterarum
doctus, continuo grecissas; ubi grecus quisquam supervenit, latinissas.
Ita fit ut inter grecos latinus sis, inter latinos grecus,
inter utrosque neuter. Peream nisi malim penitus ignorare litteras
grecas quam illarum tam parvam quam te scientiam attigisse,
quibus ne aspersus quidem es, ut si quis abs te petat quomodo
????? verbum declinetur ignores.» Bene facis, ut
ordinem retro agam, quod istud vocabulum potissimum protulisti,
quod significat 'verbero': nam et tu verbero es et ego te
libris his verbero, cuius verbi, si memini, declinationis primum
preteritum est ???????, hoc est verberavi te in primo libro, alterum
Texucpa, hoc est verberavi te in secundo, tertium ?????,
hoc est verberavi te in tertio; cetera non recordor, futurum

[Page 376]

????, idest verberabo te in reliquo. Iam vero quomodo
vere te devoves? Nam cum aut plus scias litterarum grecarum
quam ego aut minus, certe plus scire dicere non potes (non
enim optares, si scires) et alioquin, ut verum est, ita et ubique
significas te grecum non esse. Si minus, cur negas te tantum
scire velle, cum ob istud tuum, quod minus est, mihi glorieris?
Gloriari enim in greca lingua est ignorationem greci verbi alteri
obiicere. Quod cum ita sit, quid restat aliud nisi ut tua ex
lege pereas, vir pluribus mendaciis quam pilis opertus? qui me
ais grecum inter latinos esse, inter grecos latinum, inter utrosque
neutrū. Cur non potius inter utrosque utrunque? Nimirum
tunc mutus sum, nihil grece fari, nihil latine hiscere
audeo.

4.11.

XI. Vides ut falsa, ut contraria, ut incredibilia loqueris?
Eodemmodo in ceteris: etenim si inter latinos greciso,
non ausus loqui de lingua latina, quid ita proxime dicebas: «Siquis
autem in conventu aliquo sermo habetur, continuo sermonem
ad laudem tuam refers, opera tua extollens, aliena deprimens,
tua solum legenda iactitans. 'Elegantiarum, inquis, librum
composui, in quo (utar enim verbis tuis) sunt duo milia rerum
que non erant note nostris nisi ego fuissem'.» Hec ego cum
dico in conventu aliquo, num in aliquo ceto latinorum dico an
grecorum? certe latinorum, quorum tu unus es, qui, si tibi credimus,
ista audisti et, ut postea inquis, sepe audisti; et cetui
grecorum in hac provincia interesse non potui: tam et si, si quis
interveniat grecus, tu me vis obmutescere solitum. Vel tu
ipse iudica an tibi in istis verbis constes (si modo constare mendax
potest), qui ais inter latinos, inter quos semper sum, etiam
si quis grecus interveniat, et iactare me ut de lingua latina benemeritum,
nec audere nisi de grecis litteris loqui. Age vero, quo
pacto greciso? quo pacto parvam litterarum grecarum scientiam
attigi, si nec aspersus illis sum, nec primum verbum declinare
scio? Certe qui hoc declinare nescit illisque litteris aspersus

[Page 377]

non est, huius non parva scientia eius lingue, sed nulla dicenda
est. Quid, insane, ais eadem et negas et per invidiam
malvolentiamque contraria te loqui non sentis? contraria quidem
et tamen ex utraque parte mendacia. Nam nec ignoro
grecas litteras neque illarum ita parum peritus sum, quod probant
cum alie translationes mee, tum duodecim libri de collatione
Novi Testamenti. Rursus, neque inter grecos, ut tuo vocabulo
utar, latinisso, cum hic nulli greci sint, nisi unus aut alter,
neque inter latinos me ostento, ut testes sunt libri mei, in quibus
sane modestus, sicut in omni vita, cum nunquam me aliis, ne

inferioribus quidem, preponam, nihil cuiquam aduerser. Interdum
in colloquiis adversus invidos atque optrectatores, quales
vos estis, plusculum mihi vendico. Nam si dixi 'duo milia
rerum cognitione dignarum', sive, ut tu calumniaris 'ceteris
ignotarum', non tamen scripsi, quod fecit etiam sine reprehensione
Plinius, viginti milia rerum cura dignarum in ipso opere
scribens se collegisse, que mihi cura in rebus tenuioribus non
fuit. 'Pauperis est numerare pecus', qualis tua fuit enumerantis
aliena peccata: nam et dixisti regi et in libris notasti
numerum erratorum meorum, quod ego in te nec velim facere
(est enim persona mea indignum), nec possim, quia tua sunt
innumerabilia peccata. Nec tamen inficias eo, ut vere, sic fortiter
dixisse me, nonnulla esse ibi ceteris ignota. Quid enim
contra vos facerem malignos? et qui me ab aliis laudari non sinitis
quemque non vultis ulla in parte equari magnis nostre

[Page 378]

etatis hominibus, quasi ego nanus sim, illi de genere giganteo!
Nam inquis: «Ut neminem putas preter te unum doctum
esse, Guarinum atque Arretinum, duo lumina et ornamenta
Italie, te ipso inferiores ducens. Audivi te sepe dicentem, cum
eorum auctoritatem afferrem, 'Quem tu mihi Guarinum, quem
tu mihi Leonardum commemoras? Namque utrumvis eorum
mihi preferri indignor ac moleste fero: et ego quoque litteras
grecas ac latinas scio et cum utroque sepe de gravissimis rebus
disputavi atque contendi, qua in re illi mihi nonnunquam cessere'.»
Ut ita sit, pessime delatorum, qui omnia in maius
extollis, cur non cernis te ubique mendacem deprehendi dum
repugnantia loqueris? Nam, ut taceam non esse verisimile me
dicere 'quem tu mihi Guarinum, quem tu mihi Leonardum
commemoras?', quasi illos ignorem, et fateri me cum eisdem
sepenumero disputasse, an si me faciam non minus doctum
Guarino Leonardo ve, continuo me unum facio doctum, ceteros
indoctos? Que ista consequentia est tam scita, scytha nequissime?
Verum non soleo me illis preponere (opera enim, non
verba probationem faciunt), sed interdum eos mihi, immo rationi,
preponi non fero. Adversus quos tantum mihi tribuo
quantum postulat asserende patrocinium veritatis. Nolo in disputando,
cum ego veteres pro me afferro, tu vel stimulante livore
vel in tui velamentum erroris, opponas: 'hoc non sentit
Guarinus, hoccine non animadvertisset Leonardus'. Quanquam
semper a me his viris honor est habitus, tum loquendo
tum scribendo, sicut ipsi vicissim me semper non mediocri laude
affecerunt atque, ut fatear, amplissimis verbis ornarunt, ex quo
verisimilius est hoc me beneficium tueri voluisse quam perdere.
Nam te mentiri dixisse me sepe disputasse cum illis et reliqua

[Page 379]

vel hinc coargui potest quod cum Guarino nunquam nisi semel
sermonem contuli, eo biduo quo Ferrarie fui cum illac, contrahende
cum homine doctissimo amicicie gratia, transissem.
Sed nimirum de his mentionem habere voluisti ut tibi ad
Antonium Panormitam nominandum faceres gradum, aut ipse
potius sub tua persona suam tragediam decantaret, inquiens:
«Antonium Panormitam singularem poetam et, quo magis vituperandus
es, optime de te meritum, ab rege atque adeo ab omnibus
prestantissimum iudicatum et in magno honore habitum
irrides ac despicias.» Ego vero non tam irrideo atque despicio
quam detestor atque abominor, qui quotidie in nequitia proficit.
Nam quod ais de me optime esse meritum, nullo alio potes argumento
probare quam quod dum amici essemus solebat predicare
se quidem ceteros omnes docuisse, a me autem esse edoctum,
quodque cum publice conductus rhetoramicam legerem,
amicicie potius quam discendi gratia (sic enim interpretor) annum
et eo amplius quoad fuimus amici meus fuit auditor, licet
me plus quindecim annis sit natu grandior. Verum hec omnia
sua in me beneficia nova proditione fedavit, prestrictus fulgore
fame qua ob opus de vero bono per hominum ora celebrabar:
quam iniuriam aliis postea cumulavit et cumulat. Etiam
de te querimoniam affers, inquiens: «Me vero, ut etiam aliquid
de me dicam, qui nullam tibi iniuriam feceram, quod sciam,

conviciis insectaris, minutissimum appellans inter minutissimos.
Fateor me quidem corpore minuto esse, te vero ingenio animoque
et cerebro diminuto.» 'Ut de me etiam, inquis, aliquid

[Page 380]

dicam'. O vere cerebro comminuto! Totam hanc quatuor invectivarum,
quasi totidem ventorum, procellam propter hanc verborum
contumeliam excitasti? Quam contumeliam tu convicia
vocas, ego probavi lenissimam propulsionem esse atrocissime
iniurie. 'Ut etiam aliquid de me dicam': velis nolis, nullam tibi
factam esse, nisi hanc, licet tua perfidia expressam, confiteris
iniuriam. Nam cur ceteras non exequaris? cur omittis, ne saltem
videaris iniuste mihi tantopere irasci? 'Ut etiam aliquid de me
dicam':

hoc aliquid nihil est

ut ille apud Terentium inquit, nec aliud quam indicium te pro
aliis, non pro te defendendo, in aciem descendisse. 'Ut etiam
aliquid de me dicam': nimurum hoc gravissimum debet esse de
quo solo tacere nequisti; atqui id ita leve est ut te homine levissimo
prope sit levius. Quare cum tres sint in iure civili capit
diminutiones, quartam (si per iurisconsultos licet) addamus,
que sit plus quam maxima, appellemusque cerebrosam capit
diminutionem propter Bartholomeum Fatum, qui, ut Calpurnia
improbissima femina, causam dedit.

«Repastinationem dialectice et philosophie edidi, que
laurentiana appellatur, que anteponenda est omnium dialecticorum
et philosophorum scriptis.» Si istuc ego scripsi, quin locum
profers? Dixisse autem, quo me teste convinces? Idem de
ceteris locis ubi nullo testimonio niteris dictum sit.

[Page 381]

«Sed dic, queso, unde istas disciplinas didicisti? Num ab
iis quos damnas an abs te ipso? Si ab iis quos vituperas, at tibi
turpe est eos contemnere a quibus didiceris; si vero abs te ipso
et sine preceptore, ut ipse predicas, scientia ista tua nulla est.»
Merito tu, merito me ut parum dialecticum insectaris, qui ipse
tam dialectice colligis. O patronum dialecticorum philosophorumque
singularem! Quis sutor piscator ve unquam ita ruditer
interrogavit, an quis disciplinam quam tradit ab eo quem
vituperat ac damnat acceperit? aut a quo preceptore didicerit
is quem predicare ait se non habuisse preceptorem? Quis item
piscator sutor ve diceret meas disciplinas esse laudandas quippe
quas didicerim ex iis quos contemnere turpe sit et mox disciplinas
ipsas nullas esse? Iam vero que consequentia: quicquid
scientie ab aliis non accepi, id protinus falsum ac nihil
esse? Ergo qui ex se ipsis tot scientiarum precepta pepererunt,
ii omnes aut nihil aut falsa preceperunt. Nisi vis illos fuisse homines,
me simiam esse. Que item consequentia: quia neque ex
iis quos damno neque ex me ipso didici, non esse aliud unde
potuerim discere, hoc est nihil esse tertium? Certe maximam
partem rerum que illic a me traduntur ex iis scriptoribus didici,
qui multo sane plures sunt, quos probo et laudo. Sequitur:
«Librum de summo bono conscripsi, quo nihil est scriptum
hac nostra tempestate illustrius. Alia insuper multa effeci, que
summo usui sunt non solum medicis, sed etiam doctis hominibus. -
O elegantissimum elegantiarum scriptorem, qui cum
ipse nec dicere nec scribere eleganter scias, tamen de elegantia
tradere precepta audeas! Repastinationem logice et philosophie
condidisti, nomen mehercule operi conveniens! tu enim, cum
arator magis quam orator sis, logicam identidem ut vitem ripastinari
putasti: in qua quidem tot peccata abs te commissa audio
ut plura prope errata insint; quanquam sique sunt que laude digna

[Page 382]

videantur, aliena sunt omnia. Librum de summo bono te
scripsisse gloriaris.» Vel hic locus documento est quam discepta
sit, quam dissipata, quam delira oratio, repetens eadem
et inculcans et interiecto spatio que texuit retexens, ut eam,
quemadmodum est apud Persum:

Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.
At aratorem me vocatis. Hic iocus est Panormite, qui scripsit
in Antonium Raudensem:

Non erit orator Rodus, arator erit
mutuatus ex meo quodam carmine, sicut ego Ciceronis dictum,
quod carmen neminem vero nomine prestringit, argutie tantum
causa compositum:
Non est cur doleas quod que vis, Eole, habere
cuncta nequis: cuncta nam quis habere potest?
Non potes esse bonus pictor: potes, Eole, pistor;
non eris orator magnus? arator eris;
civili vel pontificum non, Eole, iuri
sufficis? at iuri sufficies patine
et insequentes deinceps versus. Ego logicam quasi vineam
repastinari dixi. Vos quid 'pastinare' sit ignorare videmini.

[Page 383]

Certe hoc loco haud probe mentionem vitis fecistis: cum bobus
et arvis rationem habet arator, non cum vinetis atque arbustis,
Cereremque magis quam Liberum vestrum colit. Taceo quod
superius docui aratoris, non oratoris esse 'identidem' pro 'itidem'
ponere. Sed ut ad tua, Bartholomee, obiecta respondeam,
illas de me predicationes invidia tua te cogit dicere ex
meo, non ex aliorum ore solere prodire. Verum ex quo audis
in illis de dialectica libris tot errata inesse? Quis est qui me, vel
in uno, glorietur a se convictum? 'En gloriaris, inquier, ne accusatus
quidem isto vitio temperare potes'. Ita sane. Sic alibi
soleo, vestro iudicio, ex iactantia laborare. Tua perversitas tuorumque
similium imponit mihi me, ut Eschines ceterique invidi
Demostheni se, laudandi necessitatem. Neque vero ita effuse
me laudo ut tu criminaris. Attamen, et si rumparis, attingam
unum laudis mee testimonium, quale Tito Livio contigit,
ad quem ob admirationem ingenii visendum nobiles quidam
ex ultimis Galbarum et Hispaniarum finibus, si Hieronymo
credimus, se contulerunt (nam Plinius filius, in ea epistola unde
nonnulla in suam videtur transtulisse Hieronymus, Gaditanum
quendam dicit fuisse): siquidem ex urbe Ferraria perdoctus
quidam Neapolim (res est minime obscura) non regionis ex
omni orbe terrarum amenissime, non urbis celeberrime, non
regis illustrissimi, sed visendi et alloquendi Laurentii gratia
venit, cum propter alia opera, tum vero propter hos ipsos dialectice
et philosophie libros.

4.12.

XII. «Et tamen, quanquam ita sit, tanta est in te pudoris
Inopia ut, grecorum veterum more, de quacunque materia et
Scientia te in publico disputare velle alias proposueris.» An
Hoc idem est et illud in quo se iactat Panormita, nullum genus

[Page 384]

esse libidinis quod ignoret? Ceterum ea que tu ex tua consuetudine
tuaque natura mentiris fuisse tam multa, non iactantie sed
retundende iniquorum meorum impudentie proposuisse me
testis est libellus meus ad summum pontificem scriptus, qui a
plurimis transcribitur. Etiam facetus esse voluisti luvenalis
versibus:
ede quid illum
esse putas, quemvis hominem secum attulit ad nos:
grammaticus, rhetor, geometra, pictor, alipites,
augur, schoenobates, medicus, magus, omnia novit.
His versibus contra plurium artium peritos in sue imperitie
velamentum Antonius uti solet, hoc solum de se ausus
dicere 'poeta sum', qui qualis poeta sit hinc datur intelligi quod
versum poete male recitat in verbo 'geometra' spondeo in trocheum
mutato. Sequitur: «Quid illa tua in disputando pertinacissima
contentio, que tanta est ut nullis unquam rationibus
te vinci sinas, nunquam alicui cedas, omnes mortales te uno
virtute et sapientia inferiores ducens?» Crederent tibi fortassis
aliqui me in disputando pertinacem esse, nisi te hac ipsa in
re adversus me probasses fatuum esse. Pertinax in disputando
ego sum: si adversus te me talem vis esse, non est pertinacia
adversus fatuos, sed fatuorum, qui, cum rationis sint inopes,
non possunt a susceptis persuasionibus ulla ratione revocari;
sin adversus alios, ipsi nihil tale obiiciunt. Certe rex, iisdem
illis diebus (testor Ioannem Olzinam primum secretariorum qui
mihi pro leto quodam nuntio rettulit) apud multos hanc mihi
laudem dedit me non minus leniter, placide, moderate quam
docte ornateque disputare. Quod, ut passim glorier, non magis a
moribus habeo quam a natura, ut ex ipsa mea et oris et sermonis
verecundia (quod secus in vobis est) appareret. Quid enim

[Page 385]

vultu et sermone Panormite impudentius? Quid tuo durius?
Sicut ex ipsa quoque voce: nam quantum tua est obsoleta et
amara, Panormite ingrata et sordida, tantum mea, ut alii mihi
narrant, dulcis, mansueta, vocalis. Tu, tu semper es contentiosus
et pertinax, ut ostendi, tu cerebrosus inopsque rationis et
mentis. An tu compos mentis es qui, de pertinacia locutus, tanquam
diversam rem subiungis: «Quin etiam si intelligis
alienam sententiam meliorem esse quam tuam, tamen ea est
pervicacia tua ut malis in opinione tua impudentissime persistere
quam errorem tuum atque inscitiam confiteri»? Facis ut
amicus quidam tuus solet, qui in iurgio statim ea crimina quorum
sibi conscientis est alteri obiicit, ne postea sibi ab illo obiecta
credibilia videantur. At quam belle subdis verba Ciceronis:
«Quod quidem a sapientia dissidet plurimum!» quasi quis possit
in hoc propter similitudinem decipi, quod Cicero de vitio dixit
imitante virtutem, Fatue: qui eo usque vesanie progrederis
ut ne a levissimis quidem obiiciendis temperes, inquiens: «In
ede sacra libellum grece scriptum legis spectante populo, ut
vulgo grece doctus esse videaris.» Ita opinor, ritu sacerdotis,
in omnium conspectu lego! Vide quam spectante populo,
cum ne tu quidem inspexeris: nam latine quoque scriptus est.
Quid, non idem facit in eodem templo communis amicus Michael
Palma, preceptor panormitanus? Quid, non, ex eadem insula,
vir nobilis Ludovicus Saccanus in eodem libro? Est autem

[Page 386]

psalterium, quod nemo latinum sine mediocri saltem grecarum

litterarum peritia intelligat. Que causa mihi est ut dum oro sciam quod loquo: atque utinam hebream linguam plane nossem ut secundum hebraicam et veritatem et vocem psalmos edicerem et quidem in edibus sacris! Nam ubi commodius? Panormita melius, qui nunquam ad eucharistiam movere precationibus labra a diligentibus notatus est raroque caput adaperire, quanquam, si fas est, in hoc accipienda excusatio ne calvitium puellis, quarum se amatorem facit, ostendat, quarumque, siquid apud se orat, hoc solum deos deasque et precipue Venerem orat, ut lepidissimam quanquam et, ut eius verbo utar, maxime mollicellam convertat in pusionem, quod apud poetas Telethusa de filia nuptiarum die dicitur impetrasse. Quid ni credam hoc eum orare?
qui ait hoc posse contingere, multas enim pueras in mares esse mutatas; qualis nuper Caiete illa vicina eius, quam et ipse novi, que post duodecimum annum quam nupserat rediit in mare.
Talem uxorem, siqua fides iuranti est, longe habere mallet quam quamlibet aliam. Atque post multa rediis ad impudentiam inquiens: «Quanta vero impudentia sis, quamvis ex superioribus satis declaratum sit atque omnibus notum, tamen hoc unum abunde testatur quod, quamvis sepius apud regem et alias plerosque clarissimos viros tuorum puerilium circa latitudinem errorum convictus fueris, tamen non erubescis quotidie eodem reverti et de iis que leguntur disputare cum magno astantium risu, quorum alias te ut imprudentem, alias ut impudentem, alias ut temerarium et insanum increpat, feminine impudice persimilis que, amissa semel pudicitia, ore, ut dici solet, pro clipeo utitur. Nec mirum:
nam quis peccandi finem posuit sibi, quando recepit eiectum semel attrita de fronte pudorem?

[Page 387]

ut ait Satyrus noster.» Hec tibi dictavit Panormita, nam tu vix quater illi auditorio affuisti: hec tu Calliopius in publico recenses que domi poeta composuit. Sed quis convictus sit imperitie et quantum rex mihi cum ceteris tribuat hoc tempus indicio est, cum nullus sit dies quo non rex, inspectante procerum cetu, dictante me, scribat in libro illo de vocabulis, quod comprehensorium vocant, aliquam verbi significationem, interdum deleat aliquam ab alio male descriptam, vel emendet, vel illustret, quod illi adeo iocundum est ut nolit ab alio ea quam a se scribi cum doceo. Et cum hec ita sint, tamen omnem pectoris tui nauseam in me nausearis et evomis facisque me impudice feminine simillimum, qui utinam minus quam sum verecundus essem. Etiam usque ad gestum corporis me insectaris, inquiens: «Sed desinam hoc loco plura de vitiis tuis dicere, que quidem ipse corporis motus clare indicat: arrecta cervix, lingua loquax, gesticulatrix manus, gressus concitatior.» Nunquid erectam habere cervicem motus est corporis, aut linguam loquacem? Quando unquam sapere disces, Fатue? Ideoque, ut a Fatuo obiecta, refellere supersedeo (et si credo ita et manus et gressus et totius corporis mei motum habere in se virilem dignitatem, ut tu quandam ex omni parte prefers libertitatem): satis est quod obiicere non potes illos Panormite gestus (si gestus vocari debent), motum quendam lingue qui impuritatem mentis indicat, etiam scorto pudendum aut lenoni, et insannationem ut deformissimam ita creberrimam, qua nescio quod fastidium apud eos quibuscum loquitur parit, ut semper intra nares, quod eas intersepiat, aliquid sordis habere videatur. Ex aliisquoque conflare mihi conaris invidiam, inquiens:

4.13.

XIII. «Priscianum, optimum grammaticae auctorem, nescisse grammaticam arguis.» Ita in ceteris facis: ubi nactus es aliquam

[Page 388]

reprehensionis ansam, totum tibi vas cessisse existimas. Nam quia fateor illum aliquando errasse, interpretaris a me dictum eum grammaticam ignorasse. At quomodo probas? «Cuius plus quam ducentos errores correxisse gloriari.» Si istud vis me scripsisse, palam mentiris; sin dixisse, mentiris quidem, sed minus. Verum esto ut dicis, et si ego non numeravi illius errores. Num, si quando hoc vel apud amicos familiariter, vel apud iniquos irate dixi, pro ita magno crimine habendum est cum illum scriptis reprehenderim? An verear victorie mee facere mentionem si totiens ita robustum itaque exercitatum athletam quam generose invadere ausus sum, tam strenue fortiterque prostravi? Itaque non quod glorior, sed quod falso, si falso glorior, criminare. Et tamen, o vacuum caput, quanto aliud est dicere nonnullis in locis a me reprehensum quam grammaticam ignorasse! Non est meum tam inconsiderate, tam furiose loqui, sed tuum, qui mihi ob pauca, ut putas, in me peccata istud obiicis, inquiens: «Cum tu ipse, ut paulo ante ostendi, grammaticam ignores.» Non pudet te, fera bestia, qui barbarior fores nisi legisses Elegantias meas, ignarum me grammaticae appellare. Et hoc adversus Elegantias. Quod sequitur adversus opus nondum editum, prime nostre controversie seminarium. «Ciceronem ex cuius cerebro eloquentia nata dici potest, ut ex Iovis cerebro Minervam illam aiunt, in traditione preceptorum artis multos errores commisisse predicas: quin etiam in eum impudenter ausus es invehi.» Voluisti mutuari verba que de Platone et Aristotele velut parente philosophie dicuntur. Feruntur quidem ex singularium virorum capitibus sic nate esse scientie, ut Minerva auctor artium nata ex capite Iovis. Fertur item vulgo, ut Bacchus ad femur Iovis aliquandiu alligatus coaluit, sic Bacchum tuum ad Panormite femur aliquandiu coaluisse. Scis quid loquor. Verum, ut tibi respondeam, ubinam Ciceroni detraxi? An quod in libello quem tibi ostendi, nondum edito, ubi scripsi 'parchitus', de loco quodam rhetorice disputavi?

[Page 389]

Cur ubique non modo in maius extollis omnia, sed etiam mentiris? Ego in eo opere volui probare Ciceronem, nondum senem, in proemio quarti libri ad Herennium, quod ab omnibus grecis rhetoribus dissidet, Isocrate, Aristotele, Theophrasto ceterisque, a sequoqua sene dissidere, qui in reliquis artis rhetorice libris nec facit idem, nec precipit, preterea a latinis universis et qui ante ipsum et qui postea fuerunt. In quo modestiam meam licet videoas, vir immodestissime, quod non mea persona, sed illorum pro ipsorum causa locutus sum. Alterum libellum quem per eosdem dies tibi ostendi differs et, ut es incompositus, grecos interponis ad dialecticamque revolveris. Inquis enim: «Aristotelem quoque petulantissimis verbis ledis, quem dialectice nescium fuisse dicis, quam quidem scientiam ante omnes quas tenuit et de quibus tradidit scivisse dicitur.» Cur non igitur, o onager, aliquid ab eo dialectice degustasti? Quomodo tenuit ille scientiam quam non didicit? Ea enim tenere dicimur que sumus edocti, Aristoteles autem scientiam hanc docuit, non didicit. Et tu putas eum abs te laudari, licet non ignoro quis te ista verba docuit. Et me insimulas, tanquam Aristotelem dixerim huius artis ignarum, ut quem ei preponam. Ubi ego istuc aut scripsi aut dixi? Quod sicubi ab eo dissentio (quanquam a Latinis magis dissentio, cum nostra a Grecis plurimum distent), id protinus perinde erit ac si dixisset scientie huius ignarum? An aliquid mihi post illum scribere non liceat? cum tot libri vel nunc ab ineruditissimis scriptitentur vel a veteribus eruditissime scripti sint, precipue grecis: inter quos Chrysippus, quem Stoicorum porticum fulcire dicebant (nam nunc non extat), tam enucleate conscripsit ut plerique negent, si Iuppiter ceterique

dii in celo dialectice loquerentur, eos aliter quam ex Chrysippea dialectica locuturos. Redis ad latinos et ad eum quem modo dixi libellum: «Nec Livioquoque pepercisti, eum nescio quam

[Page 390]

historiam de Tarquiniis non satis scisse deblaterans.» O
rabiosam caniculam, nusquam an verum loquar consideras, sed
id demum quod ardua aggrediar criminari: quo turpius est te
bonas, ut significas, causas, non rationibus, sed conviciis defendere?
An videtur tibi fieri non posse ut in historia Livius
lapsus sit? Tacebo de ceteris; audi quid in Aurelianii vita scribat
Flavius Vopiscus: ‘Neminem scriptorum quantum ad historiam
pertinet non aliquid esse mentitum. Proderem in quo Livius, in
quo Salustius, in quo Cornelius, in quo denique Trogus manifestis
testibus convinceretur.’ At forte mentiri voluerunt. Id
ego non puto: ibi certe mentiri Livius noluit ubi notatur a Servio
dicente: ‘Nam quod Livius dicit de Albano rege Tiberino
Thybrim dictum non procedit, ideo quia etiam ante Albam
Thybris dictus invenitur.’ Cur non idem mihi quod Servio
licet? Non debes igitur, vir deterre me, quod mendacium in Livio
deprehendi audaciam carpere, sed ingenium admirari. Ego
quem debui honorem habens ut gravi, ut eloquenti, ut prudenti
historico, colligo non habere exitum eius suppationem ut Superbus
Tarquiuius Prisci filius fuerit. Ac preter inexpugnabilia
que illic attuli argumenta, hoc testimonium, cuius mihi
illa scribenti non venit in mentem, adiicio, quod et illic adiiciam,
Lucium Florum, qui Titi Livii abbreviator putatur, simpliciter
tradidisse Superbum Prisci nepotem, que multorum ante Livium
fuit opinio.
«Boetiumquoque, eruditissimum virum, mordere ausus
es, illum de predestinatione male sensisse arguens.» Laudes

[Page 391]

meas mutas in crimina. Non est mordere contraria scribere,
sed invectivas, ut tu facis. Quisquis enim post alios scribit
necessae est aliquo in loco dissideat ab illis, alioquin non esset
causa cur scriberet. Itaque nihil interest an contraria Boetio
disseruerim, sed an veriora. Quod si per te ipsum dignoscere
non potes, ab iis querito qui libellum meum, etiam si diffindaris,
litteris aureis scribendum predican, nec auribus meis
blandiuntur, quippe cum sint ex eis qui me nec colloquio, nec
epistolis, nec aspectu notum habeant. Cogis, improbe calumniator,
me de me ipso predicare, ut Eschines Demosthenem, nulla
alioquin de laudibus suis verba facturum.
«Nec a iurisconsultis abstinuisti». Elegantie mee testimonio
sunt eos quantopere laudarim: in cuius operis calce, cum
viderem inter hos quibusdam in verbis finiendis non convenire,
aut eorum aliquem ab alio auctore discrepare, de hoc sententiam
tuli. Magnorum enim virorum est, qui plurima viderunt et
acriter examinarunt, de sui similibus atque adeo maioribus pronuntiare
ut nihil apud eos plus polleat quam veritas et officium.
«Bartolum virum sapientissimum existimatum incessens
et ius civile ab eo male interpretatum asserens; in quem
cum invectivam quandam Papie edidisses». Invectivam
appellas? Quis fere nisi adversus vivos inimicosque invehitur?
Nulla invectiva moribus parcit: quid ego in mores Bartoli dixi
aut quod illius mihi odium? cuius studiosissimum scirem fuisse

[Page 392]

parentem meum utriusque iuris antistitem et consistorii apostolici
advocatum. Non est invehi si non patiar eum cum
contumelia aliorum nimis effuse laudari, quale quiddam tunc
abs te fit, qui tanquam Socratem aut Censorium Catonem vocas
hominum iudicio sapientissimum. Et enim illi, in quorum
reprehensionem scripsi, Ciceroni, ut loquaci et verborum non
rerum amatori, Bartolum preponebant eumque miris laudibus
ferebant: quos ut confutarem, libello ad amicissimum ac facundissimum
iurisconsultum Catonem Saccum scripto, probavi
Bartolum longe abesse a facultate veterum iurisconsultorum,

quod nequaquam iis doctrinis que humanitatem informarent,
ut illi, fuisse exultus. Quem libellum cum Ferrariam ad
Guarinum missem, ille mihi verbis quorum superius memini
rescripsit: 'Laurenti laurea et Valla vallari corona ornandus es'
et versus virgiliano
manibus meis Mezentius hic est.
Et tibi meo Bartolo, non Bartholomeo, mirum videtur si
Bartolum attingere audeam, qui iuris conditores (si tibi credimus)
invadam. Quid enim criminis est siquid tale dicam nec
Bartolum, nec Accursium ceterosque iurisperitos intelligere
vel verbum aliquod, utputa 'quodlibet', quod ipsi accipiunt
pro 'ununquodque', cum sit 'ununquodvis', ut in loco Institutionum
de heredibus instituendis: 'Si plures conditiones institutioni
ascripte sunt, si quidem coniunctim fuerint, utputa si
illud et illud fuerit factum, omnibus parendum est, si vero separatim,
veluti si illud aut illud factum erit, cuilibet optemperare

[Page 393]

satis est'; vel totam sententiam, licet et hoc verborum
ignoratione contingat, ut edictum illud pretoris: 'Glandem que
ex illius agro in tuum cadit, quominus illi tertio quoque die
legere auferre liceat, vim fieri veto. Glandis nomine omnes
fructus continentur.' Que sententia hec est ut due partes sint
illius in cuius agrum glans cadit seu fructus pendet, tertia illius
ex cuius agro; est enim 'quoque' nomen, non coniunctio, ut in
Elegantiis latius. Et tu sperabas me damnatum iri quod
Bartolum impugnassem. En plura addidi mea sponte eius
generis crimina: hec apud recta iudicia laudem merentur, non
vituperationem. Quo magis stultum est quod ais: «Ab iis
qui legibus operam dabant disceptus fuisses, nisi te ex templo
quodam elapsum et mori velle clamitantem Antonius Panormita,
eius intercursu, ex illorum manibus eripuisset.» Antoni
miles gloriose, qui tam impudenter te iactas assidue, ego hoc
feci? Ego illud dixi? An non mihi et Catoni tunc inimicus eras
et ad nostrum usque discessum fuisti? Quod si istud verum
esset, redissemus in gratiam. An tu maioris quam ego
auctoritatis, immo ullius? An non illa certatio fuit rectori iuri
studentium cum rectore philosophantium, quod egre ferret illum
cum omni caterva philosophorum complectentem me, quasi
posthac suarum partium futurum quod contra diversam factionem
scripsisse, et ipsis insultantem? Nam tu quid ibi facere
poteras, nisi dolere tanti me fieri, ut qui hostem philosophorum
me appellarent, ii, iam nulla de me accepta satisfactione, quod
ad se transissem triunphantem, alteri sic egre ferrent? Nebulo,
sedata illa rixa, quid amplius secutum est nisi alterius partis
tacita indignatio, alterius aperta letitia? At quam venuste,
cum hoc dicis, coheret oratio! Nam quisquis elapsus ex loco est,
is eripi qui potest? aut quomodo in rerum natura cadit quenque

[Page 394]

clamari se mori velle? Tu, tu, ne morereris clamitasti, cum propinquus
tuus stricto te mucrone sequeretur, in spurcissimo et
impiissimo scelere deprehensum, prout in carmine in te composito
narratur!
«Augustinum sive Hieronymum, quibus nihil habet religio
nostra prestantius, carpis, nec verbis modo, sed etiam
scriptis, erratum a se dictans.» Satis plane fateris accusare te
que ignoras, dum ais 'Augustinum sive Hieronymum', nimirum
eodem errore eademque stultitia qua pro Augustino, apud me,
Hieronymum africanum aiebas et barbarum. Ignoras utrum
carpserim et quo audes ore carptum a me affirmare? Et cum
alterutrum carptum signifies, tanquam in utrunque id fecerim
accusas in meque refundis quod tuum est, sicut ostendi.

4.14.

XIV. «Aurum geris, omni verecundia abiecta. Cur? An quia eques? Dic a quo principe aut a quo rege in equestrem ordinem relatus sis. An quia iuris civilis aut pontificii aut phisice doctor? Ede ubi doctoratus insignia acceperis, a quo collegio, quo tempore, quibus presentibus.» O impudentiam, Panormita, tuam singularem, qui tuam culpam transfundis in alios! Ais te iuris civilis doctorem et ita in litteris scribis, qui nihil ex iure civili nosti. Sed a quo collegio adoptatus es doctor? An a senensi? At ibi unum composuisti Hermaphroditi librum, non ius civile didicisti. An a bononiensi? At illic composuisti alterum posteaque

[Page 395]

cum magna pompa per imaginem tuam concrematus es. An a romano? At ibi nisi pro puerorum mangone te norunt. An a papiensi? At aderam cum longe abesses ab ista spe doctoratus. Quo tempore a Guarnerio Castellione, quem dignitatis gratia nomino, cum se pro legato ducali Parmam ad Sigismundum imperatorem conferret, impetrasti ut te secum duceret et rescriptum optineret quo poeta declarareris, quasi sic poete fieri possint, quasi ulla iuventur poete prerogativa, quasi sic iuris doctor sis effectus. Generosius Marianus Senensis circulator qui ab eodem Sigismundo, non clanculum, non per rescripta, ut vestris verbis utar, in equestrem ordinem relatus est. Cur ergo tu, Panormita, aurum gestas? Cur non postquam istam dignitatem, siqua erat, amisisti, utpote bis publice concrematus et ab rege ob crimen peculatus a collegio Summariorum summotus, aurum non deponis? nisi quia ius gestandi non amisisti quod nullum habebas. Et postea a me queris cur ipse gestem cui, si cetera deessent, certe collata sunt ab rege nostro omnium artium liberalium ac utriusque iuris ornamenta litteris aureo sigillo munitis, et si scio gestandi auri usum nulla auctoritate introductum.
«An vero quia olim Caiete in convivio cum inusitate magnitudinis peregrino ariete, clipeo pugnans, certasti? Honesta profecto ratio cur auri usum tibi licenter assumere debueris.

[Page 396]

Est enim facinus viro gravi et eruditio dignum. Hoc idem sepe factitavit Hercules.» Non pudet te ineptiarum, levissime Panormita? Quis hoc novit? Quis audivit Caiete? Quod quia obscurum est referam. Et licet res minima sit et quam ridens preterire possem, tamen deus nullius me voti faciat compotem semperque calumniantibus obnoxium reddat, nisi rem gestam recenseam. Ante octo hinc annos constitueramus aliquot viri, in ortis Caiete suburbanis, propter anni tempus, septimo quoque die qui dominicus erat, in orbem convivium struere, Nicolaus Specialis, tunc illius ore preses, qui Sicilie quatuordecim annos pro rege prefuerat, Iacobus Amigo, questor seu thesaurarius regius, Antonius Moncada, comitis Calatenoscete frater, Petrus Marinus, qui nuper strategus Salernitanus fuisset, Petrus Castello, iuris pontificii consultus et Llerdensis archidiaconus, Moyses iudeus, ex urbe Messana regius medicus, ego et Antonius Panormita. Primo convivio eodemque ultimo (nam adventus infantis Petri rem interruptit), secundum cenam, cum famuli ludere cepissent cum ariete qui presidis erat quique eum passim comitabatur, preses ipse, ut gravis et etate iam affecta maturior, ita comis et post opiparem cenam hilarior, cepit hortari convictores, nunc universos, nunc singulos, ut intercurrentem et ipsi arietem scuto exciperent et, cum vehementius ut ignavos obiurgaret, sicut erant vino leti, cum risu a primo quoque scuto capit. Aries, ut pretendi scutum cernit, retrogradum, ut moris est quo validior incurset, sese recipit. Hactenus

[Page 397]

illis sufficiebat audacia irruentemque arietem, relicto scuto, devitabant;

et cum a preside reprehenderentur et plerique animarent
aut convicium facerent omniaque cachinnis ac vocibus
streperent, scutum resumebant, sed semper sui similes erant.
Solus Antonius et Moyses, duo iudei, non propter ignaviam,
sed ne infames, ut reor, ex iure civili vocarentur si ad bestias
pugnarent, scutum non attigerunt, et si non deerat qui cavillans
hos duos Moysem et Aaron fratres appellaret. Hic
quid me facere convenit, qui preter unum Antonium Moncadam
essem omnium natu minimus? An hortante preside et se
iureiurando ab eo ludicro cessaturum negante, si per etatem
liceret, aliisque incitantibus, certamen detrectarem et tertius numerarer
hebreus? Sumpsi igitur scutum, citius volens quantumvis
incursum ac casum quam illam contumeliam pati, excepique
impetum belue, quandoquidem ad hoc cogebat, ita strenue ut
me aries loco non moverit. Iterum iubentibus atque hortantibus
omnibus, ita excepti ut subducto ad vehementiam ictus sinistro
crure, pronus in arietem procubuerim ac surgens pre pudore,
inter tibias meas, quas cervicetenuis intraverat, herentem per
aversa terga sustulerim resupinatumque proiecerim magis quam
deposituerim. Ideoque Antonius, alludens Terentii verbis,
inquit: 'Idem factitavit Hercules', quia sic ego arietem ut ille
aprum erimanthium sustulisse. Hoc est certamen meum quo
ad bestias pugnavi, quod minus turpe est mihi subisse quam
aut ceteris deseruisse aut accusatori meo refugisse. Et certe
preter reliquos convictores laudavit me sapiens ille vir et generositatis
et facilitatis. Habes nunc, Fatue, fabulam planius a me
veriusque expositam quam a Panormita audisti, quam tu quatuor
verbis prestrinxeras.

«Quem grammatici contemnunt». Ita prorsus, ut Guarinus

[Page 398]

et Aurispa testantur Elegantieque mee que per omnes
provincias circumferuntur.
«Oratores irrident». Et ideo iidem quos nominavi Leonardusque
ac ceteri omnes per irrisioinem tantopere me laudarunt
ac laudant.
«Philosophi floccifaciunt». Hoc si probas quod in me
latrant ut canes in nocturnum lupum: nam ipsorum oves qua
non opinantur aggredior, et si eorum optimi quique non lupum,
sed inertium canum exercitorem me vocant sentiuntque; si modo
lupus sum et non leo. Et tu ais me ab illis floccifieri, quasi
canes lupum leonem ve floccifaciant. An in te non leo esse videor
quem, ut latratorem magis quam robustum canem, quod
in saltu me insecurus es, lacero, ne dicam devoro? Caninam
enim carnem leo fastidit ac floccifacit.
«Theologi damnant». Ego in quovis theologorum cetu,
ut parcissime dicam, ex numero videor illorum, cum uterque
vestrum astet quasi honocrotalus inter cygnos.
«Immo vero, igni subiiciendum iudicassent in episcopali
templo, cum te ut de heretico et de fide christiana male sentiente
existimarent». Audes, exemplar infamie Panormita, de igne
mentionem facere, bis iam ipse combustus prope in orbis terrarum
celeberrimis theatris! 'ludicassent' inquis: te vero iudicarunt
tibique ignem subiecerunt.
«Nisi supplex, monentibus quibusdam misericordia commotis,
errorum tuorum veniam a iudicibus petere festinasses.»
Nisi libellus ille ad summum pontificem missus satis responderet
calumnie vestre, plura dicerem, sed nolo, ne nimis de laudibus
meis loqui velle videar.
«Recognosce igitur aliquando te ipsum ut, te ipso cognito,

[Page 399]

alios non negligas.» Video quia neglectum te vis hoc dicas.
«Ac tandem temeritate, insolentia, maledicentia et impudentia
deposita, modestus et temperans esse disce.» Tandem finem
facis maledicendi, duntaxat in prima invectiva; cuius convicia
sic digessi (abs te dissipate dicta) ut gravissimum quodque
postremum esset. Admones ut discam modestus esse et
temperans: nimurum speras talem fieri posse. At superius
desperabas inquiens: «Disce igitur ex aliis modestus esse et
lingue frenum adhibe; sed hoc certe nunquam mihi concedes

propter innatam arrogantiam tuam.» An potes, Fatue, negare te fatuum? Sed in quem unquam extiti, vel scriptis vel lingua, maledicus? qui et si nullius mihi sceleris conscientius sum nec alicuius in nostra familia probri, sordis, vilitatis, tamen nullius nec imperitiam, nec humilitatem, nec mores insectatus sum, nisi Panormite, atrocissimis ab eo lacesitus iniuriis. Cuius consuetudinem, vides, omnes viri boni aspernantur atque ut vesanum effugiant. Ergo ne rex quidem, cui tot menses lego, vir bonus est, nec summus pontifex quem superioribus diebus adii, nec cardinales qui ad me scriptitant, ut sileam ceteros. De vobis duabus pudor me prohibet vicissim que possum dicere.

«Hec ego abs te lacesitus, Laurenti, licet invitus ac preter naturam et consuetudinem meam, scribere statui ut siquam mihi detrahendo voluptatem ehibisti, hanc totam male de te legendu evomas.» Teneo te ubique, stolidissime, et mendacii malignitatisque convinco. Hec omnia in me propterea effudisti, hec mortifera tela contorsisti, his quantum putas detonuisti fulminibus, quod tibi detraxerim. Que porro ista detractio fuit?

[Page 400]

Nempe quod te, quia contra libros meos historiarum inimicissime scriberes, idque apud regem mihi inimicus obiiceret, minutorum minutissimum appellavi. Dic nunc te preter naturam et consuetudinem tuam in me fuisse inventum! Quis unquam ursus aut que leena tigris ve, ereptis sibi catulis, rabidior fuit quam tu in me, quia te, abs te verberatus, conspui? Et sane immanis immitisque nature est ne in eo quidem loco ubi quis se mansuetum mitemque probare vult, ab acerbitate verborum posse temperare. Ego de meo sensu iudico: non nisi in ipso ardore probris respondendi uterer his verbis: ‘hanc totam male de te legendu evomas’, quod non fecit in illa brevi sed incensa inventiva et iustiores causas habente, Salustius: ‘Ut siquam maledicendo voluptatem cepisti eam male audiendo amittas’. Aude te dicere invitum ad hoc descendisse et non potius cum tua natura seva et importuna invidieque et avaritie plena, quam plurimo usu roborasti, tum vero rogatu atque impulsu Antonii Panormite.

[Home](#)

Laurentius Valla. Date: 2018-08-01